Sc.19.P1.6.

37
29 B
10

AW 1597

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, DE ECCLESIA CHRISTI,

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Profeſſor, Sacroſanctæ Capellæ Regii Palatii Pariſienſis Canonicus.

VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

THEOLOGIÆ CANDIDATIS

PRÆFATIO.

QUAS hodie, dilectiſſimi Candidati, de Eccleſia Chriſti Prælectiones vobis offerimus, niſi conſuetum Scholarum ordinem immutare religio nobis fuiſſet, meliùs fortaſſe, convenientiuſque aliis omnibus præmittere oportuiſſet. Habetis enim in illis quaſi contractam compendio, ſed promptam, facilem, nec minùs vi ac robore naturaque ſua planè decretoriam, qualem denique tradi à Chriſto Domino decebat, omnium de quibuſcunque fidei rebus controverſiarum definitionem; ita ut, quod de moribus vitaque ſanctè inſtituenda dictum eſt, *Solutio omnium difficultatum Chriſtus eſt*, idem aptiſſimè & convenientiſſimè de rebus credendis, de Eccleſia dici poſſit, Solutio omnium difficultatum Eccleſia eſt.

Enim verò in tanta Hæreticorum multitudine quibus undique fides impugnatur, nullus eſt qui non ad hunc ſcopulum allidat & confringatur. In tanta diſputationum varietate nulla reperitur, quæ non ad hanc unam, quæ de Eccleſia eſt, revocari, eaque ſola decidi ac ultimò terminari debeat. Eſt quippè Eccleſia fidei cuſtos ac vindex, controverſiarum, qui-
bus illa impetitur, Judex ſupremus. *Eſt columna & firma-* 1 Tim.
mentum veritatis, *adverſùs quam portæ inferi nuſquam præva-* 3. 15.
lebunt: quam proinde ducem ac magiſtram qui audire ac ſe- Matth. 16. 18.
qui noluerit, vel ipſomet Chriſto pronuntiante, *ſicut ethnicus* Matth.
& publicanus habendus eſt; *atque*, ut ait S. Auguſtinus, Li- 18. 17. To. 8. p.
bro de utilitate credendi cap. 17. *Eccleſiæ nolle primas dare*, 69. B.
vel ſummæ profectò impietatis eſt, *vel præcipitis arrogantiæ*.

Digitized by Google

Li. contra Ep. Fund. c. 5. Quin & ipſe ſanctus Doctor ſe Eccleſiæ auctoritate ductum Evangelio credere profitetur : *Ego verò*, inquit, *Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.*

Ibid. p. 154. A. Hac una Eccleſiæ loquentis auctoritate, omnem de fide quęſtionem finiri poſſe ac debere aſſerebat Hieronymus cum Luciferianis diſputans : *T. 4. p. 1 p. 306.* *Poteram*, inquiebat, *omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ Sole ſiccare . Verùm quia iam multùm ſermocinati ſumus , & prolixitas concertationis audientium ſtudia laſſavit , brevem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam : in illa eſſe Eccleſia permanendum , quæ ab Apoſtolis fundata , uſque ad diem hanc durat.* Et verò non ſolùm brevis & expedita , ſed etiam neceſſaria prorſus eſt omnem de Religione diſputationem decidendi viâ , Eccleſiæ judicantis ac decernentis ſententia , qua ſimul & veritati conſulitur , & tolluntur difficultates examinis immenſæ , atque infinitis propemodum Fidelibus omninò inſuperabiles , rudibus dico & imperitis , *quos* , ut ait apposite Tertullianus Lib. de Præſcript. *Pagina 207. B.* capite 14. *fides ſalvos facit , non exercitatio Scripturarum . S. Aug. L. de quanti. animæ cap. 7. n. 12. T. 1. p. 406. F* *Auctoritati quippè credere , magnum compendium eſt , ac nullus labor.*

Novatoribus Lutheranis & Calviniſtis diſplicuit ſemper ſuprema hæc ac decretoria , quam nos Catholici in Eccleſia agnoſcimus , de rebus fidei pronuntiandi poteſtas : ex qua una planè conclamatam eſſe intellexerunt , ſuam , & quorumcumque aliorum Hæreticorum ſectam , certamque novarum opinionum ruinam ac perniciem , quòd illa auctoritate uno quaſi ictu omnes errores ſimul corruerent ac funditùs convellerentur . Quapropter omnes , quaſi manu facta , ad eam auctoritatem impugnandam quidquid virium haberent , converterunt , falsò non minùs , quàm invidiosè Catholicis objectando , malle illos hominibus auſcultare , quàm Deo ipſi , ac humanas conjecturas ſequi , quàm verbum divinum .

Verùm à fraude illorum ac mendacio diligenter præcavete , dilectiſſimi Candidati . Ludunt illi in ambiguo , vel , ut ajunt , in æquivoco ; atque ut ſimplices & imperitos decipiant , duo callidè ac fraudulenter confundunt , quæ ſedulò diſtinguunt Orthodoxi : nempè Judicem , qui ſententiam inter litigantes pronuntiat , & Legem ſeu regulam , ad quam exigere ſanctiones ſuas ſententiaſque debet . In omni etenim Communitate ſapienter ordinata non ſolùm extant Leges quæ

ſuum

ſuum unicuique officium præſcribunt, ſed etiam Judices, qui legem interdum obſcuram interpretantur, & ad ſingulares cauſæ circumſtantias accommodant & applicant. Scripturam ſacram pro lege ſua, pro regula fidei & morum, ad quam omnis de Religione excitata quæſtio expendenda, & ex cujus oraculis dirimenda ſit, omnes ſummo conſenſu Catholici profitentur: ſed cùm Scriptura in multis plerumque obſcura ſit & implicata, neque ſeipſam ſatis evolvat & explicet, neceſſe prorſus eſt Judicem aliquem ſedere, qui ab omni errandi periculo tutus ac ſecurus ſenſum illius aperiat ac terminet, diſſidia & lites de fide & doctrina exortas componat ac finiat, diſcordes animos conciliet, *ne fluctuantes ſint & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*. Epheſ.4 v.14.

An verò in civili ac politica ſocietate privato cuilibet permittitur publicas leges ad privatum ſuum judicium ac ſenſum torquere, ac interpretari ut libet? An in propria ſua cauſa quilibet judex & arbiter ſedebit? Quanta inde rerum civilium in Regno confuſio ac perturbatio! Ut publica lex eſt, ita publica auctoritate interpretanda.

Quis porrò in Religione Chriſti agnoſcendus Judex ſupremus controverſiarum fidei? An humana ratio? An ſola Scriptura? An ſpiritus privatus, ſeu privatis verum Scripturæ intellectum intus manifeſtans & aperiens? Quàm hæc inſulſa & abſurda! Soli Sociniani, quos Lutherani ac Calviniſtæ nobiſcum pariter inſectantur, humanæ rationi ac Philoſophiæ primas in cauſis Religionis conferunt, vel ipſamet tota reclamante ac reluctante ſana ratione, quę dictat in rebus facti ab una Dei revelantis voluntate dependentibus, ſolam auctoritatem, non humanam Philoſophiam audiendam eſſe. *Beatus es Simon Bar iona*, dicebat Chriſtus Petro fidem ejus commendans, *quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt*. Et Apoſtolus: *Arma militiæ noſtræ*, ajebat, *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes intellectum in obſequium fidei*. Quàm infirma & in omne abſurditatis ac inſaniæ genus præceps eſt humana ratio, niſi vinculo auctoritatis ſuperioris colligata in officio contineatur! *Infirma ratio videri poteſt*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. de moribus Eccleſię Catholicæ cap. 2. n. 3. *quæ cùm reddita fuerit, auctoritatem poſteà, per quam firmetur, aſſumit*.

Mat.16 v. 17.
2. Cor. 10.v.4.
To.1.p. 688.C.

Scripturam quidem agnoſcimus omnes ut certam fidei legem ac regulam; ſed quæ ſi ſola fuerit abſque certo & infallibili interprete, non ſufficiat dirimendis, quæ in dies ſuccreſcunt magis de fide, ac de Scriptura ipſa diſſenſionibus. Non diſſimulat vel ipſe ſanctus Petrus, eſſe in Epiſtolis Pauli *intellectu difficilia quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perniciem.* 2. Petri 3. v. 16.

Juvat, dilectiſſimi Candidati, præmunire ſtatim ab initio animos veſtros, atque ex iis quæ fuſiùs poſtmodum dicturi ſumus, excerpere jam nunc, atque anticipata controverſia præoccupare pauca, quibus certò vobis innoteſcat, & quàm ſtolidus ſit Novatorum error de Judice controverſiarum, & quàm neceſſaria ſuprema Eccleſiæ auctoritas in fidei cauſis dijudicandis, ſine qua nihil in Religione fixum & conſtans, nihil certum eſſe oportebit.

Novatores noſtri ad unam Scripturam Judicem fidei provocant: at provocarunt pariter alii omnes, quotquot hactenus extitere non minùs à ſe invicem quàm à Catholicis diſcordes, Hæretici. Nullum eſt tam inſulſum ac ineptum erroris figmentum, quod à Scriptura præſidium aliquod non repetierit. *Neque enim*, ait S. Auguſtinus Lib. 7. de Gen. ad litt. c. 9. n. 13. *non omnes Hæretici Scripturas Catholicas legunt; nec ob aliud ſunt Hæretici, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt.* Et Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 2. *Scripturam ſacram*, ait, *pro ipſa ſui altitudine, non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt; ſed eiuſdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur, ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius &c. exponit. Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.*

T. 3 p. 1 p. 215. G.

Bib. PP. To. 7. p. 250. D.

An porrò in tanta interpretationum Scripturæ varietate ac diſcrepantia; in tanta errorum & errantium licentia & contrarietate in Libris ſacris tùm diſcernendis, tùm exponendis, una Scriptura judex eſſe poteſt? An ſecum ipſa pugnans ſimul idem affirmare & negare, errorem tueri, veritatem damnare? Quis diſſentientes inter ſe Hereticos conciliabit? Scriptura? at illa varias in partes ab illis trahitur. Muta ſilet ac veluti mortua lex eſt, quæ patitur ſe in ſenſus varios ac diſcrepantes torqueri.

Et

Et verò duo in Scriptura ſpectanda ſunt, textus ipſe ſeu litterа, & ſenſus.

De textu, quot controverſiæ? An is quem nunc habemus prę manibus, & Scripturam vocamus, genuinum ſit Dei verbum? An autographis Prophetarum & Apoſtolorum conformis? An purus & integer ad nos pervenerit, vel Judęorum aut Hęreticorum fraudibus ac malitia depravatus? An hujus textus verſiones, qua par eſt fide, legitimum primigenii autographi vel exemplaris ſenſum referant? An denique hi vel illi Libri Canonici ſint, vel non? Nemo neſcit de hiſce omnibus jam diu lites excitatas fuiſſe. *Iſta hæreſis*, dicebat Tertullianus, *non recipit quaſdam Scripturas; & ſi quas recipit, non recipit integras: adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit; & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus....* *Ergo*, concludit, *non ad Scripturas provocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incerta.* *L. de Præſcr. cap. 17. p. 208. A.* *Ib. cap. 19. P. C*

At, ne rem altiùs repetamus, nemo ignorat Lutheranos & Calviniſtas inter ſe digladiari de nonnullis ſacrorum Codicum Libris, quos iſti tanquam Canonicos admittunt, illi verò tanquam ſpurios rejiciunt. Unde varietas illa & diſcrepantia? Non ergo unus & idem fuit ſpiritus, non una & eadem interior unctio, ſed diſcors ac diverſa, quę Lutherum ac Calvinum docuit, & ſenſus adeo diſſonantes utrique inſpiravit. Ubi ergo ſunt illi tam ſplendidi ac conſpicui divinitatis radii, quibus Librorum ſacrorum origo cœleſtis ac planè divina omnibus, ut ipſi volunt, ſtatim effulget? Neceſſe prorſus eſt ad ſplendorem illum cœcutiiſſe vel Lutherum, vel Calvinum; atque alterutrum ea interiori Spiritus unctione deſtitutum fuiſſe, quæ modeſtos & humiles docet, ut Libros Canonicos à non Canonicis, veram à falſa & ſuppoſititia Scripturam diſcernere valeant; Sin autem illis defuit, aliiſque pariter eam ſe habere, eam ſe experiri ac ſentire firmiſſimè credentibus, quis poteſt illam ſibi certò adpromittere? Quis ſibi adeſſe exiſtimare? Quis metuere ſapienter non debet, ne ſuus illum ſenſus, ſuaque opinio decipiat? Ergo in dignoſcendis genuinis Scripturis nulla illi certa & fixa regula dirigi unquam poſſunt: ab una igitur Eccleſia, quæ depoſiti cuſtos eſt fidelis, repetendus eſt verus ac genuinus Scripturæ

textus. *Scripturarum etiam à nobis tenetur veritas*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. contra Creſc. cap. 33. *cùm hoc facimus, quod univerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.*

To.2.p. 407.F.

Verùm longè graviorem inter illos diſcordiam exardeſcere de ſenſu & interpretatione Scripturæ, vel ex una iſta Chriſti ſententia in ſenſum planè contrarium adducta, *Hoc eſt corpus meum*; demonſtratur. Lutherani, ad ſenſum præſentiæ realis; è contra Calviniſtę, ad ſenſum præſentię dumtaxat metaphoricæ ac figuratæ verba Chriſti adducunt. Iſta pariter, *Ego & Pater unum ſumus*, Calvinus interpretatur de unione tantùm morali affectus & voluntatis, aſſeritque Patres Nicænos perperam ex iiſdem verbis unionem ſubſtantię ac naturę comprobaſſe; attamen interpretationem illam tanquam falſam & periculoſam, vulgo rejiciunt Calvini diſcipuli, atque imprimis Joannes Meſtrezat Pariſienſis Eccleſiæ, ut appellabant, Reformatæ Adminiſter, Tractatu gallicè ſcripto de Scriptura ſacra. Denique, ut alia hujuſcemodi penè infinita omittamus, ſolemnia hęc Chriſti verba Joann. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret ego ſum*, quibus Catholici omnes adversùs Arianos tùm veteres, tùm recentiores, invictè demonſtrant Chriſtum quantùm ad divinam ejus naturam prȩextitiſſe priùs, quàm ex Maria Virgine naſceretur, verba, inquam, illa, nonnulli ex Calvini diſcipulis explicant de præexiſtentia quantùm ad deſtinationem, ſeu decretum Dei, eo ipſo ſenſu quo Chriſtus dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*; non quidem quoad realem ſanguinis effuſionem, ſed quoad deſtinationem, pretium & applicationem meritorum ſanguinis Chriſti, qui definito tempore pro ſalute hominum effundendus eſt. Hęc porrò expoſitio quantùm Socinianis faveat, quantùm illis arrideat, nemo in eorum ſcriptis vel leviter verſatus ignorat. Eò ducit cœca illa & prȩceps licentia interpretandi Scripturas ad privatum uniuſcujuſque ſenſum, ſecluſa Eccleſię auctoritate, quę ſola tanquam judex & magiſtra conſuli debet, & audiri. Quis enim, rogo, inter illos judex erit? Quis illorum contentiones componet, ac verum Scripturę ſenſum definiet? An Lutherus? An Calvinus? An ſpiritus ille privatus, ſeu, ut ipſi ajunt, ſpiritus privatis

Lib.4.c. 9. pag. 152.

vatis

vatis revelans? Quis non rideat ſpiritum illum pro certa & publica interpretandi Scripturas regula poſſe aſſignari, qui privatus eſt, occultus, incognitus, incertus, dubius, qui tam varius ac multiplex, ſibique ipſi contrarius? Quàm patens & apertus ſic aperitur campus ad ridiculum fanatiſmum inducendum, & ad quamlibet Religionem promiſcuè recipiendam vel tolerandam!

Dicant nobis Lutherani & Calviniſtæ, qua tandem via Socinianos revincere, ac ſeſe ab eorum laqueis expedire unquam poſſunt? Iſti quippe ex eorum viſceribus nati, iiſdemque cum ipſis innutriti ac innixi principiis, Scripturam judicem audire non recuſant. Quid porrò juris arrogare ſibi poſſunt Lutherani & Calviniſtæ ad Scripturam in ſenſus figuratos ac metaphoricos detorquendam, quod ſibi pariter aſſumere non poſſint Sociniani, ubi contendunt Chriſtum ſenſu figurato Deum appellari, ab auctoritate ſcilicet ipſi à Deo conceſſa, quomodo Judices Dii etiam nuncupantur? Quo argumento perverſam illam explicationem Lutherani & Calviniſtæ confutabunt? Quam in Socinianos rationem afferent, quam non in ipſos eodem jure, ac vi etiam majore retorqueant? Quam, rogo, diſparem cauſam afferent? Scripturæ apertam lucem & claritatem? hanc in cauſa ſua laudabunt & ipſimet Sociniani. Spiritum privatum, ejuſque internam unctionem? & de iſta pariter illi gloriabuntur. Collationem unius, vel plurium locorum Scripturæ cum aliis? at in iſta plurimùm & ipſi confidunt. Criticam & grammaticalem verborum ſignificationem? at in ea vim ferè totam argumentorum ſuorum illi collocant. Traditionem? at iſtam communi conſenſu Novatores omnes rejiciunt. Imò ne ipſi quidem Sociniani, nonnulla, quæ nobiſcum pariter agnoſcunt, fidei capita, v. gr. reſurrectionem corporum, creationem mundi ex nihilo, certò aſſerere ac vindicare poſſunt adversùs eos à quibus illa impugnantur. Unde enim certam & invictam probationem deproment? Ex ratione? at unuſquiſque in ſenſu ſuo abundant. Ex grammaticali verbi, *creare*, ſignificatione? at fatentur hebraicè periti, verbum hebræum, quod Vulgata noſtra reddit per verbum, *creare*, ex æquo ſignificare, facere, producere, formare, ſive ex nihilo, ſive ex præjacente materia. Ergo ſepoſita Eccleſiæ auctoritate, ad quam pertinet veram & genuinam verborum Scripturæ ſignificationem determinare ac figere, ipſum creationis dogma defendere,

atque illud evertentes certò arguere ac confutare non poſſunt Sociniani: adeò verum iſtud eſt, excuſſo ſemel auctoritatis Eccleſiæ jugo, nihil amplius conſtans ac certum eſſe in Religione, & ad uniuſcujuſque arbitrium ac libidinem divina temerè moderari, aut potius incertò fluctuare.

Eritne igitur tam perditæ mentis quiſpiam, qui à Chriſto Domino Eccleſię ſponſæ ſuæ, quam proprio ſanguine acquiſivit, tam malè proviſum fuiſſe ſuſpicetur? *Ipſa eſt Eccleſia ſancta*, ut egregiè D. Auguſtinus admonet de Symb. ad Catech. cap. To.6.p. 554.E. 6. num. 13. *Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans; pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferi non vincent eam.* Ipſa eſt communis Chriſtianorum omnium mater, quæ omnes ad ſalutem invitat & expectat. Ut enim navis gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori Victoria, ſic Eccleſiæ gubernatrici una beata Fidelium vita propoſita eſt. Eum in finem curam & ſollicitudinem ſuam ad omnes circumquaque diffundit: *ipſis etiam om-* T.1.p. 751.E. F. *nibus errantibus utitur ad provectus ſuos*, ait S. Auguſtinus Lib. de vera Relig. cap. 6. n. 10. *Utitur enim gentibus*; pergit ſanctus Doctor, *ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem.*

Quàm verò feliciter in his omnibus ſeſe exercuerit & elaboraverit Eccleſia, eventus ipſe manifeſtè comprobavit.

Utitur gentibus ad materiam operationis ſuæ, nempe ut gentes ipſas ab Idolorum inſania ad veri numinis notitiam cultumque perducat: idola deſtruat, ac demonſtret illum planè ſtolidum & inſulſum eſſe, qui venerationis quidpiam eis perſolverit, *qui non erubeſcit*, ut feſtivè dicebat Salomon, *cum illo loqui, qui ſine* Sap.13. v.17. *anima eſt; & pro ſanitate infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non poteſt; & de omnium rerum eventu petit ab eo qui in omnibus eſt inutilis.... Qui navigare cogitans* Ib. cap. 14.v.1. *& per feros fluctus iter facere incipiens ligno portante ſe, fragilius lignum invocat.*

Utitur gentibus ad materiam operationis ſuæ, ut unius ac ſupremi numinis honorem confirmet, veram Chriſti Religionem ubi-

ubique diffundat, cęleſtes ac planè divinas, quibus undequaque Eccleſia refulget, dotes aperiat ac demonſtret, ex ſplendore miraculorum quibus confirmata, ex miro ac ſtupendò modo quo propagata fuit à duodecim hominibus illiteratis, pauperibus, omni humana ope deſtitutis, tota licèt fremente ac reluctante natura; ex invicta inter acerbiſſimos cruciatus Martyrum conſtantia. Quid dico conſtantia? Suaviſſima voluptate. *Vincimus*, clamabant illi, *cùm occidimur.... Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio eſt innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra.... Nec quidquam proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* [*Tertul. in Apo. c. 50. p. 39. & 40.*] Hoc invicto argumento Eccleſia Gentilibus demonſtrabat divinam planè eſſe Religionem, quę hac ipſa via crevit & amplificata eſt, qua penitus atteri & extingui debuiſſet, niſi divina fuiſſet; in qua nec inanis gloriæ ſpes, nec fama nominis, nec divitiarum aut voluptatis amor, ſed unius ęternæ felicitatis in Deo aſſequendæ pręconcepta cogitatio laborem leviorem reddit, & mortem ipſam vita longè jucundiorem. Quàm meritò igitur exclamabat S. Auguſtinus Lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. num. 1. *Quiſquis adhuc prodigia ut credat, inqnirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit; & qui miracula facta eſſe non credunt, nobis hoc unum grande miraculum ſufficit, quod terrarum Orbis ſine ullis miraculis credidit.* [*To. 7. p. 663. A. Ib. cap. 5. pag. 660. A.*]

Utitur gentibus ad materiam operationis ſuæ, ut ex ipſa, quam proponit, Chriſtianę Religionis doctrina pura & cœleſti, & Imperatores, Reges, ac Principes demulceat ſibique conciliet, quorum legitimę poteſtati nulla magis favet Religio, quàm Chriſtiana; quę docet *omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe debere, non tantùm propter iram, ſed propter conſcientiam: Omnem poteſtatem à Deo eſſe; & eos qui poteſtati reſiſtunt, divinæ ordinationi reſiſtere:* [*Ro. 13.*] nunquam fas eſſe adversùs Principem rebellionem movere; perſecutionibus vexatos ad alia arma confugere non debere, niſi ac preces & ſupplicationes: demum pro incolumitate ac felicitate Imperatorum etiam fœdè ac injuſtè perſequentium, ſolitos vota nuncupare Chriſtianos. *Nos*, inquiebat Tertullianus in Apologia pro Chriſtianis, *pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum .... Oramus ut illis vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt.* [*Apolog. cap. 30. p. 27. A. B.*]

 Uti-

1.Cor. 11.19. *Utitur Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ : Oportet enim ,*
ait Apoſtolus, *hæreſes eſſe, ut probati ſint, manifeſti fiant. Cùm*
To.1.p. *autem foris ſunt (* Hæretici) pergit Auguſtinus Lib. de vera Re-
553.C. ligione cap. 8. *plurimùm proſunt , non verum docendo , quod neſciunt ; ſed ad verum quærendum carnales , & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando ...... Utamur ergo Hæreticis , non ut eorum approbemus errores , ſed ut Catholicam diſciplinam adversùs eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſumus .* Qua porrò ratione Eccleſia doctrinæ veritatem adversùs Hæreticos tuetur & confirmat? Verbo Dei, cujus illa fidelis cuſtos eſt; Eccleſiarum Apoſtolicarum , quas conſulit ac ſequitur , in una eademque fide
Vinc. Lirin. Comm. cap.3. retinenda firma & conſtanti conſenſione, *in ipſa etenim Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt , ut id teneamus , quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* In illa Eccleſiarum unitate ac conſpiratione firmiſſimum & invictiſſimum habemus veritatis argumentum & præſidium; omnes enim illæ Eccleſiæ unam & eandem efficiunt Chriſti Eccleſiam, quæ una eſt &
Lib. de Præſcr. c.10.p. 108.D. p.109. A. indiviſa. *Tot & tantæ Eccleſiæ*, ait Tertullianus, *una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, & Apoſtolicæ, dum una omnes probant unitatem ...... Proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam .... omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Communicamus cum*
Ibid.B. *Eccleſiis Apoſtolicis*, pergit adhuc Tertullianus, *hoc eſt Teſtimonium veritatis .... Ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Domini-*
p.213. B. *cum & verum, quod ſit priùs traditum; id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum.* Ab hac Eccleſiarum unitate qui recedunt Hæretici, ipſi ſe ſe interimunt, mutuiſque ac inteſtinis diſſidiis inter ſe colliſi, varias in ſectas miſere ſcinduntur.
De Præſcr. c.41.p. 218.A. *An non*, ridendo dicebat Tertullianus, *licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio fidem innovare?* Vix fœtus ſuos primi hæreſeon parentes procrearunt , cùm filios jam tum diſtractos inter ſe ac diſcordes viderunt . Simoniani ſtatim diviſi in Saturnianos & Baſilidianos : Marcionitæ in Lucianiſtas , Apellianos , Severianos : Montaniſtæ in Pepuſianos , Artotyritas , Phrygaſtas : Maſſaliani in Martyrianos , Sathanianos , Euthuſiaſtas , Ariani in Acacianos , Macedonianos , Eunomianos . Quid de Lutheranis & Calviniſtis, quorum in doctrina variationes ac viciſſitudines

dines tam doctè ac copioſè proſecutus eſt memoriæ nunquam interituræ Illuſtriſſimus Boſſuetius, dum viveret Meldenſium Epiſcopus?

Una eſt Chriſti Eccleſia quæ ſibi ſemper conſtans ac ſimilis, novitatis ac diſſenſionis inimica doctrinam, quam Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit, firmiter ac conſtanter retinuit, ac retinebit ſemper.... *Hujus unitatis præcidendæ nunquam juſta eſſe poteſt neceſſitas*, [T. 9. p. 42. E.] ait S. Auguſtinus Lib. 2. contra Epiſtolam Parm. cap. 11. num. 25. quia nempe juſtam ſeceſſionis cauſam Eccleſia dare nunquam poteſt, in fide non minùs infallibilis, quàm ſancta in moribus. Schiſmatis ergo reus illico convincitur novator quilibet, qui Eccleſiam deſerit. Quam enim Eccleſiam deſerit? niſi eam in qua ipſe antea verſabatur. Hæc verò nonne Eccleſia Chriſti erat? Ergo vera, una, ſancta & impolluta, iiſque omnibus inſtructa dotibus quæ veram Chriſti Dei ſponſam decent: Ergo nullum ipſi vitium imputandum, quod (proh ſcelus!) in Chriſtum ipſum illius Caput ac parentem redundaret: Ergo nullum vitæ ſpiritum, nullam ſpem ſalutis habere ille poteſt, qui ab Eccleſia ſecedit. *Eccleſia*, inquit more ſuo eleganter Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ, *una eſt... unitas ſervatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit: ab* [P. 180. & 181.] *arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præciſus areſcet..... Qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem....* Et poſtea: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia ejus, & fides una, & plebs* [P. 186.] *in ſolidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.*

Utitur Schiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ. Hęc porrò ſtabilitas tota in firmiſſima petra fundata eſt, adverſùs quam portæ inferi non prævalebunt. *Schiſmaticos non fides diverſa facit, ſed communionis diſrupta ſocietas.* [S. Aug. L. quæſtion Evangel. Matth. Q. 11.] *Quamquam*, ut advertit S. Hieronymus in caput 3. Epiſtolæ ad Titum v. 10. *nullum ſchiſma eſt, quod non ſibi aliquam hæreſim confingat, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.* Firmitatem ergo ſuam adverſùs Schiſmaticos comprobat Eccleſia, ex intima illa communione & ſocietate quę retineri ſemper debet cum Petro ejuſque ſucceſſore [T. 3. p. 2. pag. 279. C.] Romano Pontifice, qui *verus eſt Chriſti Vicarius, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Pater ac Doctor, cui in B.* [Tom. 4. part. 1. p. 439.] *Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam* (id eſt, univerſas Eccleſias) *à Domino noſtro Jeſu Chriſto plena po-* [To. 13. Conc pa 515. E.]

teſtas

teſtas tradita eſt, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur. Verba ſunt Concilii Florentini in definitione fidei.

P. 175. *Ad hanc* (Petri Sedem ſeu Romanam Eccleſiam) *propter po-*
n. 2. *tiorem principalitatem, neceſſe eſt convenire omnem Eccleſiam*, dicebat S. Irenęus Lib. 3. cap. 3. *Eſt enim illa omnium Eccleſiarum*
Conc. *mater ac magiſtra; Cathedra principalis unde unitas Sacerdotalis*
Tr. ſeſſ. 7. de *exorta eſt*, vinculum unitatis, centrum Catholicę communionis,
Bap. Ca ac publicum verę fidei profeſſionis argumentum. Hanc Eccleſiæ
3. S. Cy- unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ
pr. Ep. 55. ad renititur, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Ec-
Cornel. p. 84. cleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit, *Fruſtra ſibi blan-*
P. 118. *diuntur*, pergit S. Martyr Epiſtola 69. ad Florentinum Pupianum, *ii qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt, quando Eccleſia quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa & cohærentium ſibi Sacerdotum glutino copulata*.

T. 4. ar. *Ego*, dicebat S. Hieronymus ſcribens ad Damaſum, *Beatitu-*
2. p. 19. *dini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt.... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit*.

Non alio autem certiori argumento comperta eſſe poteſt cum Romana Eccleſia ejuſque viſibili Capite conjunctio, quàm ex
Apud Theod. conſenſione in eadem cum ipſo doctrina. *Si Damaſi communionem*
Lib. 5. *amplecteris, ô amice*, inquiebat Flavianus Paulinum alloquens,
Hiſt. c. 3. p. 201. C. *doctrinæ nobis manifeſtam ſimilitudinem oſtende... Oſtende conſenſionem doctrinæ*.

Qui ergo hanc dogmatum concordiam oſtendere non poſſunt, an cum Pontifice communionem ſaltem internam habere dicendi ſunt? An non Romanus Pontifex univerſę Eccleſię Caput eſt ac Rector, cui Chriſtiani omnes obedire debent? Nonne, ut cum Eccleſia Pariſienſi, Pręſide Stephano loquar, *Romana*
Rom. 4. Hiſt. Univerſ. Pariſienſis ad an. 1324. p. 205. *Eccleſia Fidelium omnium mater eſt ac magiſtra, in firmiſſima Petri Chriſti Vicarii confeſſione fundata, ad quam velut ad univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio & reprobatio doctrinarium, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum?*

P. 2. 79. Notum eſt quod obſervat S. Cyprianus Epiſtola 55. ad Cornel. *non aliunde hæreſes obortas fuiſſe, aut nata ſchiſmata, quàm inde,*

quòd

quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa.... nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet; nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris hæreſim novam conderet.

Denique *Eccleſia utitur Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ*: quę ſcilicet radios ſuos circumquaque cum ſumma gloria diffundit; tantò Synagoga pręſtantior, quantò veritas figurę, magiſtra ancillę, libera ſervę antecellit.

Sed vultis, dilectiſſimi Candidati, omnes Eccleſię dotes, beneficia, & doctrinam uno quaſi intuitu dignoſcere? audite Auguſtinum Eccleſiam ipſam ſic alloquentem. *Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quietè ſenes, prout cuiuſque non corporis tantùm, ſed & animi ætas eſt, exerces ac doces. Tu feminas viris ſuis, non ad explendam libidinem, ſed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris ſocietatem, caſta & fideli obedientia ſubiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem ſexum, ſed ſinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam ſervitute ſubiungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres Religionis vinculo firmiore atque arctiore quàm ſanguinis, nectis. Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis neceſſitudinem, ſervatis naturæ voluntatiſque nexibus, mutua charitate conſtringis. Tu dominis ſervos, non tam conditionis neceſſitate quàm officii delectatione doces adhærere. Tu dominos ſervis, ſummi Dei communis Domini conſideratione placabiles, & ad conſulendum quàm coercendum propenſiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus; & prorſus homines primorum parentum recordatione, non ſocietate tantùm, ſed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces Reges proſpicere populis, mones populos ſe ſubdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus conſolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus diſciplina, quibus obiurgatio, quibus ſupplicium, ſedulò doces; oſtendens quemadmodum & non omnibus, omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur iniuria.*

Lib. 1. de mor. Eccl. c. 30. T. 1. p. 708. F.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO PRIMA. *De natura Eccleſiæ.* pag. 1.
ARTICULUS I. *De nomine Eccleſiæ.* ibid.
Quid ſignificet nomen Eccleſiæ. 1.
Quæ ſint præcipua nomina quibus in Scripturis Eccleſia deſignatur. 4.
Quibus figuris adumbrata fuerit in Scripturis Eccleſia. 5.
Figuræ Eccleſiæ in veteri Teſtamento. ibid.
Figuræ & Parabolę quibus deſignatur Eccleſia in novo Teſtamento. 6.
ARTICULUS II. *De definitione Eccleſię.* 8.
Definitiones Eccleſiæ ab Hæreticis confictæ. ibid.
Pelagiani. ibid.
Novatiani. 9.
Donatiſtæ. ibid.
Vviclefus. ibid.
Lutherani. 10.
Calviniſtæ. ibid.
Catholica Eccleſiæ definitio. 12.
CONCLUSIO. *Rectè definitur Eccleſia: Cœtus hominum unius & ejuſdem fidei Chriſtianæ profeſſione, & eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè Romani Pontificis.* 13.
ARTICULUS III. *De auctore & antiquitate Eccleſiæ.* 18.
Quis ſit auctor Eccleſię. ibid.
CONCLUSIO. *Solus Deus eſt auctor Eccleſiæ, poteſtate independentiæ & ſupremæ auctoritatis; & ſolus Chriſtus poteſtate excellentiæ & miniſterii principalis.* 19.
Origo & antiquitas Eccleſiæ. 20.
PRIMA CONCLUSIO. *Eccleſia Chriſti non tantùm natalem Chriſti anteceſſit, ſed etiam ita floruit tempore Legis naturę & ſcriptę, ut tunc temporis veros extitiſſe Chriſtianæ Religionis cultores aſſeri meritò poſſit.* 21.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO. *Probabiliter dici poteſt, Eccleſiam ſenſu expoſito initium habuiſſe in ipſo Abel.* 23.
Solvuntur Objectiones. ibid.
QUÆSTIO SECUNDA. *De notis ſeu caracteribus Eccleſiæ.* 28.
ARTICULUS I. *De notis Eccleſiæ in genere.* 29.
Utrum felicitas temporalis defenſorum, & infelix exitus hoſtium Eccleſiæ ſint veræ Eccleſiæ notæ. 31.
CONCLUSIO. *Nec felicitas temporalis defenſorum Eccleſiæ, nec infelix exitus hoſtium ejuſdem videntur recenſeri debere inter veras & proprias Eccleſiæ notas.* ibid.
Utrum doctrinæ veritas, ac legitimus Sacramentorum uſus ſint veræ ac propriæ Eccleſiæ Chriſti notæ. 32.
CONCLUSIO. *Neque vera Chriſti doctrina, neque legitimus Sacramentorum uſus ſunt veræ notæ, quibus certò dignoſci poſſit Eccleſia Chriſti, & diſcerni à quacunque alia falſi nominis Eccleſia.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 37.
ARTICULUS II. *De unitate Eccleſiæ.* 44.
Status quæſtionis cum Novatoribus Lutheranis & Calviniſtis. 45.
PRIMA CONCLUSIO. *Vera Chriſti Eccleſia ita eſt una, ut prorſus excludat quaſcumque alias Societates, quarum fides diverſa eſt & erronea in articulis etiam non fundamentalibus, & extra ipſam nulla ſit ſperanda ſalus.* 47.
Solvuntur Objectiones. 53.
SECUNDA CONCLUSIO. *Eccleſia Catholicorum illam habet unitatem quæ nota eſt ac caracter veræ Eccleſiæ Chriſti, non autem Eccleſia Reformatorum.* 57.
Solvuntur Objectiones. 58.
TERTIA CONCLUSIO. *Nulli umquam licet ſeſe ſeparare ab unitate Eccleſiæ; hincque meritò Schiſmatici eſſe convincuntur Calviniani & Reformatores noſtri.* 61.
Solvuntur Objectiones. 65.
ARTICULUS III. *De ſanctitate Eccleſiæ.* 70.
PRIMA CONCLUSIO. *Eccleſia Catholicorum eſt ſancta ea ſanctitate quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt ac ſingularis.* 71.
Solvuntur Objectiones. 73.
SECUNDA CONCLUSIO. *Societas Proteſtantium non eſt ſancta ea ſanctitate quæ vera Chriſti Eccleſiæ propria eſt ac ſingularis.* 80.
ARTICULUS IV. *De Catholicitate Eccleſiæ.* 83.
PRIMA CONCLUSIO. *Eccleſia Chriſti verè Catholica eſt.* 84.
SECUNDA CONCLUSIO. *Catholicitas vera eſt ac ſingularis Eccleſiæ nota.* 86.
TERTIA CONCLUSIO. *Eccleſia Romana eſt Catholica; non autem ſocietas Proteſtantium.* 89.
Solvuntur Objectiones. 90.
ARTICULUS V. *De Apoſtolicitate Eccleſiæ.* 97.
PRIMA CONCLUSIO. *Eccleſia Chriſti verè eſt Apoſtolica, tùm propter originis & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ antiquitatem, tùm propter Paſto-*

ſtorum ſuorum legitimam miſſionem ac ſucceſſionem non interruptam. ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Societas Catholicorum eſt verè Apoſtolica, tùm propter originis & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ antiquitatem; tùm propter Paſtorum ſuorum legitimam miſſionem; tùm denique propter eorundem Apoſtolicam ſucceſſionem.* 100.
TERTIA CONCLUSIO. *Societas Proteſtantium non habet prædictos Eccleſiæ Apoſtolicæ caracteres.* 102.
Solvuntur Objectiones adversùs ſecundam & tertiam Concluſionem. 104.
ARTICULUS VI. *An vera Chriſti Eccleſia ſit Romana.* 108.
CONCLUSIO. *Eccleſia Chriſti Catholica verè Romana eſt, ac eſſe debet.* ibid.
Primum momentum. Sedes Petri Romæ. 109.
Secundum momentum. Neceſſitas communionis cum Romana ſeu Apoſtolica Sede. 112.
ARTICULUS VII. *De viſibilitate Eccleſiæ.* 117.
PRIMA CONCLUSIO. *Eccleſia Chriſti ita eſt viſibilis ex natura ſua, ut ſemper oculis omnium conſpicua fuerit.* 119.
SECUNDA CONCLUSIO. *Prædicta viſibilitas quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt & ſingularis, convenit ſocietati Catholicorum, non verò Proteſtantium.* 125.
ARTICULUS VIII. *De perpetuitate ſeu indefectibilitate Eccleſiæ.* 127.
De perpetuitate ſeu indefectibilitate Eccleſiæ quoad durationem temporis, an aliquando defecerit, vel ſit defectura. 128.
CONCLUSIO. *Eccleſia Chriſti viſibilis numquam defecit, nec unquam eſt defectura.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 131.
QUÆSTIO TERTIA. *De auctoritate Eccleſiæ in rebus ad Religionem pertinentibus.* 139.
ARTICULUS PRIMUS. *An & quis ſit ſupremus Judex controverſiarum fidei.* ibid.
Status controverſiæ cum Hæreticis. ibid.
CONCLUSIO. *Neque ſola Scriptura, neque privatus ſpiritus, neque Princeps ſæcularis, ſed ſola Eccleſia ſupremus ac infallibilis eſt controverſiarum fidei Judex.* 141.
Probatur 1. *ſolam Scripturam non eſſe Judicem controverſiarum fidei.* ibid.
Probatur 2. *privatum ſpiritum non poſſe aſſignari tanquam Judicem controverſiarum fidei.* 149.
Probatur 3. *Principem ſæcularem Judicem non eſſe controverſiarum fidei.* 151.
Probatur denique, ſolam Eccleſiam eſſe ſupremum & infallibilem Judicem controverſiarum fidei. 153.
Solvuntur Objectiones. 155.
ARTICULUS II. *Qua via, quibuſve modis Eccleſia ſuam in rebus fidei & Religionis dijudicandis auctoritatem exercuerit.* 161.
Eccleſia interdum per ſolos Romanos Pontifices ſtatim judicat. ibid.
Eccleſia per Epiſcopos diſperſos judicat ſine Conciliis. 166.
Tacitus Epiſcoporum nonnullorum conſenſus. 168.

Con-

Conditiones requiſitæ ut ſilentium Epiſcoporum approbationem importet. 171.
Objectiones contra tacitum Epiſcoporum conſenſum. 172.
Eccleſia per Epiſcopos judicat in Conciliis ſive particularibus ſive generalibus. 175.
ARTICULUS III. *De infallibilitate ſeu inerrantia Eccleſiæ in cauſis fidei & morum definiendis.* 179.
CONCLUSIO. *Eccleſia, ſive per Orbem univerſum diffuſa, ſive in Conciliis generalibus congregata, errare non poteſt in cauſis fidei & morum definiendis.* 180.
Solvuntur Objectiones. 195.
ARTICULUS IV. *An major Epiſcoporum Summo Pontifici adhærentium numerus, paucis admodum ex adverſo reclamantibus, in fide aberrare aliquando poſſit, & de facto aberraverit.* 213.
CONCLUSIO. *Fieri non poteſt, vi promiſſionum Chriſti, ut in cauſa fidei multitudo Epiſcoporum ſimul cum Romano Pontifice, paucis admodum ex adverſo reclamantibus Epiſcopis, errorem definiat ac pertinaciter defendat.* 215.
Solvuntur Objectiones. 220.
Expenditur factum Concilii Ariminenſis & Seleucienſis. 223.
An omnes Epiſcopi Ariminenſis & Seleucienſis Synodi in hæreſim Arianam lapſi fuerint. 224.
CONCLUSIO. *Patres Ariminenſes ſubſcribendo formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, in Arianam hæreſim intus & animo lapſi non fuerunt.* 225.
Utrum Patres Ariminenſes numero longè plures fuerint, quàm cæteri Epiſcopi per Orbem univerſum diſperſi. 230.
CONCLUSIO. *Patres Concilii Ariminenſis numero longè inferiores fuere aliis Epiſcopis tunc temporis per Orbem diſperſis.* ibid.
Solvitur Objectio ex S. Gregorio Nazianzeno. 236.
Solvitur Objectio ex ſancto Hilario. 238.
Solvitur Objectio ex ſancto Auguſtino. 240.
Solvitur Objectio ex Vincentio Lirinenſi. ibid.
Solvitur Objectio ex Theodoreto. 245.
Solvitur Objectio ex Marcellino & Fauſtino Presbyteris. ibid.
Solvitur Objectio ex Socrate & Sozomeno. 246.
Expenditur factum Honorii Summi Pontificis. 247.
Utrum Honorius in errorem Monothelitarum lapſus reipſa fuerit. 248.
Utrum Epiſtola Honorii ad Sergium vim & auctoritatem habuerit dogmaticæ & Apoſtolicæ definitionis. 249.
Utrum major pars Epiſcoporum, tùm Orientis tùm Occidentis, Epiſtolam Honorii cognoverit, & probaverit expreſſo vel tacito conſenſu. 252.
ARTICULUS V. *An & quæ unanimitas ſuffragiorum in Epiſcopis neceſſaria ſit ad firmam & inconcuſſam ferendæ vel latæ definitionis auctoritatem.* 257.
CONCLUSIO. *Ad robur & firmitatem dogmaticæ definitionis neceſſaria eſt ac ſufficit moralis Epiſcoporum unanimitas, quam non impedit paucorum reſiſtentia. Diſtinctio verò unanimitatis antecedentis & conſequentis, ſenſu expoſito, novum eſt figmentum.* 259.

ARTICULUS VI. *Quale ſit à Chriſto inſtitutum regimen Eccleſiæ.* 263.
CONCLUSIO. *Regimen Eccleſiæ purè monarchicum non eſt, ſed Ariſtocratia temperatum.* 264.
QUÆSTIO QUARTA. *De Membris Eccleſiæ.* 266.
ARTICULUS I. *An ſoli prædeſtinati ſint vera Eccleſiæ membra.* 266.
CONCLUSIO. *Nec omnes, nec ſoli prædeſtinati ſunt in Eccleſia Chriſti.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 268.
ARTICULUS II. *An ſoli juſti & perfecti ſint Eccleſiæ membra.* 272.
CONCLUSIO. *Non ex ſolis perfectis & juſtis conſtat Eccleſia, ſed etiam admixtos habet homines imperfectos & peccatores, etiam manifeſtos.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 274.
ARTICULUS III. *An Hæretici ſive publici ſive occulti ſint in Eccleſia.* 281.
PRIMA CONCLUSIO. *Hæretici publici ac manifeſti nullatenus ſunt in Eccleſia, in qua una ſalus haberi poteſt.* 282.
SECUNDA CONCLUSIO. *Hæretici occulti ſunt in Eccleſia, ſed imperfectè dumtaxat, & quantùm ad corpus ſeu partem externam & viſibilem.* 283.
Solvuntur Objectiones. 285.
ARTICULUS IV. *Utrum Schiſmatici ſint in Eccleſia.* 292.
CONCLUSIO. *Schiſmatici nullatenus ſunt in Eccleſia.* 293.
Solvuntur Objectiones. 295.
ARTICULUS V. *Utrum Excommunicati ſint in Eccleſia.* 302.
CONCLUSIO. *Excommunicati verè non ſunt in Eccleſia.* 303.
ARTICULUS VI. *Utrum Infideles ſint in Eccleſia.* 304.
ARTICULUS VII. *Utrum Catechumeni ſint in Eccleſia.* 305.
CONCLUSIO. *Catechumeni non ſunt actu & perfectè veræ Eccleſiæ membra.* ibid.
QUÆSTIO QUINTA. *De Capite Eccleſiæ.* 308.
ARTICULUS I. *An S. Petrus primatum habuerit ſupra alios Apoſtolos.* ibid.
CONCLUSIO. *S. Petrus primatum accepit à Chriſto ſupra alios Apoſtolos.* 309.
Prima probatio ex Scripturis. ibid.
Per petram intelligitur perſona Petri. ibid.
Petrus Eccleſiam repræſentabat; & claves datæ toti Eccleſiæ. 311.
Secunda probatio ex conſtanti SS. Patrum traditione. 313.
Ex Græcis. 314.
Ex Latinis. ibid.
Solvuntur Objectiones ex Scripturis. 316.
Solvuntur Objectiones ex SS. Patribus. 323.
ARTICULUS II. *De primatu Romani Pontificis ſupra cæteros Epiſcopos in univerſa Eccleſia.* 329.
CONCLUSIO. *Romanus Pontifex jure divino primatum honoris & juriſdictionis obtinet in Eccleſia ſupra alios Epiſcopos.* 333.
Concilia. ibid.
Sancti Patres Græci. 339.
Sancti Patres Latini. 340.
Summi Pontifices. 342.

Impe-

Imperatores. 346.
Solvuntur Objectiones. 350.
ARTICULUS III. *De auctoritate Summi Pontificis & Eccleſiæ univerſæ in cenſura Librorum, ſeu, ut vocant, in factis dogmaticis.* 361.
Utrum Eccleſia in cenſura Librorum, vel propoſitionum quæ ex illis extrahuntur, errare poſſit. ibid.
Exponitur ſtatus quæſtionis, ac variæ recenſentur Theologorum opiniones. ibid.
Status quæſtionis. ibid.
Variæ Theologorum ſententiæ. 364.
An Eccleſia uſu conſtanti ac perpetuo de ſenſu propoſitionum, Librorum & auctorum decretoriè pronuntiaverit, juncta ſimul juris & facti quæſtione; ſuoque Judicio ſubſcribi voluerit à Fidelibus, atque renuentes velut Hæreticos aut Hæreticorum fautores anathemate percuſſerit. 367.
CONCLUSIO. *Eccleſia uſu conſtanti ac perpetuo de ſenſu propoſitionum, Librorum & auctorum decretoriè pronuntiavit, juncta ſimul juris & facti quæſtione: ſuoque Judicio ſubſcribi voluit à Fidelibus, atque renuentes velut hæreticos aut hæreticorum fautores anathemate percuſſit.* ibid.
Probatur exemplis & factis hiſtoricis. ibid.
Primum exemplum à damnatione Arii, Euſebii Nicomedienſis, & Theognis Nicæni Epiſcopi. 368.
Secundum exemplum à damnatione Librorum Origenis. 372.
Tertium exemplum à damnatione Pelagii & Cæleſtii. 376.
Quartum exemplum à damnatione Neſtorii. 379.
Quintum exemplum ex Theodoreto qui in Concilio Chalcedonenſi compulſus fuit nominatim dicere anathema Neſtorio. 384.
Sextum exemplum à damnatione Eutychetis, & ſubſcriptionibus quas ejus cauſa imperavit Synodus Chalcedonenſis. 386.
Septimum exemplum à damnatione trium Capitulorum in V. Synodo generali. 389.
Octavum exemplum à Canone Concilii Lateranenſis ſub Martino I. & formula qua Concilium Conſtantienſe juſſit in cauſa Wiclefi & Joannis Hus ſuſpectos interrogari. 392.
An Eccleſia à Chriſto acceperit auctoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum, & Auctorum; ac Fideles ad ſuam ſubſcribendam ſententiam compellendi. 393.
CONCLUSIO. *Eccleſia accepit à Chriſto auctoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum & Auctorum, ac Fideles ad ſuam ſubſcribendam ſententiam compellendi; cui proinde tenentur illi acquieſcere interna mentis & judicii adhæſione, non ſolo, ut vocant, religioſo ſilentio: atque certum eſt nec errori obnoxium hujuſcemodi Eccleſiæ Judicium.* ibid.
Prima pars, conceſſam ſcilicet à Chriſto Eccleſiæ auctoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum & Auctorum, atque adigendi Fideles ad ſubſcriptionem ſuæ ſententiæ, probatur. 394.
Secunda pars, nempe teneri Fideles ex conſcientia Judicio Eccleſiæ, de ſenſu
propo-

Digitized by Google

propoſitionum, Librorum vel Auctorum, acquieſcere mentis & judicii adhæſione, non autem ſolo religioſo ſilentio, probatur. 397.
Tertia pars, nempe certum eſſe nec errori obnoxium Judicium Eccleſiæ de ſenſu propoſitionum, Librorum vel Auctorum, probatur. 408.
Solvuntur Objectiones. 421.
Solvuntur Objectiones primi ordinis. 422.
Solvuntur Objectiones ſecundi ordinis. 439.
Solvuntur Objectiones tertii ordinis. 445.
Quem ſenſum reſpiciat Eccleſia cùm de Libris vel propoſitionibus ex iis extractis pronuntiat. 447.

FINIS.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Prælectiones Theologicæ de Eccleſia Chriſti, quas in Scholis Sorbonicis habuit Honoratus Tournely*, non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 29. Novembre 1729.

{ *Gio: Franceſco Moroſini Kav. Ref.*

{ *Andrea Soranzo Proc. Ref.*

{ *Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.*

Agoſtino Gadaldini Segr.

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE ECCLESIA.

QUÆSTIO PRIMA.

De natura Eccleſiæ.

TRia præſertim ſunt, quæ rei alicujus naturam aperiunt, nomen ſcilicet, definitio, & origo.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine Eccleſiæ.

TRia hic paucis exponenda.

I. Quid ſignificet nomen Eccleſiæ.

II. Quæ ſint præcipua nomina quibus in Scripturis Eccleſia inſignitur.

III. Quibus figuris adumbrata fuerit in Scripturis Eccleſia.

Quid ſignificet nomen Eccleſiæ.

Eccleſiæ nomen græcum eſt derivatum à verbo, ἐκκαλέω, quod eſt *evoco, congrego*. Eccleſia igitur juxta litteralem & grammaticalem ſignificationem, eſt evocatio. *Aptè*, inquit S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 18. *Eccleſia vocatur, quaſi dicas convocatio, propter omnium convocationem & congregationem*. *Edit. Pariſ. 1650. p. 221. A.*

Atque hoc generali & grammaticali ſenſu, quilibet conventus ſeu congregatio etiam civilis ac politica Eccleſia vocatur. Sic Pſalmo 25. v. 5.

Davidait: *Odivi Eccleſiam malignantium*. Et Pſal. 106. v. 32. *Exaltent eum in Eccleſia plebis*. Quo poſtremo in loco, Eccleſia pro conventu civili & politico uſurpatur, ſicut & Act. 19. v. 32. Conventus Epheſinus vocatur *Eccleſia confuſa*: de quo rurſus v. 40. dicitur, *Dimiſit Eccleſiam*.

At verò uſu Eccleſiaſtico Eccleſiam hìc uſurpamus ad ſignificandam fidelium ſocietatem ſeu congregationem: quo ſenſu ab Apoſtolo ſumitur Rom. 16. v. 16. cùm ait: *Salutant vos Eccleſiæ Chriſti*. Et v. 23. *Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia*.

Aliquando etiam in Scripturis Eccleſiæ vocabulum ſignificat ipſum locum in quo congregantur fideles ad preces fundendas & ſacra Deo facienda. Quo ſenſu ſumpſit Apoſtolus, cùm 1. Cor. 11. v. 18. dixit: *Primùm quidem convenientibus omnibus in Eccleſiam*. Ac ſubinde addit v. 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum aut libendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Et Judith. 6. v. 21. *Convocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt*.

Edit. Colon. To. 2. p. 43. C. Strictè ac propriè nomen Eccleſiæ hìc ſignificat ſocietatem ſeu cœtum vocatorum. *Quia*, inquit Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia cap. 1. *nemo ad hunc populum ſe adjungit per ſe & ſuo proprio inſtinctu; ſed omnes quotquot veniunt, à Dei vocatione præveniuntur. Eſt enim vocatio primum beneficium quod Sancti à Deo recipiunt. Quos vocavit*, inquit Apoſtolus Rom. 8. *hos juſtificavit: quos juſtificavit, hos & magnificavit*. Obſervat ibid. ex Auguſtino *Ib. D.* in Pſalm. 81: *quòd etſi eadem ſit Eccleſia veteris Teſtamenti & novi, quoad eſſentiam; tamen quia ſtatus Eccleſiæ novi Teſtamenti eſt longè excellentior, ideo etiam nomina ſint diſtincta. Nam populus veteris Teſtamenti propriè dicitur Synagoga, id eſt, congregatio; populus novi Teſtamenti nuſquam dicitur Synagoga, ſed ſemper Eccleſia, id eſt evocatio. Congregari enim commune eſt hominibus cum beſtiis: at evocari proprium eſt hominum*.

Hoc utriuſque nominis diſcrimen aſſignat auctor antiquus apud S. Hieronymum Comment. in caput 5. Proverbiorum. *Edit. nov. T. 5. p. 533.* *Eccleſia & Synagoga*, inquit, *græca nomina ſunt, & unam eandemque rem latinè ſignificant; id eſt, conventum plurimorum ad invicem. Si autem ſubtiliùs diſtinguantur, Eccleſia convocatio, & Synagoga congregatio interpretatur. Et vetus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur: nunc autem gratia diſtinctionis, ille Synagoga, noſter Eccleſia dicitur, merito ſcilicet fidei & ſcientiæ majoris: quia & irrationalis creatura poteſt congregari*.

Jam verò Eccleſiæ nomen pro congregatione multorum uſurpatum, aliquando in malam partem ſumitur, ut Pſalm. 25. v. 5. *Odivi Eccleſiam malignantium*. Aliquando verò ac frequentiùs in bonam, ut Pſalm. 149. v. 1. *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum*.

Hoc poſteriori ſenſu Eccleſiæ nomen ad certam fidelium ſocietatem determinatum, pluribus modis ſumitur.

I. Pro iis fidelibus qui in una eademque domo & familia commorantur: ſic Apoſtolus Rom. 16. v. 3. & 5. jubet ſalutari Priſcam & Aquilam, & domeſticam eorum Eccleſiam.

II. Pro ea fidelium ſocietate qui certa quadam in Parochia ſub cura Paſtoris & Parochi degunt; ita paſſim apud Scriptores Eccleſiaſticos.

III. Pro cętu fidelium qui totus in una Civitate uni ſubjicitur Epiſcopo.

copo. Quo ſenſu loqui videtur Apoſtolus 1. Cor. 1. v. 1. & 2. *Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi*. Videtur enim ibi intelligere Eccleſiam Epiſcopalem & primariam totius Civitatis ac Diœceſis, quæ ſimul cum pluribus Eccleſiis inferioribus & ſubditis, unam conſtituit Eccleſiam Epiſcopalem ſub uno & eodem Epiſcopo: in majoribus enim dumtaxat Civitatibus Epiſcopi conſtituebantur.

IV. Pro ea fidelium ſocietate quæ pluribus in Civitatibus ac Diœceſibus, adeoque in una Provincia, vel etiam ampliori ditione & regione, natione, aut Regno, aut etiam ampliſſima totius terrarum orbis parte, uni & eidem Epiſcopo ſuperioris gradus, qualis eſt Archiepiſcopus, Primas, aut Patriarcha, ſubjicitur. Talem Apoſtolus innuit Eccleſiam Chriſti in Creta fuiſſe: ſicque in ea Inſula, quæ ſatis ampla eſt & centum Civitates olim habuiſſe dicitur, ſe Titum inſtituiſſe & reliquiſſe, non ut ſimplicem Epiſcopum, ſed veluti Primatem & Archiepiſcopum, ut ordinaret per Civitates Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos. Ad Titum 1. v. 5. *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros*. Quo loco, *Presbyterorum* nomine intelligendos eſſe Epiſcopos, patet ex v. 7. ubi ait: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*.

V. Sumitur interdum Eccleſiæ vocabulum, pro ipſo Tribunali Eccleſiæ, ſeu pro ipſo Præſule & Paſtore Eccleſiæ, cujus eſt regere plebem ſibi à Deo commiſſam: juxta illud Chriſti Matth. 18. v. 17. ubi agitur de correctione fraterna: *Si autem non audierit, dic Eccleſiæ*. Quo loco non ſignificatur ipſa populi fidelis congregatio, ſed ea dumtaxat Eccleſia penes quam poſtea dicit eſſe poteſtatem ligandi & ſolvendi: illi autem ſunt Paſtores Eccleſiæ, quibus datum à Deo eſt regere ſubditos fideles. Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*: quem textum de Epiſcopis intelligit Synodus Trid. ſeſſ. 23. cap. 4.

VI. denique, ſumitur Eccleſiæ nomen ad ſignificandam univerſam Chriſtianorum gentem, ſeu quoquo verſum diffuſam atque inde diſtributam, ſeu coactam & in unum Concilium congregatam. Sic enim ſolemus loqui, cùm referimus Eccleſiæ ſenſum, vel aliquam ejus definitionem: Ita tenet Eccleſia, ſcilicet ubique gentium diffuſa: Ita definit Eccleſia, ſcilicet ſynodicè congregata.

Unde non immeritò Concilium Oecumenicum vocamus Eccleſiam; ſiquidem univerſalem Eccleſiam repræſentat: quandoquidem Epiſcopi qui eò conveniunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſunt vocati, ibique non privato ſuo nomine agunt, ſed publicas ſuſtinent Eccleſiæ ſuæ partes, cujus ipſi loco ſunt. Sicut enim, ut ait Philoſophus Ethicorum 9. capite 9. civitas id eſſe maximè dicitur, quod eſt in ea principale: inde enim quæ Principes ac Gubernatores civitatis faciunt & ſentiunt, ea civitas ipſa facere & ſentire dicitur; ita quod Epiſcopi in Concilium Oecumenicum coacti decernunt, ea Eccleſia ipſa univerſa decernere dicitur. Epiſcopi etenim teſtes ſunt ac Judices fidei & traditionis quæ in ſuis viget Eccleſiis; adeoque communem totius Eccleſiæ per orbem diffuſæ referunt, quando in Conciliis Oecumenicis congregantur. Hanc ob cauſam Concilium Hieroſolymitanum

 Act. 15.

Act. 15. v. 2. aſſeritur fuiſſe ex *omni Eccleſia;* quamquam ei non interfuerint ſinguli Chriſtianam Religionem tunc profeſſi, ſive ex urbe Roma, ſive Antiochia, ſive aliunde: imò ex Apoſtolis quinque dumtaxat adfuerint præſentes, nempe Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus & Barnabas. *Placuit*, inquit S. Lucas, *Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia.*

Hinc Synodicæ Conſtitutiones à tota Eccleſia dimanare cenſentur. Hinc etiam Synodus Conſtantienſis & Baſileenſis ſuas definitiones ab his verbis inchoant: *Sacroſancta Synodus Eccleſiam univerſalem repræſentans.* Atque hoc ſenſu, Concilium totius Orbis, dici ſolet tota Orbis Eccleſia: Nationale, tota Nationis illius Eccleſia: Provinciale, tota Provinciæ Eccleſia: Diæceſanum, tota Diæceſeos Eccleſia: hoc etiam ſenſu, Concilia Nationis Gallicanæ dicimus Eccleſiam Gallicanam. Hoc ſenſu à nobis ſumetur Eccleſiæ nomen in toto hujuſce Tractatus decurſu; nempe pro ſocietate eorum qui veram Chriſti fidem profitentur, & in unum Religionis corpus coeunt; ſive complectatur omnes fideles per totum Orbem diſperſos, ſive Paſtores & Epiſcopos alicujus gentis, Nationis, Provinciæ vel Regni.

Quæ ſint præcipua nomina quibus in Scripturis Eccleſia deſignatur.

Varia hæc nomina quibus per metaphoram ac periphraſim in Scripturis paſſim deſignatur Eccleſia, eò dumtaxat tendunt, ut ipſius dignitatem, excellentiam, aliaſque eximias dotes illuſtrent, oculiſque noſtris veluti ſubjiciant.

Dicitur

I. Domus Dei. 1. ad Timoth. 3. v. 15. *Ut ſcias quomodo te oporteat in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi.* Domus quidem, propter aptam fidelium inter ſe diſpoſitionem: Dei verò, quia Deus in ea colitur, & ſpeciali modo inhabitat, juxta Pſalm. 25. v. 8. *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

II. *Caſtrorum acies ordinata*, & quidem eo nomine *terribilis*. Canticorum 6. v. 10. Quæ nempe adversùs omnes Chriſti ac veræ Religionis hoſtes, immota & inconcuſſa ſemper permanebit.

III. Civitas Dei, juxta illud Pſalm. 47. v. 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in Civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.* Dicitur autem Civitas, propter unitatem & conjunctionem inter fideles: dicitur Dei noſtri, quia ſcilicet fundavit eam Deus in æternum, non ad tempus, ſicut Tabernaculum Moyſis.

IV. *Civitas ſupra montem poſita.* Matth. 5. v. 14. *Civitas in quadro poſita.* Apocalypſis 21. v. 16. Quibus ſignificatur Eccleſiæ viſibilitas ac firmitas.

V. *Regnum Dei*, ſive *Celorum*, ut ſæpè dicitur Matt. 13.

VI. Templum Dei. 1. Corinth. 3. v. 16. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

VII. *Tabernaculum Dei.* Apocal. 21. v. 3.

VIII. Semen Abrahæ. Galath. 3. v. 29. *Omnes vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Si autem vos Chriſti; ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes.* Ex quibus verbis infert S. Auguſt. in Expoſitione hujus Epiſtolæ, non

non modò Chriſtum eſſe ſemen Abrahæ, verùm etiam ipſam Eccleſiam.

IX. Corpus Chriſti. Sic eam vocat Apoſtolus ad Coloſſenſes 1. v. 25. *Pro Corpore Chriſti quod eſt Eccleſia; cujus factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem Dei.* Dicitur autem Corpus Chriſti, non tantùm quia Chriſtus regit Eccleſiam & ipſi præeſt; ſed quia etiam in eam influit occulta quadam ſubminiſtratione Spiritus & gratiæ.

X. Ovile Chriſti, quia continet oves Chriſti, quas ipſe paſcit verbo doctrinæ & Sacramentis.

XI. Sponſa Chriſti. Cantic. 4. v. 8. *Veni de Libano, ſponſa mea: veni:* quia ſcilicet Chriſto juncta eſt indiſſolubili amoris vinculo, juxta illud Canticorum 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Quid ſponſa,* ait S. Bernardus Serm. 68. in Cantica, *niſi congregatio juſtorum? Quid ipſa, niſi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem ſponſi?* *Ed. Mab. 1690 To. 1. p. 1505. C.*

Quibus figuris adumbrata fuerit in Scripturis Eccleſia.

Variis figuris expreſſam legimus Eccleſiam in veteri & novo Teſtamento.

Figuræ Eccleſiæ in veteri Teſtamento.

Ex veteri Teſtamento referemus primùm eas quæ contigerunt ante Legem, deindè alias quas contigiſſe legimus ſtante Lege.

Ante Legem prima Eccleſiæ figura fuit Paradiſus terreſtris, cum quo quanta ſit Eccleſiæ affinitas & ſimilitudo, explicat S. Aug. Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. *Eccleſia,* inquit, *Paradiſo comparata, indicat nobis poſſe quidem ejus Baptiſmum homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradiſi, ſicut Scriptura teſtatur, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe commemorantur; & per quas terras fluant, & quia extra Paradiſum conſtituta ſunt, omnibus notum eſt; nec tamen in Meſopotamia vel in Ægypto, quò illa flumina pervenerunt, eſt felicitas vitæ quæ in Paradiſo commemoratur. Ita fit, ut cùm Paradiſi aqua ſit extra Paradiſum, beatitudo tamen non ſit niſi intra Paradiſum. Sic ergo Baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam, munus autem beatæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur.* Paradiſus. *Edit. nov. T. 9. p. 121. E.*

Secunda fuit ipſa Eva: quo pacto autem ipſa Eccleſiam expreſſerit & repræſentaverit, explicat S. Auguſtinus Tract. 9. in Joann. *Dormivit,* inquit, *Adam ut fiat Eva: moritur Chriſtus ut fiat Eccleſia. Dormienti Adæ, fit Eva de latere: mortuo Chriſto, lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta quibus formetur Eccleſia. Cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata ſunt?* Eva. *To. 3. p. 2. p. 365. C.*

Tertia fuit Arca Noe; cui in eo præſertim ſimilem fuiſſe Eccleſiam affirmat S. Auguſtinus Lib. 12. contra Fauſtum Manichæum cap. 14. 15. 16. & 17. 1. Quòd quemadmodum temporibus Noe extra Arcam nulli patebat ad ſalutem aditus; ita nec quiſquam extra Eccleſiam poſſit ad vitam æternam pervenire. 2. Sicut in Arca ſimul erant munda & immunda animalia, ita in Eccleſia probi ſunt ſimul & improbi. 3. Sicut in Arcam nonniſi à la- Arca Noe.

tere ingreſſus patebat, ita nonniſi à latere Chriſti, à quo fluxerunt Sacramenta, in Eccleſiam quis ingredi poteſt. Eandem Eccleſiæ figuram in Arca Noe expreſſam refert S. Hieronymus Epiſtola 14. aliàs 57. ad Damaſum.

Plures uxores Patriarcharum. Quarta figura fuit in veterum Patriarcharum uxoribus; imprimis Sara uxore Abrahami, Rebecca Iſaaci, Rachele & Lia Jacobi: atque in eo præcipuè poſitam eſſe comparationem obſervat S. Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo contra Donat. cap. 15. & ſeq. quòd ſicut matronæ illæ inſignis & magnæ gentis matres extiterunt, & liberos non tantùm ex ſinu ſuo pepererunt, ſed etiam ex ancillarum utero, in quos jus habebant; ſic & Eccleſia non tantùm in ſinu ſuo parit filios, ſed & de ancillarum ſinu, hoc eſt, in ipſo Hæreticorum gremio. *To. 9. p. 91. E.* *Eccleſia*, inquit cap. 15. n. 23. *omnes per Baptiſmum parit, ſive apud ſe, id eſt, in utero ſuo; ſive extra ſe de ſemine viri ſui: ſive de ſe, ſive de ancilla.* Unde infert S. Auguſtinus in Donatiſtas, aliquos naſci Eccleſiæ filios in hæretica ſecta, & Baptiſmum Hæreticorum valere; atque in iis, qui ab Hæretico aliquo baptiſantur, nonnullos eſſe Aſer ſimiles, qui unitatis ſtudioſi deſerunt ſectam in qua initiati ſunt, & revertuntur in Eccleſiam quam per Baptiſmum ubicunque tandem perceptum ingreſſi fuerant: alios verò Iſmaeli ſimiles eſſe, qui quamvis Eccleſiæ fuiſſent nati ex hæretica ſocietate, ſicut natus fuerat Iſmael ex Agar ancilla, quia tamen in fraterna diſcordia perſeveraverunt, idcirco fuerunt hæreditate paterna privati, atque in ſervili conditione remanſerunt.

Tempore autem Legis Moſaicæ, duæ inſigniores præceſſerunt Eccleſiæ figuræ.

Prima fuit in Templo Jeroſolymitano, ad quod Judæi omnes ex Legis præcepto accedere tenebantur, ut celebrarent Paſcha & ſua Deo ſacrificia offerrent; adeo ut profanus haberetur, quicunque extra urbem Jeroſolymam paſchalem agnum ederet aut alia ſacra faceret: quo quidem Templo ſignificabatur Eccleſiæ Catholicæ unitas & amplitudo, in quam gentes omnes undequaque confluerent; & extra quam nulli eſſet ſperanda ſalus. Ita paſſim explicat S. Auguſtinus.

Secunda legitur Danielis cap. 2. v. 35. ubi lapis tum primùm tenuis, magnum tandem in montem excreſcit, totumque in orbem diffunditur, & univerſam terræ faciem implet. Quod de Eccleſiæ diffuſione in omnes gentes intelligendum eſſe obſervat S. Auguſtinus paſſim ſcribens contra Donatiſtas, & præſertim Tractatu 4. in Evangelium Joann.

Figuræ & Parabolæ quibus deſignatur Eccleſia in novo Teſtamento.

Non tantùm in veteri Teſtamento figuris expreſſa fuit Eccleſia Chriſti, ſed etiam in novo; quibus & Parabolas jungemus, per quas ipſe Chriſtus Eccleſiæ ſuæ caracteres & dotes delineavit.

Vas quod vidit S. Petrus. Tres autem figuras hìc ſolùm referemus.

Prima fuit vas illud ingens linteum quod vidit S. Petrus, ubi ipſi oſtendit Deus gentes eſſe ad fidem divinam admittendas: qua quidem in imagine exprimi Eccleſiæ amplitudinem & diffuſionem in totum orbem, & ejus aditum omnibus gentibus patentem, multis in locis aſſerit S. Auguſtinus.

Piſcatio. Secunda figura fuit piſcatio juſſu Chriſti facta, quæ quidem duplex refertur

in

in Evangelio. Altera ante Chriſti mortem, Lucæ 5. Altera poſt ejus reſurre-ctionem, Joan. 21. Eccleſiam utraque illa piſcatione ſignificari obſervant paſ-ſim SS. Patres. Inter alios S. Aug. Serm. 248. aliàs 148. de tempore: in Pſalm. 49. & Tract. 122. in Joan. Et S. Gregorius homil. 24. in Evangelia. Priori qui-dem piſcatione, in qua ſpecialiter non jubetur in quam partem mitti debet re-te, præſens Eccleſia deſignatur, quæ bonos ſimul & malos colligit, nec eligit quos trahat; quia quos eligere poſſit, ignorat; quæ Schiſmatibus obnoxia eſt, ſeu ex qua recedere poſſunt aliqui diſrupta unitate. Poſteriori autem exprimi-tur Eccleſia jam in Cœlis triumphans, in qua & multi piſces & magni capiuntur, & rete non rumpitur; quia ſcilicet ſancta electorum Eccleſia in continua au-ctoris ſui pace requieſcens, nullis jam diſſentionibus agitatur aut turbatur.

Tertia figura fuit Veſtis Dominica, ſeu tunica Chriſti inconſutilis, quam de Eccleſia interpretatur S. Auguſtinus Tract. 118. in Joan. ubi explicans illa verba Pſalm. 21. v. 19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, quærit quid ſignificet veſtimentorum in tot partes facta divi-ſio, & ipſa tunicæ ſortitio. Ad primum ſic reſpondet: *Quadripartita veſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam, toto* ſcili-cet, *qui quatuor partibus conſtat, terrarum orbe diffuſam.* Ad ſecundum ſic: *Tunica verò illa ſortita, omnium partium ſignificat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur.* Et poſtea .... *Meritò ergo veſtis, quia* (charitas) *ſignificatur, deſuper contexta perhibetur: Inconſutilis autem, ne aliquando diſſuatur: & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit.* Idem ante S. Auguſtinum ſcri-pſerant SS. Hieronymus in Pſalm. 21. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ, Ter-tullianus Lib. de Oratione cap. 2. & Lib. ad Martyres cap. 1. Atque hæc de figu-ris; nunc de parabolis quibus Chriſtus Eccleſiam adumbravit.

Veſtis Domini.

To. 3. p. 2. pag. 800. E.

Ibid.

Ibid. F.

Parabolæ.

Quinque ſunt numero.

Prima parabola eſt Agri in quo cùm Paterfamilias zizania & immundas ſe-getes cum tritico permiſceri animadvertiſſet, noluit avelli à ſervis, ſed per-mittit ſimul creſcere uſque ad meſſem; ne fortè bonum ſimul cum malo tritico evelleretur. Extat hæc parabola apud S. Matth. cap. 13. v. 24. Hanc autem interpretatur S. Auguſt. de Eccleſia, Serm. 88. aliàs 18. de verbis Domini ſub finem: vultque per agrum qui præfert mundum, ſignificari Eccleſiam to-tum in orbem diffuſam; atque vel ex eo unico momento convinci putat Do-natiſtas, non extare apud ipſos Eccleſiam Catholicam; quandoquidem eo-rum Eccleſia in totum orbem diffuſa non ſit, ſed in Africæ angulum ſit redacta; ipſique præterea profiteantur, ſceleratos & peccatores ab Eccleſiæ ſinu arceri, cùm tamen parabola illa demonſtret eos in ea etiam includi; ſicut malum cum bono tritico in agro permiſcetur.

Ager.

Secunda parabola eſt Sagenæ, quæ miſſa in mare piſces ex omni genere con-gregat: atque hoc exemplo ſæpiſſimè D. Auguſtinus confutat Donatiſtas, inde probans in Eccleſia malos bonis eſſe permixtos, nec ſeparandos niſi in conſummatione ſæculi, ſicut piſces à piſcatoribus in littore ſeparantur. Ita S. Aug. Tract. 122. in Joann. Serm. 241. aliàs 4. de diverſis. Collatione 3. cum Donatiſtis. In Pſalm. 64. & Lib. 83. quæſtionum, qu. 81.

Matt. 13. v. 17. Sagena.

Tertia eſt Paſcuorum, Matth. 25. v. 32. & ſeq. ubi ſunt hirci ſimul cum arie-tibus, & hædi cum ovibus; quam quidem explicat ſanctus Auguſtinus Sermo-ne 47. de probis & improbis, qui ſimul in ejuſdem Eccleſiæ ſinu exiſtentes, iiſdem

Paſcua.

A 4 cibis,

cibis, ſcilicet Sacramentis, eodemque Dei verbo fruuntur, & qui aliquando in extremo die ab invicem ſunt ſecernendi.

Convivium. Quarta eſt Convivii nuptialis quod deſcribitur Matth. 22. ubi per regnum Cœlorum Eccleſiam intelligi vult ſanctus Auguſtinus, in quam adſcribi poteſt quiſquis voluerit; & in qua idcirco improbi ſunt ſimul cum probis, donec abſoluta tandem cœna, hoc eſt exacto hujus vitæ mortalis tempore, qui inventi fuerint ſine veſte nuptiali, hoc eſt, charitate vacui, ſegregentur ab aliis & mittentur in tenebras exteriores, ſcilicet in infernum.

Area. Quinta eſt Areæ quæ propoſita à S. Joanne legitur Matth. 3. v. 12. & Lucæ 3. v. 17. ubi Chriſtus dicitur habere ventilabrum in manu ſua, quò mundaturus eſt aream ſuam, ut frumenta recondat in horreo, paleas autem comburat.

Quidam è ſanctis Patribus, ut S. Irenæus Lib. 3. de hæreſib. cap. 3. Tertullianus Lib. de fuga in perſecutionibus cap. 1. intelligi volunt hanc parabolam de Tyrannorum perſecutionibus, quæ Eccleſiam exerceant, & viros conſtantes ac firmos in fide ſecernant ab aliis.

At S. Auguſtinus & alii intelligunt per illam aream, ipſam Chriſti Eccleſiam, quæ bonos & malos habet ſimul, ſicut area frumentum & paleam: cùm autem ventilationis tempus advenerit, tunc palea grano permixta, hoc eſt, boni à malis, Chriſto ipſo pronuntiante, ſunt ſecernendi. Lege Auguſtinum Lib. 7. Quæſtionum ſuper Judices, q. 49. Lib. 13. contra Fauſtum cap. 32. Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 5. in Pſalm. 45. propè finem. Serm. 132. aliàs 2. de verbis Apoſtoli cap. 9.

Has quinque parabolas hoc diſtico expreſſas habes.

Eccleſiam Chriſti parabola quina figurat:
Area, convivium, retia, paſcua, ager.

ARTICULUS II.

De definitione Eccleſiæ.

Definitiones Eccleſiæ ab Hæreticis confictæ.

NOn unam & eandem ſibi efformarunt Eccleſiæ notionem & ideam Hæretici tùm veteres, tùm recentiores, de quibus Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante cap. 2.

PELAGIANI.

Pelagiani Eccleſiam definiebant, Congregationem hominum perfectorum, nullum habentium peccatum. Ita refert ſanctus Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 88. *In id etiam*, inquit, *progrediuntur, ut dicant vitam Juſtorum in hoc ſæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine ruga & macula, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe, clamat ad Deum: Dimitte nobis debita noſtra.* To. 8. p. 26. D.

NO-

NOVATIANI.

Novatiani docebant Eccleſiam eſſe cœtum hominum eo ſaltem ſenſu juſtorum, quòd nunquam lapſi fuiſſent in graviora peccata circa fidei confeſſionem: quamquam non ita perſpicuum eſt, quos illi ab Eccleſia excluſerint, an eos omnes qui in aliquod grave peccatum impegerant; an verò eos ſolùm qui in perſecutione à fide defecerant.

Quòd negaverint Eccleſiam lapſis in perſecutione, id eſt Sacrificatis & Libellaticis indulgere poſſe, atque à gremio Eccleſiæ prorſus eos excludi, patet ex ſancto Cypriano Tractatu de lapſis, & Epiſtola 57. ad Cornelium, ex Euſebio Lib. 6. Hiſt. c. 35. & Socrate Lib. 4. c. 23.

Quòd etiam quælibet delicta poſt Baptiſmum commiſſa Eccleſiæ auctoritate remitti poſſe negaverint, docet expreſsè ſanctus Epiphanius hæreſi 59.

Verùm an eos quoque, qui iſtorum criminum erant rei, voluerint ab Eccleſia amandari, non ita certum videtur.

DONATISTÆ.

Non aliis volebant illi Eccleſiam conſtare, quàm probis & ab omni crimine ſaltem graviori alienis. Videntur enim eos tantùm ab Eccleſia excluſiſſe, qui in perſecutione lapſi fuerant, Idololatras, Libellaticos &c. non alios v. g. fraudatores, mœchos & ſimiles. Unde S. Auguſtinus ſæpius adversùs illos argumentum iſtud, ad hominem, ut ajunt, contorquebat: Quare rebaptiſatis baptiſatos ab hæreticis, non verò baptiſatos ab improbis, adulteris, fraudatoribus &c.? Iſti enim, ut & alii, Spiritum ſanctum non habent, nec conſequenter communicare aliis poſſunt. Aliquando tamen videntur omnes malos excluſiſſe ab Eccleſia: unde inferebant eam anguſtam omnino eſſe & ad plagas Africæ coarctatam; nec perſpicuam & viſibilem, cùm probi ſint numero pauci, eorumque numerus lateat, pleriſque oculos fallentibus, qui videntur pii, in quibus tamen mera eſt pietatis umbra & vana penitus effigies; atque in hoc maximè poſita erat Donatiſtarum hæreſis. Quod enim de rebaptiſatione, reordinatione & iterata Confirmatione aſſerebant, ipſorum proprium non erat, nec ab iis primùm excogitatum: unde in Collatione Carthaginenſi, de ipſa Baptiſmatis innovatione nihil attigerunt Catholici, ſed unam de Eccleſia quæſtionem propoſuerunt.

VVICLEFUS.

Non alios agnovit in Eccleſia quàm prædeſtinatos; neque aliud vinculum quo partes Eccleſiæ inter ſe colligentur, quàm prædeſtinationem: ita ut omnes & ſoli prædeſtinati eſſent de Eccleſia. Ita refert Thomas Valdenſis Tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ Lib. 2. c. 8. & 9.

Eundem errorem ſecutus eſt Joannes Hus, ut colligitur ex Conc. Conſtantienſi ſeſſ. 15. ubi referuntur & damnantur ejus articuli, in quorum primo ſic legimus: *Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum* T. 12. Conc. p. 129. D. E.

rum univerſitas. Et in 5. *Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundùm præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars ſanctæ Eccleſiæ; & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licèt aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis*.

LUTHERANI.

Lutherani Eccleſiam definiunt Sanctorum congregationem. Ita disertè Articulus ſeptimus Confeſſionis Auguſtanæ. *Una ſancta Eccleſia*, inquiunt, *perpetuò manſura eſt. Eſt autem Eccleſia Chriſti propriè, Congregatio membrorum Chriſti; hoc eſt, Sanctorum qui verè credunt & obediunt Chriſto, etſi in hac vita huic Congregationi multi mali & hypocritæ admixti ſunt uſque ad noviſſimum Judicium*.

Corpus Confeſſ. Geneva pag. 13.

Hoc ipſum ab Anabaptiſtis ætate ſua doceri teſtatur Calvinus Lib. 4. Inſtitutionis, ubi illos Hæreticos *Catharis & Donatiſtis aſſentiri ait, quòd improbos ab Eccleſia arcerent*.

Diſtinguunt autem duplicem Eccleſiam, alteram veram, ad quam pertinere ajunt tot encomia & privilegia quæ referuntur in Scripturis ſacris; & in hac dicunt contineri dumtaxat eos qui verè & ſincerè obediunt Deo: at nonniſi fidei lumine viſibilem illam eſſe. Alteram externam, quæ nomen tantùm habeat Eccleſiæ; hancque deſcribunt, *Societatem hominum in doctrina fidei & Sacramentorum uſu convenientium*: Atque in iſta docent occurrere bonos ſimul & malos. Ita inter alios Philippus Melancthon & Brentius. Eadem eſt quoque Lutheri ſententia Lib. de Conciliis & Eccleſia, parte 3. ubi ait, *Papam & Cardinales idcirco non eſſe de Eccleſia, quia Sancti non ſunt*.

CALVINISTÆ.

Diſtinguunt etiam veram Eccleſiam ab externa, voluntque eam conſtare ex ſolis juſtis & prædeſtinatis. Inter alios ita ſenſit Bucerus L. 1. de regno Chriſti cap. 5.

Quænam verò ſit Calvini ſententia, non ita facilè deprehenditur; adeo vera & Catholica falſis immiſcet, ac non pauca aſſerit, quæ ſibi invicem adverſantur.

Edit. Genev. 1559. pa. 370. & ſeq.

Aliquando enim agens Catholicum aut fingens, 1. agnoſcit Eccleſiam viſibilem & externam, extra quam nulla ſit ſperanda ſalus, quamque idcirco noſſe omnibus maximè neceſſarium ſit. 2. aſſerit eam eſſe conſpicuam verbi divini prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione. 3. eam eſſe quæ dicitur ab Apoſtolo 1. ad Timoth. 3. v. 15. *Columma & firmamentum veritatis*. 4. etiam ſi non nihil vitii in Eccleſiam obrepat, ſeu circa doctrinam, ſeu circa Sacramentorum praxim, in ea tamen ſemper ſtandum eſſe; modò nec communia Religionis capita lædantur, nec in Sacramentorum collatione violetur auctoris inſtitutio. Ita L. 4. Inſtitut. circa initium.

Aliquando verò contrarium huic doctrinæ docet Lib. 4. Inſtit. cap. 1. ubi dicit Eccleſiam conſtare ex ſolis prædeſtinatis; ejuſque caracterem unicum eſſe divinam electionem, quæ cùm homines lateat ſolique Deo ſit nota, ipſam quoque aliquando latitare.

Clau-

Claudius apud Calvini diſcipulos Pariſienſes olim Miniſter, eandem Eccleſiæ notionem ſequitur, ut patet ex Libello quem inſcripſit, *Defenſio reformationis*. In prima parte illius Operis cap. 6. ſic loquitur. *Sciendum eſt*, inquit, *quid ſit vera Eccleſia viſibilis. Neque enim eſt quòd quis exiſtimet eos omnes qui hanc ſocietatem conſtituunt, eſſe veram Eccleſiam. Soli veræ Chriſtianæque fidei cultores, qui externæ illius profeſſioni ſinceram adiungunt pietatem, reipſa ſunt Chriſti Eccleſia: alii verò, improbi ſcilicet, profani & hypocritæ, ſpecie tenus & non revera ſunt Eccleſia; quia ipſis deeſt interna vocatio, quæ in fide & charitate ſita eſt.*

Jurius alter ejuſdem Sectæ Miniſter, ab ea communi & apud ſuos recepta Eccleſiæ notione recedere videtur in eo Tractatu quem ſcripſit de unitate Eccleſiæ, Roterodami an. 1688. Cùm enim demonſtrandum ſibi proponat veram Chriſti Eccleſiam complecti omnes Chriſtiani nominis Sectas; neceſſe eſt doceat, eam non ſolis conſtare prædeſtinatis, ſed bonos & malos ſimul in ſinu ſuo continere.

Marcus Antonius de Dominis eandem cum Calviniſtarum vulgo ſibi finxit Eccleſiæ ideam L. 7. de Republica Eccleſiaſtica cap. 10. ubi dicit duplicem eſſe diſtinguendam Eccleſiam: aliam præſumptivam vocat, eam ſcilicet in qua videmus ſub legitimis Miniſtris & Sacramentis fieri profeſſionem fidei in Chriſtum: aliam verò appellat veracem, quæ nempe electorum eſt, ac ſolos probos complectitur. *Præſumptivam*, inquit, *videmus; veracem credimus: neque enim poſſumus illam niſi per conjecturas indicare. Reprobi, occulti hæretici, mali Catholici ſunt in Eccleſia præſumptiva; ſoli autem prædeſtinati & probi ſunt in Eccleſia veraci*. Sic ille.

Quotquot hactenus ex Novatoribus definitiones Eccleſiæ adductæ ſunt, videntur in æquivoco hærere. Quippe ſi loco duplicis Eccleſiæ duplicem illi cum Catholicis Eccleſiæ partem, animam ſcilicet & corpus, vellent agnoſcere, facile foret eos nobiſcum in concordiam hac in parte venire. Scitè omnino Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia cap. 2. *Notandum*, inquit, *ex Auguſtino in Breviculo Collationis, Collatione tertia, Eccleſiam eſſe corpus vivum, in quo eſt anima & corpus: & quidem anima ſunt interna dona Spiritus ſancti, fides, ſpes, charitas &c. Corpus ſunt, externa profeſſio fidei, & communicatio Sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam ſint de anima & de corpore Eccleſiæ, & proinde uniti Chriſto capiti interiùs & exteriùs; & tales ſunt perfectiſſimè de Eccleſia: ſunt enim quaſi membra viva in corpore, quamvis etiam inter iſtos aliqui magis, aliqui minùs vitam participent, & aliqui etiam ſolum initium vitæ habeant, & quaſi ſenſum, ſed non motum, ut qui habent ſolam fidem ſine charitate. Rurſum aliqui ſint de anima & non de corpore, ut Catechumeni, vel excommunicati, ſi fidem & charitatem habeant, quod fieri poteſt. Denique, aliqui ſint de corpore & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen ſpe aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicant ſub regimine Paſtorum: & tales ſunt ſicut capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano*. Hæc Bellarminus. T. 2. p. 44. F.

Demus igitur Novatoribus, ſolos electos ac juſtos ad nobiliorem Eccleſiæ partem, quæ anima ipſius dicitur & in virtutibus conſiſtit, reprobos verò & malos ad illius dumtaxat corpus, hoc eſt, externam fidei profeſſionem ac eorumdem Sacramentorum participationem pertinere; id quod maximè vo-

mè vo-

Digitized by Google

mè volunt, obtinebunt, ac tota evaneſcet circa iſtud caput controverſia. Porrò Catholici Eccleſiam vulgò definiunt per id quod in ea externum eſt ac viſibile: non quòd internas negligant aut non requirant virtutes; abſit tam craſſa calumnia, ſed quòd externa fidei profeſſio & eorumdem Sacramentorum participatio ad minimùm requiritur, ut quis poſſit dici eſſe pars viſibilis Eccleſiæ.

Catholica Eccleſiæ definitio.

Nonnulla hìc præmittenda ſunt, ut intelligatur quænam ſit vera & legitima Eccleſiæ definitio.

Obſervandum I. Duplici modo poſſe conſiderari Eccleſiam; ſcilicet in genere, & quatenus abſtrahit ab hoc vel illo ſtatu in quo poſſet attendi; vel prout eſt collectio fidelium qui Chriſti fide & Sacramentis initiati ſunt.

Juxta primam conſiderationem definiri poteſt, Cœtus ſeu Societas ſanctorum ſub uno capite Chriſto ſervientium Deo.

Dicitur 1. Societas ſanctorum, ſed æquivocè; non enim eodem modo ſancti ſunt omnes qui ſunt in Eccleſia: alii enim perfectam habent ſanctitatem, quales ſunt illi de quibus loquitur Apoſtolus Hebr. 12. v. 23. qui nempe in Cœlis degunt clara Dei viſione fruentes: alii inchoatè tantùm ſancti ſunt, quales ſunt omnes qui ſunt in Eccleſia Chriſti militante in terris & peregrinante à Domino: alii denique ſola profeſſione exteriori ſancti ſunt; ſive quia ſpeciem ſanctitatis habent, virtutem autem negant; ſive quia nomen ſanctum & profeſſionem Chriſtiani tenent, qui propterea unà cum aliis ſancti vocantur. *Gens ſancta, populus acquiſitionis.* 1. Petri 2. v. 9. *Populus ſanctus.* Iſaiæ 6. v. 12.

Dicitur 2. Sub uno capite Chriſto, ut expreſsè habet Apoſtolus ad Epheſ. 1. v. 23. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ejus.* Et cap. 5. v. 23. *Vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.*

Dicitur 3. Servientium Deo: hic eſt enim primus & adæquatus finis totius Eccleſiæ, ſive militantis in hac via, ſive jam triumphum agentis in patria. Non enim ſumus *hoſpites & advenæ, ſed cives ſanctorum & domeſtici Dei*, ideoque Deo ſervientes, ut habet Apoſtolus Epheſ. 2. v. 19.

Obſervandum II. Eccleſiam juxta ſecundam conſiderationem, eſſe quoddam totum conſtans ex corpore & anima; ut mox dictum eſt, corpus nihil eſſe aliud, quàm *externam profeſſionem fidei, Sacramentorum communionem & legitimis Paſtoribus exteriorem ſubjectionem:* animam verò eſſe ipſa Spiritus ſancti dona interiora, nempe fidem, ſpem, & charitatem: adeoque Eccleſia juxta diverſas illas partes exterior eſt & interior; viſibilis & inviſibilis: exterior & viſibilis ſecundùm corpus; inviſibilis & interna ſecundùm animam.

Obſervandum III. Eccleſiam hoc modo ſumptam conſiderari poſſe vel adæquatè ſecundùm corpus & animam; ſub qua conſideratione eſſentialiter complectitur & profeſſionem externam fidei, & internam Spiritus ſancti charitatem, quæ duo conſequenter explicari debent in ejus definitione; vel inadæquatè, hoc eſt, vel ſecundùm corpus, vel ſecundùm animam. Si ſpectetur ſecundùm animam, nihil aliud eſt quàm Societas fidelium interna fide

& cha-

& charitate Chriſto conjunctorum: ſi autem ſecundùm corpus, nihil aliud eſt, quàm eorum Societas qui Chriſti fidem exteriùs profitentur, & iiſdem Sacramentis, iiſdemque Paſtoribus utuntur: atque pro varia illa conſideratione Eccleſiæ ſecundùm animam vel ſecundùm corpus, variæ leguntur apud Scriptores Eccleſiaſticos Eccleſiæ definitiones, quas immeritò nobis opponunt Novatores, quaſi ſecum invicem pugnarent; quæ reipſa non pugnant, quia variam Eccleſiæ partem exponunt.

Obſervandum IV. Eorum qui ſunt in Eccleſia hoc modo conſiderata, alios pertinere ad ejus corpus tantùm, quales ſunt peccatores: alios ad animam tantùm, qui fidem & charitatem interiùs retinent, ſed vel nondum ſunt Eccleſiæ Sacramentis initiati, ut Catechumeni, vel ſunt ab Eccleſiæ corpore exteriùs injuſtè præciſi: alios denique ad animam ſimul & corpus pertinere; quales ſunt ii qui internam fidem & charitatem ſimul jungunt cum externa fidei Chriſtianæ profeſſione, & participatione Sacramentorum. De his Bellarminus loco mox citato.

Obſervandum V. Eccleſiam vel triumphantem eſſe, vel hìc in terris militantem: neque idcirco, ait Catechiſmus Conc. Trid. p. 1. art. 9. n. 9. duas eſſe Eccleſias cenſendum eſt, ſed ejuſdem Eccleſiæ partes duas, quarum una anteceſſit & cœleſti patria jam potitur; altera in dies ſequitur, donec aliquando cum Salvatore noſtro conjuncta, in ſempiterna felicitate conquieſcat.

Militans autem vocatur Eccleſia, quòd fideles cum immaniſſimis hoſtibus, mundo, carne, ſatana perpetuum bellum gerant.

Militantis & viſibilis Eccleſiæ definitionem hìc quærimus.

Richerius Pariſienſis Theologus in Apologia pro Gerſonio, initio hanc toti Operi ſuo præfixit Eccleſiæ definitionem. *Eccleſia eſt Politia Monarchica, ad finem ſupernaturalem ſpiritualem inſtituta, regimine Ariſtocratico omnium optimo & naturæ convenientiſſimo temperata à ſummo animarũ Paſtore Domino Jeſu Chriſto.* Pag. 1.

Verùm iſta definitio 1. videtur paulò involuta. 2. nullam facit mentionem profeſſionis fidei, & communionis eorumdem Sacramentorum, nec Romani Pontificis, qui Paſtorum primus eſt ac Caput. 3. non Eccleſiam, ſed ejus dumtaxat regendæ modum ſeu rationem definire videtur Richerius, quando ait, *eam eſſe Politiam Monarchicam*: Politia enim Communitatem non tam aptè denotat, quàm gubernandæ Communitatis modum.

Alia igitur ſtatuenda nobis eſt Eccleſiæ definitio: ſit itaque

CONCLUSIO.

Rectè definitur Eccleſia: Cætus hominum unius & ejuſdem fidei Chriſtianæ profeſſione, & eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè Romani Pontificis.

Launojus Epiſtola ad Nicolaum Gatinæum, quæ eſt in parte 8. hanc definitionem, congeſtis, ut aſſolet, benè multis SS. Patrum & aliorum Scriptorum teſtimoniis, impugnare conatur, tanquam novam & ante Bellarminum ac Caniſium inauditam. Iſtud verò in ea definitione Launojum maximè offendit, quòd mentionem faciat Paſtorum à quibus regitur Eccleſia, præcipuè autem Romani Pontificis, de quibus, ait, ſiluere, quotquot à Chriſto ad Tom. 8. Edit. Pariſ. 353. & ſeq. Pa. 414.

Conc.

Pag. 419. Conc. uſque Tridentinum, & à Tridentino ad ætatem uſque Bellarmini & Caniſii, Eccleſiam definiere aut deſcripſere. *Iſtud enim Paſtorum regimen*, inquit Launojus, *ad ſtatum Eccleſiæ pertinet, non verò ad Eccleſiæ naturam & eſſentiam*.

Nihilominus rectam eſſe ac retinendam adductam definitionem.

Probatur 1. Quia in Eccleſia Chriſti duo eſſentialiter requiruntur, unio ſcilicet eorum qui illam conſtituunt, & ſubordinatio ſeu dependentia eorumdem ab iis qui ſocietatem moderantur & regunt. Cùm enim in Scripturis Eccleſia vocetur Civitas, Domus, Regnum, Ovile, Corpus, non poteſt ſub iis titulis & imaginibus concipi ſine unione membrorum & dependentia ab iis qui præſunt: atqui in definitione adducta hæc duo explicantur, unio ſcilicet, quæ fit per eandem fidei profeſſionem & eorumdem Sacramentorum communionem; & ſubordinatio, per dependentiam à legitimis Paſtoribus ac præcipuè Romano Pontifice.

Præterea certum eſt, ut poſtea oſtendemus, eſſe in Eccleſia activam judicii, doctrinæ, ac regiminis auctoritatem planè indefectibilem ac infallibilem: ſed hæc auctoritas Laicis non competit; ergo Miniſtris à Deo inſtitutis propria eſt, quos qui audit, Chriſtum ipſum audit. Ergo concipi non poteſt nec rectè definiri Eccleſia, ſine illis Miniſtris legitimis, quorum jure divino primus & Caput eſt honore ac juriſdictione Romanus Pontifex. Hinc etiam non minùs certum, eſſe in Eccleſia Paſtores, qui doceant, & populum fidelem, qui docendus eſt: de quibus Chriſtus Matth. 18. v. 16. *Si te non audierit ... dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*. Et Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei*.

Probatur 2. Quia illa definitio legitima eſt, quæ complectitur omnes partes Eccleſiæ, & ab ea removet quidquid ab ea eſt removendum: atqui talis eſt prædicta definitio. Tria enim in illa notantur, quorum ſi unum deſit, non poteſt quis cenſeri de corpore & de gremio Eccleſiæ; ſcilicet profeſſio fidei Chriſtianæ, Sacramentorum communio, ſubjectio legitimis Paſtoribus.

Defectu primæ conditionis, excluduntur omnes infideles & hæretici.

Defectu ſecundæ, excluduntur vel qui nunquam fuere ad communionem Sacramentorum admiſſi, quales ſunt Catechumeni; vel qui per Eccleſiæ cenſuram ab eorumdem communione ſunt præciſi, quales ſunt excommunicati.

Defectu tertiæ conditionis, excluduntur ſchiſmatici, qui tametſi fidem habeant & Sacramenta, legitimo tamen Paſtori non obtemperant, atque idcirco foris extra Eccleſiam fidem profitentur & Sacramenta recipiunt.

Probatur 3. Quia nova non eſt, ut fingit Launojus, Eccleſiæ definitio aut deſcriptio, in qua mentio fiat Paſtorum quibus regitur, & obtemperare debent fideles.

Ed. Rigalt. p. 118. S. Cyprianus in Epiſtola 69. ad Pupianum. *Illi*, inquit, *ſunt Eccleſia, plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens*. Quibus paucis verbis evertit ſanctus Doctor prætenſam Launoji traditionem. Pluribus verò ibidem urget neceſſitatem quæ omnibus fidelibus incumbit, ſubjiciendi ſe legitimo

Ibidem. Paſtori. *Scire debes*, pergit, *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe; & fruſtra ſibi blandiri eos, qui cum Sacerdotibus Dei pacem non habentes, obrepunt & latenter*

apud

apud quoſdam communicare ſe credunt; quando quæ Eccleſia Catholica eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata.

Fruſtra verò notat Launojus, S. Cyprianum de Eccleſia ſimpliciter & abſolutè non loqui, *ſed comparatè, habito nempe reſpectu ad Eccleſiam Romanam, tempore ſchiſmatis, quando propter inſtitutos ſimul Antiſtites duos, ſchiſma excitatum fuerat.* T. 8. Ep. p. 359. Tùm quia id à vero alienum videtur: etſi enim occaſione Eccleſiæ Romanæ illa ſcripſerit S. Cyprianus, non tamen de Eccleſia Romana ſpeciatim. Tùm quia ſi occaſione ſchiſmatis Eccleſiæ Romanæ, rectè S. Cyprianus in definitione illius Eccleſiæ meminit unius ejus Paſtoris; cur Bellarmino contra hæreticos, qui ab Eccleſia Catholica deſciverant & Eccleſiaſticam hierarchiam negabant, nefas fuit Eccleſiam Catholicam ita deſcribere, ut ſubjectionis legitimis Paſtoribus, ac præſertim S. Pontifici, mentionem faceret?

Nec juvat quod addit Launojus, ſubjectionem illam legitimis Paſtoribus ad ſtatum & conditionem Eccleſiæ præſentis, non ad ejus eſſentiam pertinere: namque, ut jam obſervavimus, militantis in præſenti ſtatu Eccleſiæ definitionem afferre nobis & cæteris Theologis animus eſt; vitioſa igitur non eſt mentio Paſtorum legitimorum, in hac præſertim circumſtantia qua ſcribebat Bellarminus. Cùm enim Lutherani & Calviniſtæ ſuis cœtibus Eccleſiæ deſcriptionem à pleriſque Scriptoribus Eccleſiaſticis allatam accommodarent, neceſſe fuit ad diſtinguendam verorum fidelium Congregationem à Synagogis ſatanæ, ut aliquid adjungeretur, per quod ab illis poſſet diſcerni. Potuerunt alii Eccleſiam iis verbis definire quæ huic deſignandæ ſufficerent; Bellarmino neceſſe fuit definitionem ponere, quam ejus adverſarii ſuis Conventiculis adaptare non poſſent.

Aliis in locis paſſim inculcat ſanctus Doctor, communionem cum Romano Pontifice & dependentiam ab eodem neceſſariam eſſe ad unitatem Eccleſiæ conſervandam. Lib. de unitate Eccleſiæ, poſtquam retulit verba Chriſti ad S. Petrum Matth. 16. v. 18. & 19. & Joan. 21. v. 16. & 17. ſic pergit: *Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat.... tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* P. 180. Et poſtea: *Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* Ibid. Et Epiſt. 45. ad Cornelium, de Cathedra Eccleſiæ Romanæ ſic loquitur: *Scimus nos hortatos eos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent ac tenerent.* Pag. 59. Et Epiſt. 55. ad eundem, Cathedram Petri vocat *Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Pag. 84.

Ante S. Cyprianum S. Irenæus L. 3. adversùs hæreſes cap. 3. ſucceſſionis Paſtorum in Eccleſia, præſertim verò Romana, mentionem facit. Poſtquam enim dixit, optimum inveniendæ veritatis modum eſſe ipſam Traditionem Apoſtolorum in omnibus Eccleſiis manifeſtatam, & poſſe annumerari ipſos ab Apoſtolis inſtitutos Epiſcopos, qui nihil unquam ſimile Hæreticis docuerunt, addit: *Quoniam valdè longum eſt omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet* Edit. nov. p. 175. col. 2.

bet ab Apoſtolis Traditionem & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, Traditio. Deinde ſeriem & ſucceſſionem Epiſcoporum Romanorum ſubjungit uſque ad Eleutherium, qui tunc temporis ſedebat; qua finita ſic concludit: *Hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditio, & veritatis præconiatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, unam & eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, & tradita in veritate.*

Ibid. p. 176. col. 2.

Tertullianus L. de Præſcriptionibus cap. 31. referens argumenta quibus via præſcriptionis errores hæreticorum evertuntur, poſtquam iſtud ſtatuit principium, *id eſſe Dominicum & verum, quod ſit priùs traditum: id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Cæterùm,* inquit, *ſi quę audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt; poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum; evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſevaverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum à Joanne conlocatum refert: ſicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum itidem. Perinde utique & cæterę exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Quibus verbis ſucceſſionem Apoſtolicam in veris & Apoſtolicis Eccleſiis requirit Tertullianus, adeoque exiſtimabat ad rationem veræ Eccleſiæ neceſſariam eſſe Paſtorum legitimam ſucceſſionem, iiſque debitam obedientiam; quos, niſi Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris ſuccedant, tanquam legitimos & veros Chriſti ſponſæ Miniſtros ac Paſtores non agnoſcit.

Ed. Rigalt. p. 213. B.

S. Optatus Lib. 2. contra Parmenianum, poſtquam deſcripſit dotes & characteres Eccleſiæ Catholicæ, ſubjungit & dependentiam à legitimis Paſtoribus in quibus occurrit illa ſucceſſio, & præſertim ab Epiſcopo Romano qui ſedet in Cathedra Petri; & poſtea refert eos omnes qui à S. Petro uſque ad Siricium hanc Sedem occupaverunt. *In qua una Cathedra,* inquit, *unitas ab omnibus ſervatur... ut jam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Et paulò poſt: *Veſtræ Cathedrę vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.*

Edit. Pariſ. 1700. p. 28. Ibid.

S. Hieronymus in Epiſt. ad Damaſum: *Ego,* inquit, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt.... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, ſpargit.*

Tom. 4. part. 2. 19. Ib. p. 20.

S. Auguſtinus Epiſtola 55. aliàs 165. ad Generoſum, inter argumenta quibus probat veram Eccleſiam non eſſe apud Donatiſtas, illud potiſſimum affert, quod petitur ex ſucceſſione Epiſcoporum, præſertimque Romanorum, quorum quoque ſeriem texit à Petro ad Anaſtaſium uſq; qui tunc temporis

ris

ris hanc regebat Eccleſiam. *In hoc ordine ſucceſſionis*, inquit, *nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur. Sed ex tranſverſo ex Africa ordinatum miſerunt, qui paucis præſidens Afris in Urbe Roma Montenſium vocabulum propagavit.*

T. 2. p. 121. A. B.

Donatiſtæ Montenſes dicebãtur, eò quòd Eccleſiã Romę primã in monte habere cœperint.

Hanc à Veteribus ad ſe tranſmiſſam doctrinam retinuere poſteriores Summi Pontifices: inter quos Gregorius IX. ſæculo 13. Epiſt. 198. Libri 13. ſic loquitur. *Licèt plures populi in cultum ſint Catholicæ fidei congregati, omnes tamen una conſentur Eccleſia, dum uni Capiti Chriſti Vicario & B. Petri ſucceſſori cervice reverentiam exhibent. Reliqui verò qui ejuſdem Capitis ſe non membra conſtituunt, quaſi monſtra ſine capite in viam perditionis abſcedunt: quia ſicut nec Chriſtus dividitur, nec in ſe Deitas ſeparatur, ſic etiam Chriſtus aſcendens in Cœlum unum reliquit in terris Vicarium; ſic neceſſe eſt ut ei omnium qui Chriſti eſſe cupiunt ſubdantur capita populorum. Sed nec ex hoc fratribus & Epiſcopis noſtris debitum honorem ſubtrahimus, quos in partem ſollicitudinis vocatos, vices Dei gerere minimè dubitamus.*

Falsò igitur aſſerit Launojus, *Conciliorum, Patrum, tractatorum & Theologorum ac Juris peritorum fuiſſe neminem, qui ante Caniſium & Bellarminum in Eccleſia definienda vel deſcribenda mentionem fecerit legitimorum Paſtorum quibus obſequium à fidelibus debetur.*

Epiſt. ad Gatinaum. T. 8. p. 416.

Dices 1. Manca eſt ac imperfecta adducta definitio, in qua nulla fit mentio fidei, ſpei & charitatis, in quibus tamen maximè poſita eſt Eccleſiæ pars nobilior ſeu anima; atque definire Eccleſiam per ſola exteriora ipſius attributa, perinde eſt ac ſi quis hominem per ſolum corpus definiret, nulla facta mentione animæ ſeu rationis.

Reſp. fidem, ſpem & charitatem eſſentiales quidem eſſe Eccleſiæ & ad ipſius animam pertinere, quæ proinde præſupponuntur in definitione adducta: ſed clarè non exprimuntur, quia Theologis per eam definitionem animus eſt definire dumtaxat partem Eccleſiæ viſibilem, ſeu ſocietatem illam exteriorem, quæ Corpus Eccleſiæ dicitur, & conſtat exteriori fidei profeſſione, Sacramentorum participatione, & ſubjectione legitimis Paſtoribus, quæ omnia continentur in noſtra definitione. Neque urget exemplum quod adducitur: cùm enim Philoſophi hominem definiunt, totum, non partem ipſius definire ſibi proponunt; unde omnino imperfecta foret ea definitio, in qua vel tantùm corporis, vel animæ tantùm fieret mentio. At, ut jam diximus, non totam Eccleſiæ eſſentiam, ſed ejus dumtaxat partem exteriorem ac viſibilem ſeu corpus, adducta noſtra definitione deſcribere voluimus; à qua abſit ut virtutes excludamus, quas præſupponimus, etſi eas non exprimamus: quemadmodum in vulgata definitione hominis, qua dicitur animal rationale, non omnia quæ ad hominem eſſentialiter pertinent, exponuntur; quippe qui non tantùm ratione, ſed & voluntate & libertate præditus ſit, quarum tamen nulla mentio fit in pervulgata & communi apud Philoſophos hominis definitione.

Inſtabis. Sequitur ex noſtra definitione, eos qui ad animam Eccleſiæ non pertinent, quòd nempe aut fide interiori aut charitate ſint deſtituti, poſſe dici Eccleſiæ membra: atqui hoc eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. diſtinguo maj. eos poſſe dici Eccleſiæ membra imperfecta, arida, mortua, concedo: perfecta, viventia, nego. Porrò quicumque viſibili ſocietati fidelium colligatus eſt externa profeſſione fidei &c. ſi interiùs aut

ſide vera, aut charitate ſit deſtitutus, ille membrum quidem eſt corporis Eccleſiæ, ſed imperfectum, aridum, aut mortuum; cùm interiori anima Eccleſiæ non informetur.

Inſtabis 2. Membrum mortuum non eſt verum membrum; quemadmodum corpus ab anima hominis ſeparatum non eſt verè corpus hominis; ergo qui ad Eccleſiæ corpus dumtaxat pertinent tanquam membra mortua, vera non ſunt Eccleſiæ membra.

Reſp. Membrum quod mortuum eſt, modò non ſit à corpore hominis præciſum, eſſe verum hominis membrum, licèt imperfectum: hominem verò non ampliùs exiſtere, ubi anima ſeparatur à corpore, quia nihil poteſt eſſe ſine ſua eſſentia; at corpus & anima conſtituunt hominis eſſentiam: ita quoque Eccleſia ſecundùm ſe non poteſt eſſe ſine corpore & anima, hoc eſt ſine profeſſione fidei, Sacramentorum participatione & ſubjectione externa legitimis Paſtoribus, ſine fide & charitate interna, alioquin perire poſſet Eccleſia, quod eſt contra ſtabilitatem & perpetuitatem ipſi à Deo promiſſam: at fieri poteſt ut aliquod membrum Eccleſiæ ſit ſine anima Eccleſiæ; ſi nempe cohæreat & colligatum ſit tantùm cum corpore Eccleſiæ per externam communionem: quo caſu, membrum quidem eſt imperfectum, aridum, mortuum; ſed tamen membrum.

Dices 2. Hæreticorum ſocietas habet & profeſſionem fidei externam, & uſum Sacramentorum, & ſubjectionem legitimis Paſtoribus.

Reſp. Jactant quidem Hæretici has Eccleſiæ ſuæ notas convenire; ſed quàm immeritò ſuis locis demonſtrabimus. Profitentur illi exteriùs fidem; ſed non integram, nec fundamento certo & invariabili ſubnixam: habent Sacramenta; ſed inutilia, ſed non omnia: habent Paſtores; ſed non Apoſtolicos & legitimos. Quilibet legitimus Paſtor debet habere miſſionem vel ordinariam vel extraordinariam; at poſtea oſtendemus Paſtores Reformatorum utraque caruiſſe. Carent etiam ſucceſſione non interrupta, quæ requiritur in omni miſſione ordinaria: quia ſcilicet ubi ſemel extincta eſt, per ſeipſam naſci & excitari non poteſt, niſi Deus extraordinariè novum miſſionis & ſucceſſionis fontem ſuſcitaverit.

ARTICULUS TERTIUS.

De auctore & antiquitate Eccleſiæ.

Quis ſit Eccleſiæ auctor.

QUatuor Eccleſiæ cauſæ ab Apoſtolo deſignantur Epheſ. 5. v. 25. 26. & 27. Efficiens, his verbis: *Chriſtus qui ſeipſum tradidit pro ea*: materialis, Fideles, quos Apoſtolus ipſo Eccleſiæ vocabulo deſignat: formalis, conjunctio ipſa fidelium inter ſe, & cum Chriſto tanquam capite; quæ quidem unio tribus præſertim nobis ſtringitur, ſcilicet ejuſdem fidei profeſſione, eorumdem Sacramentorum participatione, & ejuſdem regiminis auctoritate. Finalis duplex, proxima, Eccleſiæ & eorum qui ad illam pertinent ſanctificatio; remota, adeptio ſalutis & felicitatis æternæ. Utramque declaravit Apoſtolus his verbis: *Ut ſanctificaret illam... Ut exhiberet ipſe*

ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam. Non immoramur in illis cauſis fuſiùs exponendis; nulla etenim hìc occurrit momenti alicujus difficultas, niſi fortè circa cauſam efficientem, quo pacto ſcilicet Chriſtus ſit ac dicatur auctor Eccleſiæ, qua poteſtate; an independentiæ & auctoritatis, an excellentiæ & miniſterii principalis: quod ut expliceтur, ſit

CONCLUSIO.

Solus Deus eſt auctor Eccleſiæ, poteſtate independentiæ & ſupremæ auctoritatis; & ſolus Chriſtus poteſtate excellentiæ & miniſterii principalis.

Duę ſunt partes. Prima pars probatur: 1. Quia omnium univerſim hoc modo operator eſt Dominus, & quidem ſolus. 2. Quia hoc etiam titulo Eccleſia ſpeciatim Dei eſſe dicitur, ut legere eſt Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. 3. Quia illius dumtaxat eſſe poteſt inſtituere Eccleſiam auctoritate ſuprema, cujus eſt independenter à quocunque alio homines ordinare ad finem ſanctificationis per gratiam, & ſalutis, per gloriam: atqui iſtud ſolius Dei eſt, Pſal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et Job 14. v. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Solius etiam Dei eſt præſcribere Eccleſiæ media neceſſaria & accommodata ad ſuum finem, tùm gratiæ, tùm gloriæ, obtinendum.

Secunda pars probatur. Tùm quia Chriſtus eſt auctor fidei & Sacramentorum, in quibus fundata eſt Eccleſia: fidei quidem, Hebr. 12. v. 2. *Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*. Sacramentorum verò; quia, ſicut paſſim obſervat S. Auguſtinus, quando dormivit Chriſtus in cruce, implebat id quod ſignificatum fuerat in Adam, cui, cùm dormiret, detracta eſt coſta, & inde Eva formata. Sic Dominus cùm dormiret in cruce, lancea latus ejus apertum fuit, ex quo Sacramenta fluxerunt, unde facta eſt Eccleſia. Ergo eſt auctor Eccleſiæ, & quidem per poteſtatem excellentiæ & miniſterii principalis: ipſi etenim in quantùm homo eſt, major convenire non poteſt, nec alia ratione auctor fuit Sacramentorum, ſicuti docent vulgò Theologi.

Quæres an etiam dici poſſint homines concurriſſe ad fundandam & inſtituendam Eccleſiam.

Reſp. dici poſſe concurriſſe in genere cauſæ miniſterialis inferioris. Tùm quia revera quorumdam hominum, ſcilicet Apoſtolorum, miniſterio Deus uti voluit ad fundandam Eccleſiam à ſe inſtitutam, nempe quantùm ad executionem inſtitutionis ejuſdem Eccleſiæ: hinc dicuntur Apoſtoli fundamenta Eccleſiæ, Pſal. 86. v. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, videlicet ſanctis Apoſtolis, ut vulgò explicant SS. Patres & Interpretes ſacri. Tùm quia diſertè profitetur Apoſtolus, ſe fundamentum poſuiſſe illius ædificii ſpiritualis apud Corinthios: *Secundùm gratiam quę data eſt mihi*, inquit, *ut ſapiens architectus fundamentum poſui*; quod quidem poſtea affirmat non aliud eſſe à Chriſto. Ita 1. Cor. 3. v. 10. & 11. Tùm quia Epheſ. 2. v. 20. Prophetæ & Apoſtoli Eccleſiæ & myſtici Templi fundamenta dicuntur. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*.

Neque eſt quòd dicas, inde ſequi plura eſſe fundamenta Eccleſiæ, quòd eſt contra Apoſtolum negantem aliud poſſe poni fundamentum præter Chriſtum. 1. Cor. 3. v. 11.

Namque aliter Chriſtus, aliter Apoſtoli, aliter Prophetæ fundamentum Eccleſiæ appellantur. Chriſtus eſt fundamentum primarium; tùm quia eam ſanguine ſuo acquiſivit ac ſanctificavit: tùm quia fides in Chriſtum abſolutè neceſſaria eſt, ſine qua ſalus æterna obtineri nunquam poteſt. *Neque enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Act. 4. v. 12. Apoſtoli autem & Prophetæ fundamenta dicuntur ſecundaria Eccleſiæ, in quantùm doctrinam ſalutis de Chriſto Servatore divinitùs acceptam hominibus annuntiarunt: Prophetæ quidem, obſcuriùs; Apoſtoli autem manifeſtiùs & pleniùs: Prophetæ fundamenta ſunt minùs proxima; Apoſtoli autem propinquiora. Hinc in Symbolo Eccleſia ab Apoſtolis dicitur Apoſtolica, non verò à Prophetis Prophetica.

Quæres iterum, an dici poſſit Sacramenta in genere cauſæ efficientis & inſtrumentalis concurriſſe ad ædificationem & formationem corporis Eccleſiæ.

Reſp. affirmativè: ſunt enim ſigna viſibilia à Chriſto divinitùs inſtituta, quibus ſocietas populi Chriſtiani coadunatur; eaque tam neceſſaria ſunt ad communionem & ſocietatem inter homines devinciendam, ut propterea dictum fuerit à S. Aug. Lib. 19. contra Fauſtum Manichæum cap. 11. *In*
T. 8. p. 319. E. *nullum nomen Religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coadunari homines poſſe, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*.

Origo & antiquitas Eccleſiæ.

Huic quæſtioni locum dedere multi è SS. Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui etſi fateantur Chriſtum primum eſſe, eſſentiale, ac præcipuum Eccleſiæ fundamentum, nihilominus extitiſſe ante Criſtum Chriſtianos, veramque Eccleſiam, non rarò profitentur: Ut autem intelligatis quo ſenſu id ab ipſis dictum fuerit.

Obſervandum I. Eccleſiam conſiderari poſſe tribus modis.

1. Secundùm latiſſimam ſignificationem, prout nempe dicit multitudinem quamdam ex Angelis, ſanctis hominibus, & fidelibus conſtitutam:
T. 4. p. 284. G. quo ſenſu S. Aug. ſcribens in Pſal. 36. ait: *Ex omnibus fidelibus & Angelis fieri unam civitatem ſub uno Rege, unam quamdam provinciam ſub uno Imperatore*.

2. Secundùm minùs latam ſignificationem, quatenus nempe dicit multitudinem omnium fidelium tam veteris quàm novi Teſtamenti; atque ut quis hoc modo fidelis dicatur, ſufficit fides in Chriſtum ſimpliciter, abſtrahendo ab explicita vel implicita, à Chriſto ſive naſcituro, ſive nato, morituro vel mortuo.

3. Secundùm ſtrictam ſignificationem, prout ſcilicet eſt ſocietas eorum qui fidem habent in Chriſtum jam natum & paſſum, conſummatis omnibus redemptionis humanæ Sacramentis & Myſteriis.

Obſervandum II. hìc non agi de Eccleſia ſecundùm primam, vel tertiam conſiderationem, ſed juxta ſecundam; & de ea duo quæruntur.

Pri-

Digitized by Google

Primum, Num Eccleſia hoc modo ſumpta Chriſtum anteceſſerit, & ita floruerit in antiquo Teſtamento, ut illius temporis fideles veri fuerint Chriſtiani.

Secundum, quandonam incœperit illa Eccleſia, & in quo primum exordium ſumpſiſſe veriſimiliter aſſeri poſſit. An in Adamo, vel Abele &c.

PRIMA CONCLUSIO.

Eccleſia Chriſti non tantùm natalem Chriſti anteceſſit, ſed etiam ita floruit tempore legis naturæ & ſcriptæ, ut tunc temporis veros extitiſſe Chriſtianæ Religionis cultores aſſeri meritò poſſit.

Probatur 1. Quia illi veri fuere Chriſtiani, qui Chriſtianum vitæ genus & inſtitutionem ſequebantur, qui Chriſtum venturum cognoverunt, qui Chriſtiano, non Judaico more vivebant: atqui tales fuiſſe fideles in lege naturali & ſcripta, fatetur & docet Euſebius L. 1. Hiſt. cap. 4. *Verùm*, inquit, *tametſi abſque controverſia novelli ſumus, & hoc novum certè Chriſtianorum nomen nuper omnibus innotuit; ſectam tamen rationemque vivendi non recens à nobis compoſitam, ſed jam inde à primo (ut ita dicam) conditu generis humani, ex notionibus à natura inſitis, ab hominibus Deo acceptis inſtitutam atque excultam fuiſſe, ſic demonſtrare conabimur.* *Edit. Valeſ. p. 15. B, C.*

Poſtquam autem antiquis Patriarchis Chriſtum cognitum fuiſſe ſcripſit, quippe qui viſus fuerit Abrahamo; qui reſponſum dedit Iſaac; qui locutus eſt cum Jacob, cum Moyſe, & aliis deinceps Prophetis, concludit, Religionem, quæ ab antiquis illis viris exculta fuit, & nuper per Chriſti doctrinam & prædicationem patefacta, eſſe omnium primam & antiquiſſimam. Et L. 1. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 5. docet Moyſi & antiquis illis viris qui Deo chari fuerunt, Chriſtum notum fuiſſe. *Sed nec minùs*, inquit, *Dei Verbum, quem Chriſtum appellare nos conſuevimus, illis cognitum fuiſſe quàm nobis, ſacrarum Litterarum teſtimonio oſtenſum eſt.* Additque L. 6. Chriſtiano more ipſos vixiſſe, non Judaico. *Edit. Pariſ. 1628 p. 10. D.*

Probatur 2. Quia illi pertinent ad Eccleſiam Chriſti, qui ſalutem æternam non ſunt aſſecuti niſi per fidem in Chriſtum; & quorum eadem planè fuit fides ac noſtra, idem caput Chriſtus: atqui inter viros juſtos qui tempore legis naturæ & ſcriptæ floruerunt, nullus æternam ſalutem conſequutus eſt niſi per fidem in Chriſtum; atque eorum eadem planè fuit fides ac noſtra, idem quoque caput Chriſtus.

I. Salvi facti ſunt per fidem in Chriſtum: ita expreſsè docet S. Aug. Epiſtola 187. aliàs 57. ad Dardanum, cap. 11. n. 34. ubi poſtquam dixit voluiſſe Chriſtum Mediatorem noſtrum, ut Sacramentum regenerationis noſtræ manifeſtum eſſet, addit: *Erat autem antiquis juſtis aliquod occultum, cùm tamen & illi eadem fide ſalvi fierent, quæ fuerat ſuo tempore revelanda.* *T. 2. p. 689. E.*

Et Epiſtola 190. aliàs 157. quæ eſt ad Optatum cap. 2. n. 8. diſertè docet neminem ſalvum factum fuiſſe ſeu ante, ſeu poſt Incarnationem, niſi per fidem in Chriſtum. *Profectò*, inquit, *quod ſcriptum eſt, non eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri, ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt genus humanum. Sicut enim in Adam* *Ibid. p. 702. B.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Quia ſicut in regno mortis, nemo ſine Adam: ita & in regno vitæ, nemo ſine Chriſto.

II. Eorum etiam fuit eadem fides ac noſtra: ita S. Auguſtinus Epiſt. 102. aliàs 49. quæſt. 2. n. 12. *Sicut nos*, inquit, *in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate, nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideò fides ipſa variata, vel ſalus diverſa eſt.* Idem docet Epiſt. 187. jam citata: *Illi credebant*, inquit, *Incarnationem futuram, nos autem credimus factam.*

Ibid. p. 277. C. D.

Ibid. p. 689. G.

III. Idem etiam caput fuit Chriſtus, ut docet S. Auguſt. Concione 3. in Pſalm. 36. *Omnes*, inquit, *qui ab initio ſæculi fuerunt juſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe jam credimus; & in ejus fide & ipſi ſanati ſunt, in cujus & nos: ut eſſet & ipſe totius caput Civitatis Jeruſalem.*

Tom. 4. pag. 284. F.

Probatur 3. Quia eadem fuit Eccleſia apud antiquos fideles ante Chriſtum natum, quæ eſt apud nos poſt Chriſtum natum; ergo fuit ante Chriſtum Eccleſia.

Antecedens probatur ex S. Auguſtino ſerm. 4. de Jacob & Eſau, aliàs 44. de diverſis. *Eccleſiam*, inquit, *accipite, non in his ſolis qui poſt Domini adventum & nativitatem eſſe cœperunt ſancti; ſed quotquot fuerunt ſancti, ad ipſam Eccleſiam pertinent.*

To. 5. p. 16. A.

Et in Pſal. 128. non procul ab initio. *Numquid*, ait, *modò? Olim eſt Eccleſia: ex quo vocantur ſancti, eſt Eccleſia in terra. Aliquando in ſolo Abel Eccleſia erat, & expugnatus eſt à fratre malo & perfido Cain. Aliquando in ſolo Enoch Eccleſia erat, & translatus eſt ab iniquis. Aliquando in ſola domo Noe Eccleſia erat, & pertulit omnes qui diluvio perierant, & ſola arca natavit in fluctibus, & evaſit ad ſiccum. Aliquando in ſolo Abraham Eccleſia erat, & quanta pertulit ab iniquis, novimus. In ſolo filio fratris ejus Loth, & in domo ejus in Sodomis Eccleſia erat, & pertulit Sodomorum iniquitates & perverſitates, quò uſque eum Dominus de medio ipſorum liberavit. Cœpit eſſe & in ipſo populo Iſrael Eccleſia, pertulit Pharaonem & Ægyptios. Cœpit & in ipſa Eccleſia, id eſt, in populo Iſrael numerus eſſe ſanctorum: Moyſes & cæteri ſancti pertulerunt iniquos Judæos, populum Iſrael. Ventum eſt & ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, prædicatum eſt Evangelium, dixit in Pſalmis, Annuntiavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.*

T. 4. p. 1448. A.

Idem docet S. Gregorius Magnus hom. 19. in Evangelia quæ eſt de parabola patrisfamilias mittentis operarios in vineam ſuam, ubi poſtquam univerſalis & in terra peregrinantis Eccleſiæ durationem per ætates quinque diſtinxit, nempe ab Adam uſque ad Noe: à Noe uſque ad Abraham: ab Abraham uſque ad Moyſen: à Moyſe uſque ad adventum Chriſti: ab adventu Chriſti uſque ad finem mundi, *Quis*, inquit, *patrisfamilias ſimilitudinem rectiùs tenet, quàm Conditor noſter... qui habet vineam, univerſalem ſcilicet Eccleſiam, quæ ab Abel juſto uſque ad ultimum electum qui in fine mundi naſciturus eſt, quot ſanctos pertulit, quaſi tot palmites emiſit.*

Edit. nov. T. 1. p. 1510. C.

Denique Chriſtus omni tempore, etiam in ipſa prima hominis ex limo formatione, primum ac maximum fuit fidei ac Religionis objectum. *Quodcumque enim limus exprimebatur*, bellè ait Tertullianus, *Chriſtus cogitabatur homo futurus.*

Lib. de reſurr. carnis c. 6. p. 328. D.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Probabiliter dici poteſt, Eccleſiam ſenſu expoſito, initium habuiſſe in ipſo Abel.

Probatur 1. Quia ſic innuere videtur Apoſtolus Hebr. 11. v. 4. ubi fidem Patrum veteris Teſtamenti commendans, incipit ab Abel his verbis: ***Fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus.*** Cur autem iſtam commendationem tùm fidei, tùm fidelium, ac proinde ipſius Eccleſiæ enumerationem incipit Apoſtolus ab Abel, Adamo prætermiſſo? Niſi quia de ipſo, poſtquam peccavit, nihil eximium narrat Moyſes in Geneſi; hinc nec ab ipſo fidelium & Eccleſiæ initium ducere voluit Apoſtolus.

Probatur 2. Tùm quia Abel omnium primus aliquo certiſſimè ſigno ſenſibili Deum coluiſſe legitur, eo, quem oportebat, pietatis ac Religionis ſenſu, ut Deo probaretur & placeret. Id enim de ipſo præſertim teſtatur Scriptura Gen. 4. v. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Tùm quia conveniens fuit ac conſentaneum, ut Eccleſia, quam in Symbolo ſanctam profitemur, ab eo inciperet, in quo primùm inter homines ſanctitas & innocentia ſine interruptione perſeveravit, in ſignum ſanctitatis quæ in Eccleſia Chriſti nunquam omnino eſſet defectura: atqui primus omnium talis fuit Abel, non autem Adam & Eva, quos conſtat excidiſſe à juſtitia & ſanctitate in qua conditi fuerant. Hinc non tantùm juſtus dicitur Abel, ſed etiam veluti juſtorum primus commendatur à Chriſto Matth. 23. v. 35. ***Ut veniat***, inquit, ***ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zacharie filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & altare.***

Tùm quia Abel fuit typus & figura Chriſti & Eccleſiæ: fuit enim paſtor, virgo, & martyr, ut obſervant ſancti Patres; ſicque triplex etiam repræſentavit genus hominum qui ſunt in Eccleſia, ſcilicet, Paſtorum, Virginum & Martyrum: eorum enim dux fuit & anteſignanus.

Probatur 3. ex ſancto Auguſtino, Enarratione in Pſal. 142. n. 3. loquens de Civitate Dei, id eſt, Eccleſia, ſic habet: ***Hæc Civitas initium habet ab ipſo Abel, ſicut mala civitates à Cain.*** T. 4. p. 1589. F.

Idem docet S. Gregorius Magnus hom. 19. in Evangelia ubi ait, ***Eccleſiam incipere ab Abel iuſto, uſque ad ultimum electum qui in fine mundi naſciturus eſt.*** T. 1. p. 1510. C.

Solvuntur Objectiones:

Objicies 1. contra primam Concluſionem. Ante adventum Chriſti eadem non fuit Veterum fides, ac noſtra, imò nulla fuiſſe videtur. Nam Apoſtolus Galat. 3. v. 23. & 24. ait: ***Priùs autem quàm veniret fides, ſub Lege cuſtodiebamur concluſi, in eandem fidem quæ revelanda erat. Itaque Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide iuſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.*** Ergo ante adventum Chriſti non erat fides, nec conſequenter Eccleſia, quæ ſine fide ſtare non poteſt, ſiquidem eſt ipſamet fidelium collectio.

Reſp. diſtinguo ant. Eadem non fuit Veterum fides, ac noſtra, quantum ad modum, concedo: quantùm ad ſubſtantiam, nego. Non fuit, inquam, eadem Veterum fides quantùm ad modum, tùm ex parte objecti, tùm ex parte actus & modi credendi. 1. Non fuit eadem ex parte objecti: quia licèt idem fuerit & ſit fidei objectum, nempe Chriſtus Mediator Dei & hominum, alia tamen fuit ejuſdem objecti conditio reſpectu antiquorum ſub veteri Teſtamento, alia reſpectu noſtri in Lege Evangelica. Illi enim credebant in Chriſtum naſciturum, moriturum; nos autem credimus in Chriſtum natum, mortuum. 2. Eadem non fuit ex parte actus & modi credendi: nam antiqui quamdiu fuerunt ſub nube veteris Teſtamenti, ad fidem in Chriſtum explicitam non tenebantur, ſed ſola ipſis ſufficiebat implicita; quia nondum venerat tempus manifeſtationis & fidei magis evolutæ: quoad ſubſtantiam verò eadem apud Veteres fides fuit cum noſtra: *Ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ait S. Aug. Tract. 45. in Joann. *quo humilis venit in carne, præceſſerunt Juſti, ſic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata ſunt, non fides. Quia & ipſa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur: alium ſonum habet, venturus eſt; alium ſonum habet, venit: mutatus eſt ſonus, venturus eſt, & venit: eadem tamen fides utroſque conjungit, & eos qui venturum eſſe, & eos qui eum veniſſe crediderunt.* (T. 3. par. 2. p. 597. E. F.)

Objicies 2. Eccleſia fundata eſt à Chriſto Domino ſuper ipſam Petri confeſſionem, ut patet ex his Chriſti verbis Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ergo non erat ante Chriſti adventum. Hinc ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 147. dicit, *Eccleſiam incœpiſſe ab Jeruſalem, atque hinc extendi ad omnes nationes.* Et in 1. Epiſtolam S. Joan. dicit, *ibi inchoatam eſſe Eccleſiam, ubi venit de Cœlo Spiritus ſanctus, & implevit in uno loco ſedentes centum viginti.* (T. 4. p. 1665. E. — T. 3. par. 2. p. 837. G.)

Reſp. diſtinguo conſeq. Ergo non erat Eccleſia eo modo quo nunc eſt, quatenus nempe credit in eum, qui jam venit & paſſus eſt, concedo: non erat Eccleſia ſimpliciter, quantùm ad ſubſtantiam & fidem in Chriſtum venturum, tametſi nondum explicitam & evolutam, nego. Unde Matth. 21. v. 9. dicitur, quòd *turbæ quæ præcedebant & quæ ſequebantur clamabant, dicentes: Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Qua in re, ut obſervat S. Hieronymus, *oſtendit utrumque populum, & qui ante Evangelium, & qui poſt Evangelium, Domino crediderunt, conſona Jeſum confeſſionis voce laudare*: illi quidem de Chriſto venturo clamaverunt, illi autem laudantes clamant de adventu Chriſti jam adimpleto. Quapropter verba quæ referuntur apud S. Matth. cap. 16. intelligenda ſunt de Eccleſia ſtrictè ſumpta, prout nempe conſtat ex his fidelibus qui tenentur credere in Chriſtum fide explicita: quo ſenſu ædificatur quotidie Eccleſia Chriſti, quoties de novo aliqui ipſi per fidem incorporantur. Similiter ſolvenda ſunt quæ ex S. Auguſtino proferuntur teſtimonia. (T. 4. par. 1. p. 95.)

Objicies 3. Si fuiſſet Eccleſia Chriſti in antiquo Teſtamento, poſſent etiam Veteres appellari Chriſtiani: attamen nomen hoc primùm auditum fuit poſt Chriſti Aſcenſionem, cùm nempè Antiochiæ Diſcipuli primùm cognominati ſunt Chriſtiani.

Reſp. Licèt non fuerint appellati Chriſtiani, reipſa tamen eos Chriſtianos fuiſſe, ut diſertè docet Euſeb. Libr. 1. Hiſt. cap. 4. *Nam cùm Chriſtiani nomi-* (Pag. 15. D.)

nomine, inquit, *nihil aliud ſignificetur, quàm vir qui per Chriſti cognitionem atque doctrinam, modeſtia, juſtitia, tolerantia, fortitudine & pietatis cultuſque unius qui ſuper omnia eſt, Dei profeſſione ornatus eſt; hæc omnia Veteres illi non minùs ſtudioſè quàm nos excoluerunt.*

Idem expreſsè docet ſanctus Auguſtinus Lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4. *Eadem igitur fides eſt*, inquit, *& in illis qui nondum nomine, ſed reipſa fuerunt antea Chriſtiani, & in iſtis, qui non ſolùm ſunt, verùm etiam vocantur, & in utriſque eadem gratia per Spiritum ſanctum.* T. 10. p. 454. B.

Inſtabis 1. Veri Chriſtiani debent eſſe ſub gratia, nihil enim magis Religioni Chriſtianæ proprium eſt ac ſingulare, quàm gratia, Joann. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* At Veteres illi non erant ſub gratia, ſed ſub Lege.

Reſp. Nego Veteres illos juſtos propriè ſub Lege fuiſſe: nam propriè ſub Lege eſſe dicuntur, vel qui ſervitute Legis Moſaicæ premuntur, gratia Dei, quam non agnoſcunt, ad eam implendam non adjuti; vel ii certe in quibus peccatum dominatur, juxta Apoſtolum Rom. 6. v. 14. *Peccatum enim*, inquit, *vobis non dominabitur; non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub gratia.* At veteres juſti neutro modo erant ſub Lege: non primo, quia licèt Legis Moſaicæ præceptis adſtricti eſſent, juſtitiam tamen à Lege non expectabant, ſed tantùm à fide Chriſti venturi. Non ſecundò, cùm ipſi non ſervierint peccato: ex quo ſequitur Veteres illos ſub gratia potiùs fuiſſe quàm ſub Lege; adeoque ad novum Teſtamentum magis pertinuiſſe quàm ad vetus, ſicut disertè tradit S. Auguſtinus Lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 4. ubi ait, *Abraham, Moyſen, David, omneſque veteres juſtos filios fuiſſe promiſſionis & gratiæ non ex Lege, ſed ex promiſſione; hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Ibid. p. 452. A. Et poſtea, cùm probaſſet Decalogi præcepta ad Chriſtianos etiam pertinere, hoc diſcrimen ſtatuit inter modum quo ea obſervant, tùm qui verè pertinent ad novum Teſtamentum & ſunt ſub gratia, tùm ii qui pertinent ad vetus & ſunt ſub Lege, quamvis tempore novi Teſtamenti vivant, quòd nempe *ſub Lege poſiti hæc adimpleant vel cupiditate adipiſcendi terrenam felicitatem, vel timore amittendi .... Qui verò ſub gratia poſiti ſunt, agant ſpe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium; non terrenorum, ſed Cæleſtium, & precipuè credant in Mediatorem, per quem ſibi non dubitant, & Spiritum gratiæ ſubminiſtrari, ut benè iſta faciant, & ignoſci poſſe, cùm peccant.* Ibid. p. 453. D. Ib. E.

Inſtabis 2. Illi non ſunt ſub gratia, qui Chriſto capiti non cohærent tanquam ipſius membra: atqui juſti veteris Teſtamenti Chriſto non cohærebant tanquam ipſius membra, ſiquidem membra non ſunt ante capitis productionem, Veteres autem illi fuerunt ante Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ.

Reſp. nego min. *Namque*, ait S. Auguſtinus Lib. de catechiſandis rudibus cap. 19. *omnes Sancti qui ante Domini noſtri Jeſu Chriſti nativitatem in terris fuerunt, quamvis antè nati ſunt, tamen univerſo corpori, cujus ille caput eſt, ſub capite cohæſerunt*: per fidem ſcilicet aliaque veræ Religionis pia exercitia. To. 9. p. 285. C. D.

Ad probationem diſtinguo. Membra non ſunt ante capitis productionem, membra corporis naturalis, concedo: membra corporis myſtici quod eſt Eccleſia, nego. Caput corporis myſtici quod eſt Eccleſia nempe Chriſtus,

Digitized by Google

ſtus, eſt ab æterno in ſinu Patris, licèt novum exiſtendi modum obtineat in ſinu Virginis Matris. Imò etiam ſecundùm naturam humanam dici poteſt eſſe ab æterno, in divina nimirum prædeſtinatione: quo ſenſu dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*; quia nempe quotquot juſti extitere ab origine mundi & ſalvi facti ſunt, pretio ſanguinis ipſius ac merito gratiam & ſalutem ſunt aſſecuti; atque hoc modo ipſi tanquam capiti adhæſerunt.

Inſtabis 3. Unitas Religionis repetitur potiſſimum ex participatione eorumdem Sacramentorum: atqui Patres veteris Teſtamenti non habuerunt eadem cum nobis Sacramenta, neque idem ſacrificium, ergo &c.

To.2.p. Reſp. diſtinguo min. Et habuerunt alia tùm ſacrificia, tùm Sacramenta ſuis
281. temporibus convenientia, concedo: nec habuerunt, nego. At ex S. Auguſt. Epiſt. 102. non mutatur Religio licèt varia ſint, & ſubinde mutentur Sacramenta & ſacrificia, modò ſcilicet eundem fidei Spiritum habeant, & ejuſdem Mediatoris ſanguine redempti ſint.

Deinde dici poteſt Veteres non habuiſſe quidem eadem Sacramenta quoad ſigna exteriora, habuiſſe tamen eadem quoad rem ſignificatam. Ita ſanctus
To.3.p. Auguſtinus Tract. 26. in Joan. n. 12. *Sacramenta illa*, inquit, *in ſignis diverſa*
2. pag. 498. F. *ſunt; ſed in re quæ ſignificatur, paria ſunt*. Et tract. 45. *Bibebant de ſpirituali*
Ibid. p. *eos ſequente petra; petra autem erat Chriſtus. Videte ergo, fide manente, ſigna*
508. D. *variata*. Et poſtea: *Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt: ſi intelligibi-*
Ibid. *lem ſignificationem, eundem potum ſpiritalem biberunt*.

Inſtabis 4. Veris Chriſtianis promiſſa eſt æterna felicitas: atqui Sanctis veteris Teſtamenti promiſſa non fuit felicitas æterna, ſed tantùm temporalis, ut patet ex S. Auguſtino Enarratione in Pſalm. 73.

Reſp. diſtinguo minorem. Non fuit promiſſa felicitas æterna, ut præmium quod pertineret ad vetus Teſtamentum, concedo: ut præmium proprium novi Teſtamenti, nego. Sed quia propter fidem in Chriſtum pertinebant illi ad novum Teſtamentum, iis quoque promiſſa fuit felicitas æterna, quæ bene-
To.2.p. ficium eſt novi Teſtamenti planè ſingulare. *Quando felicitatem temporalem*
423. F. *agebant*, ait S. Auguſtinus Epiſtola 140. aliàs 120. cap. 2. n. 5. *æternam veram & præferendam intelligebant; & iſtam miniſtrabant in myſterio, ut illam conſequerentur in præmio*.

Objicies 4. contra ſecundam Concluſionem: Exordium Eccleſiæ longè meliori jure ab Adamo, quàm ab Abele repeti debet; ſiquidem & Adamus omnium hominum primus fuit, & primus ſuam in Chriſtum venturum fidem prophetico ſpiritu declaravit his verbis Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*: quæ verba S. Paulus Epheſ. 5. v. 32. exponit de Incarnatione. *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*.

Deinde creatus fuit Adam cum virtutibus & donis gratiæ ſanctificantis & juſtitiæ originalis; neque tantùm in ſtatu innocentiæ fidem habuit informem, ſed etiam charitatem de corde puro & fide non ficta, ut ait S. Aug.

Reſp. nego maj. Ut enim aliquis dicatur principium, à quo incepit Eccleſia, ſatis non eſt quòd priùs habuerit fidem & charitatem, ſed requiritur 1. Ut fidem illam aliquo ſigno ſenſibili & exteriori, ſacrificii nimirum aut Sacramenti, palam & apertè profeſſus fuerit. 2. Ut in ipſo primùm facta fuerit diſtinctio ſeu ſeparatio ab oppoſita ſocietate & Eccleſia malignantium. 3.

Ut

Ut abſque ulla prorſus interruptione ſervata fuerit ab eo ſanctitas, quam certum eſt in Eccleſia debere eſſe continuam, & nunquam ab ea receſſuram. Verùm hæc omnia locum non habuerunt in Adam: non primum; licèt enim primus fidem habuerit Mediatoris venturi, eam tamen non legitur profeſſus ſigno aliquo exteriori & ſenſibili per ſacrificium aut Sacramentum, neque in ſtatu innocentiæ, neque poſt lapſum: è contra verò Abel fidem ſuam publico ſacrificio, ad quod Dominus reſpexit, proteſtatus eſt. Nec ſecundum: nulla enim in eo legitur facta ſeparatio bonorum ab aliis; Eccleſiæ Sanctorum & Civitatis Dei, ab Eccleſia impiorum & Civitate mundi: facta eſt autem in Abele hæc diſcretio, cùm nempe dicitur Dominus reſpexiſſe ad munera ejus, non verò reſpexiſſe ad munera Cain. Non tertium: cùm enim Adam lapſus fuerit per peccatum, non potuit eſſe typus Eccleſiæ quantum ad ſanctitatem, quæ in ea ſtabilis eſſe debet ac permanens.

Objicies 5. At ſaltem poterit Adam pro principio Eccleſiæ ſtatui in ſtatu recuperatæ innocentiæ poſt lapſum. Valdè etenim probabile eſt eum egiſſe pœnitentiam antequam naſceretur Abel; nec veriſimile videtur, eum à gratia excidiſſe, poſtquam eam ſemel recuperavit. Deinde etſi exciderit à gratia in qua conditus fuit, non tamen excidit à fide, quia peccatum, quo tunc lapſus eſt, infidelitatis non fuit.

Reſp. nego etiam pro illo ſtatu dici poſſe incœpiſſe Eccleſiam ab Adam, quia agimus hìc de Eccleſia, quatenus fidem ſuam exteriùs profitetur per ſacrificia & ſigna ſenſibilia: nullo autem Scripturæ teſtimonio conſtat Adamum obtuliſſe ſacrificium, antequam ab Abele oblatum fuerit; imò nec ullibi Scriptura commemorat ullum aliquando ab eo oblatum fuiſſe. Hinc S. Paulus Hebr. 11. fidem Veterum commendans, incipit ab Abel tanquam ab eo qui primus omnium legitur obtuliſſe ſacrificium.

Quod additur, Adamum à gratia recuperata ſubinde non excidiſſe, parùm juvat, quia etſi id conſtaret, quia tamen ſanctitas Eccleſiæ continua eſſe debet, & non interrupta, potiùs ſumendum videtur initium Eccleſiæ ab eo qui integram & perſeverantem habuit, & in quo facta eſt primùm ſeparatio inter bonos & malos, qualis fuit Abel. Quod etiam additur, eum à fide non excidiſſe, eſto; verùm ſola perſeverantia in fide non ſufficit, niſi etiam cum ea juncta ſit perſeverantia in ſanctitate.

Inſtabis. Initium Eccleſiæ ab eo potius repeti debet à quo per continuam propagationem ortum eſt genus humanum, qualis eſt Adam, non Abel, qui nec filios nec filias habuiſſe legitur. Sicut enim principium Eccleſiæ malorum activum fuit & propagativum aliorum poſt ſe, ſcilicet Cain, quem refert Scriptura genuiſſe filios & filias; ita etiam principium Eccleſiæ bonorum: deinde ſi Abel fuit Eccleſiæ initium, ubinam remanſit illa poſtquam Abel occiſus fuit à fratre ſuo Cain?

Reſp. neceſſe non eſſe ut initium & exemplar ſanctitatis ac juſtitiæ ſit principium activum generationis ſecundùm carnem, quandoquidem ſanctitas non transfunditur per hujuſmodi propagationem.

Ad primam probationem. Licèt Cain genuerit filios & filias, non hinc ſequitur nequitiam transfuſam fuiſſe in poſteros per generationem; ſed tantùm per imitationem, & vim exempli ac inſtitutionis perverſæ.

Ad ſecundam. Eccleſia dici poteſt remanſiſſe in Adamo & Eva; neque tamen

men inferri poteſt ab aliis initium duxiſſe, cùm nec perſeveraverint in ſanctitate primùm accepta, nec in eis diſcretio facta fuerit bonorum & malorum; nec aliquo ſigno ſenſibili fidem ſuam profeſſi legantur.

Inſtabis. Quid ni potius Eccleſiæ exordium ſtatuitur in Enos de quo dicitur: *Iſte cœpit invocare nomen Domini*; aut etiam in Seth filio Adæ, à quo propagati ſint homines ſancti & juſti? *Gen. 4. v. 26.*

Reſp. juſtiſſimos quidem fuiſſe Enos & Seth; at Abel ipſis fuit exemplar ſanctitatis & fidei, præſertim quantùm ad diſcretionem & ſeparationem bonorum à malis.

Inſtabis iterum: Non potuit eſſe Eccleſia in ſolo Abel, eſt enim collectio fidelium; non potuit autem ſolus eſſe illa collectio.

Reſp. diſtinguo. Non potuit eſſe in ſolo Abel completivè, in ratione communitatis & collectionis quam importat ipſum Eccleſiæ vocabulum, concedo: initiativè, ratione fidei in qua fundatur Eccleſia, & à qua quis dicitur eſſe de Eccleſia & pertinere ad Eccleſiam, nego.

Objicies denique. Ab Abraham potius videtur ſumi debere exordium Eccleſiæ: de eo enim ſcribit Apoſtolus Rom. 4. v. 11. *quòd ſignum acceperit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit pater omnium credentium*.

Reſp. 1. Abraham dici patrem omnium credentium, non quòd ab eo primùm facta fuerit diſcretio bonorum à malis, aut quòd ipſe primus omnium fidem proteſtatus fuerit per aliquod ſacrificium exterius & viſibile, ſed quòd ipſe primus omnium novo ſigno, videlicet acceptæ circumciſionis, veram fidem & promiſſionem de Meſſia venturo ex ſua ſtirpe conteſtatus fuerit, tametſi jam aliunde declaratam & cognitam exteriùs, per ſacrificia quæ præceſſerant in Abel & aliis ſuperiorum ætatum Patriarchis & fidelibus.

II. Dicitur pater omnium credentium, hoc ſenſu quòd poſtquam omnes ferè à veri Dei cultu declinaſſent ad idololatriam, ipſe nunquam à fide receſſerit; ſed in ea conſtanter permanens, cæteris etiam factus fuit exemplar fidei, religionis ac juſtitiæ, in quo primùm per circumciſionem, quæ fuit ſignaculum juſtitiæ fidei, diſcreti ſunt credentes à non credentibus.

QUÆSTIO SECUNDA.

De notis ſeu caracteribus Eccleſiæ.

PArum eſſet perſpectam habere Eccleſiæ Chriſti naturam, niſi & aliunde ſuppeterent certæ quædam notæ, certi quidam caracteres quibus à quacumque alia hominum ſocietate, quæ vel ipſam mentitur, aut aliquam certè cum ipſa ſimilitudinem habet, ſecernatur. Cùm enim, fatentibus etiam Novatoribus, explanare potiſſimum quiſque debeat ubi ſit vera Chriſti Eccleſia, in cujus gremio & Communione Deo fideliter ſerviat, & extra cujus ſinum nihil occurrat niſi damnatio, ut ajunt Calviniſtæ in ſuo Catechiſmo, Dominica 16. neceſſe planè eſt eam notis & caracteribus tam ſplendidis fulgere, ut veluti Sol radios ſuos clariſſimos ex omni parte diffundat, ita certè ut latere non poſſit, nec ab ullo ſanæ mentis ignorari. Summa igitur cura & diligentia inquirendum à nobis eſt de ſignis, ſeu notis, caracteribus ac proprietatibus Eccleſiæ.

Digitized by Google

cleſiæ. Quòd ut exequamur, præſentem Quæſtionem in octò Articulos diſtribuemus.

Primus erit de notis Eccleſiæ in genere.
Secundus demonſtrabit Eccleſiam eſſe unam.
Tertium eam eſſe ſanctam.
Quartus eſſe Catholicam.
Quintus eſſe Apoſtolicam.
Sextus eam eſſe Romanam.
Septimus eam eſſe viſibilem.
Octavus denique eam eſſe indefectibilem.

ARTICULUS PRIMUS.

De notis Eccleſiæ in genere.

DUo præſertim à nobis in præſenti articulo ſunt expendenda.
Primum, quid ſint, & quales eſſe debeant Eccleſiæ notæ.
Secundum, quid ſentiendum de nonnullis Eccleſiæ notis ſeu ſignis quæ ab aliquibus Orthodoxis Theologis, & de illis quæ ab hæreticis aſſignantur.

Obſervandum igitur: I. notas Eccleſiæ, ut veræ ſint, aliquas exigere conditiones; nempe

1. Ut propriæ ſint, non communes; aliàs in certam Eccleſiæ notitiam deducere non poſſent: neceſſe tamen non eſt ut ſingulæ rei alicujus notæ ſeorſim ſumptæ, ſint rei ſingulares ac propriæ, ſed ſufficit ut collectivè ſumptæ alteri rei convenire non poſſint.

2. Debent eſſe notiores re quam ſignificant, & ab ea diſtinctæ: eſt enim hæc communis ſigni cujuslibet natura & conditio.

3. Debent eſſe quodammodo ſenſibiles, omnibus obviæ, & cognitu faciles, non ſolùm domeſticis fidei, ſed etiam extraneis, ut omnes ad Eccleſiam & fidem adducantur.

Obſervandum II. cum Bellarmino L. 4. de Notis Eccleſiæ cap. 3. Cùm multum ſit diſcriminis inter evidentiam veritatis, & evidentiam credibilitatis unius ejuſdemque rei, notas & ſigna Eccleſiæ de quibus hìc agitur, non tribuere Eccleſiæ evidentiam veritatis ſimpliciter & abſolutè: alioquin eadem ab omnibus agnoſceretur: ſed tribuere tantùm evidentiam credibilitatis, ita ut ab illis ſignis attentè conſideratis evidens fiat Eccleſia, evidentia ſaltem credibilitatis. *Illud*, ait Bellarminus, *evidenter verum dicitur, quod vel in ſe, vel in ſuis principiis videtur: evidenter verò credibile illud dicitur, quod non videtur, nec in ſe, nec in ſuis principiis; habet tamen tot & tam gravia teſtimonia, ut quilibet vir ſapiens meritò id credere debeat: ut ſi Judex videat hominem à latrone occidi, vel vulnerari lethaliter, & poſtea mori, habet evidentiam veritatis, quòd ille latro ſit homicida; ſi autem cædem fieri non videat, ſed habeat viginti teſtes viros graviſſimos, qui dicunt ſe vidiſſe, habet evidentiam credibilitatis.* Hæc Bellarminus. To. 2. p. 67. G.

Obſervandum III. Licèt Catholici & Hæretici conveniant dari aliquas notas quibus vera Chriſti Eccleſia facilè dignoſci poſſit, inter ſe tamen maximè diffidere in illis aſſignandis: quin & Catholici nonnulli aliquas aſſignant, quas alii rejiciunt.

Primò

Digitized by Google

Primò itaque hæretici tùm Lutherani tùm Calviniſtæ duas dumtaxat proponere ſolent Eccleſiæ notas, ſcilicet ſinceram verbi Dei prædicationem ſeu veritatem doctrinæ, & legimum Sacramentorum uſum; atque iis duabus notis exiſtimat quælibet Novatorum ſecta invictè probari apud ſe veram eſſe Chriſti Eccleſiam. Ita Confeſſio Auguſtana art. *6.* & in Apologia ejuſdem. Brentius in Confeſſione Vvittembergenſi cap. de Eccleſia, & Calvinus L. 4. Inſtitutionis ca. 1. Lutherus tamen in L. de Conciliis & Eccleſia ſeptem iſtas proponit notas. 1. *Veram & incorruptam prædicationem Evangelii*. 2. *Legitimam adminiſtrationem Baptiſmi*. 3. *Legitimum uſum Euchariſtiæ*. 4. *Legitimum uſum clavium*. 5. *Legitimam electionem Miniſtrorum, qui doceant & Sacramenta miniſtrent*. 6. *Orationem publicam & Pſalmodiam & Catechiſmum, ſed lingua quæ intelligatur ab omnibus*. 7. *Myſterium crucis, id eſt tribulationes intùs & extra; ita ut intùs ſit mæſtitia, puſillanimitas, terrores; foris paupertas, contemptus*.

Secundò, Catholici varias etiam recenſent, alii plures, alii pauciores.

T.4.p.2. p.306. S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos circa finem duas recenſet, nempe, *continuam Eccleſiæ ab Apoſtolis ad nos uſque durationem, & ipſam Chriſtiani nominis appellationem*.

To.8.p. 158.B. C. S. Aug. L. contra Epiſtolam fundamenti c.4. ſex enumerat quibus ait ſe in Eccleſia Catholica juſtiſſimè retineri; nempe, *conſenſionem populorum & gentium, auctoritatem miraculis inchoatam . . . . ſanctitatem morum, vetuſtatem originis, ſucceſſionem Sacerdotum ab ipſa Sede Petri ad præſentem Epiſcopatum, ipſum Catholicæ Eccleſiæ nomen*.

Symbolum quod Apoſtolorum dicitur, duas refert, quòd nempe ſit *Sancta, & Catholica*.

Symbolum Conſtantinopolitanum quatuor, nempe *unitatem, ſanctitatem, Catholicitatem, & Apoſtolicitatem*.

Vincentius Lirinenſis Commonitorii cap. 3. tres appellat, *univerſitatem, antiquitatem, & conſenſionem*.

Plures ſubinde additæ ſunt à recentioribus Theologis, ut videre eſt apud Driedonem L. 4. de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 2. parte 2. Petrum à Soto prima parte defenſionis cap. 44. Nicolaum Sanderum L. 8. de viſibili Monarchia cap. 50. ſed præſertim apud Bellarminum L. 4. de Eccleſia cap. 3. apud To.2.p. 68. & ſeq. quem excreverunt uſque ad quindecim. *Prima, Ipſum Eccleſiæ Catholicæ & Chriſtianorum nomen. Secunda, Ejus antiquitas. Tertia, Ejus duratio nuſquam interrupta. Quarta, Credenſium multitudo. Quinta, Epiſcoporum ſucceſſio in Sede Romana. Sexta, Conſpiratio in doctrina cum Eccleſia antiqua. Septima, Unio membrorum inter ſe & cum Capite. Octava, Sanctitas doctrinæ. Nona, Efficacia doctrinæ. Decima, Sanctitas vitæ auctorum ſive primorum Patrum noſtræ Religionis. Undecima, Gloria miraculorum. Duodecima, Lumen propheticum. Decima-tertia, Confeſſio adverſariorum. Decima-quarta, Infelix exitus ſeu finis eorum qui Eccleſiam oppugnant. Decima-quinta, Felicitas temporalis divinitùs iis collata, qui Eccleſiam defenderunt. Quæ quidem quindecim notæ*, ait ibidem Bellarminus, *poſſunt aliquomodo revocari ad illas quatuor, quæ communiter à recentioribus aſſignantur ex Symbolo Conſtantinopolitano. Unam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam*.

Multi nihilominus inter Catholicos exiſtimant, duas poſteriores notas, quas

aſſignat Bellarminus, nempe infelicem exitum hoſtium Eccleſiæ, & felicitatem temporalem eorum qui Eccleſiam defenderunt, ab eo expungi debuiſſe. Quid de hac ſententia, & de notis à Novatoribus aſſignatis ſit ſentiendum, mox aperiemus.

Utrum felicitas temporalis defenſorum, & infelix exitus hoſtium Eccleſiæ ſint veræ Eccleſiæ notæ.

CONCLUSIO.

Nec felicitas temporalis defenſorum Eccleſiæ, nec infelix exitus hoſtium ejuſdem, videntur recenſeri debere inter veras & proprias Eccleſiæ notas.

Probatur. Quia judice ipſomet Bellarmino L. 4. de Eccleſia cap. 2. notæ Eccleſiæ debent eſſe propriæ, non communes: atqui tales non ſunt duæ illæ notæ quas cap. 17. & 18. aſſignat, felicitas nimirum temporalis defenſorum, & infelix exitus hoſtium Eccleſiæ.

Primò, quod ſpectat ad felicitatem temporalem, notum eſt eam non eſſe ſanctitatis indicium, tantùm abeſt ut ſit Eccleſiæ nota & prærogativa; cùm de ipſa meritò dictum ſit à S. Auguſtino *Nihil eſſe infelicius peccantium felicitate*, & Deum aliquando propitium negare, quod iratus concedit. Hinc & illa Jeremiæ apud Dominum expoſtulatio cap. 12. ſuæ Prophetiæ v. 1. *Juſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen juſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur? Benè eſt omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt: plantaſti eos & radicem miſerunt; proficiunt, & faciunt fructum.* Quo pacto igitur felicitas temporalis, qua non caruerunt Hæreticorum ſectæ, nec ipſa quidem Mahometanorum Religio, potuit inter veras & proprias Eccleſiæ notas à Bellarmino accenſeri? An illam Apoſtolis ſuis promittebat Chriſtus, cùm Eccleſiæ ſuæ futuram aliquando conditionem prænuntians, nonniſi cruces, opprobria, afflictiones, perſecutiones, ob oculos ponit? Et reipſa quot mala paſſa eſt ad tempora uſque Conſtantini? Quot ſub Conſtantio filio Conſtantini, & Valente, & aliis ſingulis fermè prioribus Eccleſiæ ſæculis? Hinc S. Aug. Enarratione in Pſal. 72. ad iſta verba; *Mei autem penè commoti ſunt pedes, &, Zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Adtendi*, inquit, *peccatores, vidi illos habere pacem. Quam pacem? Temporalem, fluxam, caducam, atque terrenam: ſed tamen talem qualem & ego à Deo deſiderabam. Vidi illos habere qui non ſerviebant Deo, quod ego deſiderabam ut ſervirem Deo: & moti ſunt pedes mei & penè effuſi ſunt greſſus mei.* Deinde quærit quare peccatores hanc temporalem habeant felicitatem, ac reſpondet: *Intellexi*, inquit, *quia morti eorum non eſt declinatio, id eſt, quia certa mors & æterna eos manet, quæ nec declinat ab eis, nec ipſi ab ea declinare poſſunt.* T. 4. p. 758. F.

Obſervat idem ſanctus Doctor Lib. de unitate Eccleſiæ c. 19. Paganos, Judæos & Hæreticos interdum exaudiri, *vel à ſpiritibus ſeductoribus . . . ſive ab ipſo Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad ſolatium miſeriæ, vel ad admonitionem quærendæ ſalutis æternæ.* 372. E. To. 9. F.

Secundò, quod ſpectat ad infelices exitus eorum à quibus impugnata fuit aliquando Eccleſia, certum videtur quòd neque hoc poſſit eſſe certa & pro-

pria

pria Eccleſiæ nota: tùm quia non ſemper infauſtus fuit eorum omnium exitus, ut videre eſt vel in ſola Mahometti fortuna: tùm quia, ut paſſim docent Hiſtoriæ, non ſemper felices fuerunt eorum exitus à quibus fortiter & ſtrenuè ſuſcepta eſt Religionis defenſio. Notæ ſcilicet ſunt, ex veteri Teſtamento, Machabæorum clades, non minùs quàm victoriæ. Adversùs Infideles non alio quàm Religionis promovendæ ſtudio cum ingenti exercitu maria trajecit S. Ludovicus Gallorum Rex tam fortis quàm prius; at certè, ut omnes norunt, eventu nunquam felici, ne dicam calamitoſo: in prima expeditione, Saracenorum captivus fuit in Ægypto; in altera, peſtilenti morbo extinctus fuit ad oram Africæ maritimam.

Quamvis igitur contingat aliquando perſecutores Eccleſiæ hac in vita à Deo flagellari; & è contra ejus defenſores præmiis ac bonis cumulari, ſicut nonnullis exemplis oſtendit Bellarminus; non tamen in his videtur conſtituenda certa & propria Eccleſiæ nota, qua ſecernatur à qualibet alia ſocietate aut Infidelium, aut Hæreticorum.

Utrum doctrinæ veritas, ac legitimus Sacramentorum uſus ſint veræ ac propriæ Eccleſiæ Chriſti notæ.

Non quæritur utrum doctrinæ veritas & legitimus Sacramentorum uſus in Eccleſia Chriſti reperiantur, & aliquo ſenſu ejus proprii caracteres dici poſſint: nemo iſtud jure inficiabitur. Qui enim Eccleſiam Chriſti rectè cognoſcit, eos ſtatim in ea caracteres velut à poſteriori, ut ajunt, deprehendit.

Neque etiam quæritur, an liceat & neceſſe ſit ſcrutari Scripturas, & ſacram expendere doctrinam.

Verùm quæſtio eſt utrum qui in Chriſto ejuſque Eccleſiæ nomen dare voluerit, is incipere primùm debeat ab examine & diſcuſſione doctrinæ, ut inde ad certam Eccleſiæ notitiam perveniat; an verò à cognitione veræ Eccleſiæ, ut ab iſta veram ac genuinam ſubinde accipiat fidei doctrinam: uno verbo, an fidem ex Eccleſia, vel potius Eccleſiam ex fide cognoſcere; an viam auctoritatis Eccleſiæ ſequi primùm debeat, an potius viam diſcuſſionis & examinis doctrinæ.

Hoc poſtremum volunt Novatores; primum verò Catholici: quæ certè quæſtio affinis eſt ac intimè colligata cum alia graviſſima, quam ſuo loco expendemus, an Eccleſia ſupremus ſit Judex controverſiarum quæ circa fidem ac Religionem exoriuntur. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Neque vera Chriſti doctrina, neque legitimus Sacramentorum uſus, ſunt veræ notæ quibus certò dignoſci poſſit Eccleſia Chriſti, & diſcerni à quacunque alia falſi nominis Eccleſia.

Eſt contra Lutheranos & Calviniſtas.

Probatur 1. Quia illæ veræ nec ſunt nec dici poſſunt Eccleſiæ Chriſti notę, quæ non habent conditiones ad veram Eccleſiæ notam prętequiſitas: atqui neque vera Chriſti doctrina, neque legitimus Sacramentorum uſus

uſus habent conditiones ad veram Eccleſiæ notam prærequiſitas. Iſtæ verò ex antè dictis ſunt omninò tres. 1. debent eſſe propriæ, non communes. 2. debent eſſe notiores & clariores re quam ſignificant. 3. debent eſſe ſenſibiles & obviæ, & omni hominum generi atque conditioni accommodatæ. Atqui conditiones hujuſmodi non habent vera Chriſti doctrina, & legitimus Sacramentorum uſus.

I. Non primam: namque nulla fuit unquam Hæreticorum ſecta, quæ non jactaret ſe puram habere Chriſti doctrinam, & ejus Sacramenta: nulla, quæ errorum ſuorum patrocinium ex Scripturis non repetierit; nulla pariter quæ non contenderit veram eſſe apud ſe Eccleſiam. *Singuli quique hæreticorum cœtus ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant*, ait Lactantius L. 4. Inſtit. c.29. Et S. Cyprianus Epiſt. ad Jubajan. de Novatiano ait: *Novatianus ſimiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem ſibi & veritatem vindicare; quando ipſe in Eccleſia non ſit, imò adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis & hoſtis extiterit. Sciens etenim unum eſſe baptiſma, hoc unum ſibi vindicat, ut apud ſe eſſe Eccleſiam dicat, & nos hæreticos faciat.* *Ed. Baſil. part. 282. n. 30.* *P. 122.*

Hoc ipſum prætendebant Donatiſtæ. *Quæſtio inter nos verſatur*, ajebat S. Auguſtinus, *ubi ſit Eccleſia, utrum apud nos, utrum apud illos.* *Lib. de unit. Eccl. c. 2. n. 2.*

Idem ſanctus Doctor contra Epiſtolam fundamenti cap.4. poſtquam dixit plures eſſe notas quibus Eccleſia etiam à rudioribus dignoſci queat, obſervat Hæreticos nihil habere hujuſmodi, ſed unam dumtaxat veritatis pollicitationem. *Apud vos*, inquit, *ubi nihil horum eſt quod me invitet ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio: quæ quidem ſi tam manifeſta monſtratur, ut in dubium venire non poſſit, præponenda eſt omnibus illis rebus quibus in Catholica teneor: ſi autem tantummodò promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Chriſtianæ Religioni adſtringit.* *To 9. p. 338. D.* *To. 8. p. 153. D.*

Porrò qui fieri poteſt ut doctrinæ veritas, quam tot diverſæ hæreticorum ſectæ ſibi vendicant, & de qua diſputatur, propria eſſe poſſit veræ & unius Chriſti Eccleſiæ nota? Quaſi una & vera Chriſti Eccleſia, inter tot errorum monſtra & portenta ſubſiſtere poſſet!

Deinde, in mente Lutheranorum & Calviniſtarum Eccleſia conſtat ſolis juſtis ac prædeſtinatis: atqui per veram Chriſti doctrinam & ejus Sacramenta numquam demonſtrari poterit, quinam ſint prædeſtinati & verè ſancti; ac proindè iis dignoſci nunquam poterit ubinam, & quæ vera ſit Eccleſia Chriſti, ſed ad ſummum ubinam lateat.

Prætereà, vel illa pura doctrina, quam pro nota Eccleſiæ aſſignant Novatores, debet eſſe ita pura, ut vel minimum excludat errorem, vel ſolùm eos quos vocant fundamentales: atqui neutrum dici poteſt. Non primum; alioquin enim neque apud Lutheranos, neque apud Calviniſtas eſſet vera Eccleſia: tùm quia Lutherus Lib. de Eccleſia, & Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 1. paragr. 12. fatentur verbum Dei ita eſſe notam Eccleſiæ, ut tamen aliquando magis purè, aliquando minùs purè annuntietur: tum quia non diffitentur ſuas Eccleſias nævos aliquos habere: tùm denique quia neceſſe eſt vel Lutheranos, qui præſentiam corporis Chriſti realem in Euchariſtia admittunt, vel Calviniſtas, qui eam negant, errare contra veritatem à Deo revelatam.

Digitized by Google

Non ſecundum: 1. Quia hoc pacto nota communis erit pluribus Sectis. Lutherani enim & Zuingliani non diſſentiunt circa præcipuum fidei fundamentum, puta Trinitatem & Incarnationem. 2. Quia nondum inter ſe convenire potuerunt Calviniſtæ, quinam errores eſſent fundamentales: quam diſtinctionem articulorum fundamentalium & non fundamentalium, ſuo loco vanam ac futilem eſſe oſtendimus.

II. Non habent etiam tùm veritas doctrinæ, tùm legitimus Sacramentorum uſus, ſecundam conditionem neceſſariam ad veram Eccleſiæ Chriſti notam.

Namque ſi tam obſcurum ſit, imò magis, dignoſcere quænam ſit pura Chriſti doctrina, quænam pura ejus Sacramenta, quàm quæ ſit vera ejus Eccleſia, certè dici non poteſt hæc duo notiora eſſe ac clariora ipſamet Eccleſia: atqui tam obſcurum eſt, imò longè magis, dignoſcere quæ ſit pura Chriſti doctrina, & quæ vera ejus Sacramenta, quàm quæ ſit vera Eccleſia. Ut enim certò cognoſcatur quæ vera ſit Chriſti doctrina, tria certò conſtare debent. 1. verbum Dei, in quo illa doctrina continetur, eſſe reipſa verbum Dei. 2. Verſiones Librorum in quibus legitur hoc verbum Dei, eſſe fideliſſimas; & ipſos fontes ab omni errore ſaltem fundamentali eſſe liberos. 3. Quinam ſit ſenſus illius verbi, quæ legitima interpretatio. Atqui difficile admodum & arduum eſt, ne dicam impoſſibile, hæc omnia ab unoquoque privato dignoſci & explorari, cujus prorſus incapaces ſunt ruſtici, plebæji, illiterati &c. Quin & litterati ipſi ac docti de hiſce tribus graves habent inter ſe concertationes, quæ privatorum judicio & auctoritate finiri ac terminari nunquam poſſunt. Non eos omnes Scripturæ Libros tanquam Canonicos agnoſcit Lutherus, quos tamen Calvinus admittit; v.g. Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolam S. Jacobi, Apocalypſim. Non minùs etiam diſcordes ſunt circa ſenſum & interpretationem Scripturæ. Lutherus in iſtis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*; deprehendit realem ac ſubſtantialem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam: Calvinus è contra realem abſentiam, & figuratam dumtaxat præſentiam. Quis litem inter ipſos componet? Nemo certè, niſi judicem Eccleſiam audire voluerint. *Scripturam ſacram*, ait Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 2. *pro ipſa ſui altitudine, non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt* (Hæretici,) *ſed ejuſdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur, ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur.... Atqui idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.*

Bibl. PP. T. 7. pag. 250. D.

S. Auguſtinus Lib. 7. de Gent. ad litt. cap. 9. *Neque enim non omnes hæretici*, ait, *Scripturas Catholicas legunt; nec ob aliud hæretici ſunt, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt.*

To. 3. 1. part. p. 215. G.

Et Lib. 1. contra Creſconium cap. 33. *Scripturarum*, inquit, *à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.*

To. 7. p. 407. F.

Longè igitur difficiliùs dignoſcitur tùm ipſamet Scriptura Libris Canonicis con-

contenta, tùm ipſe legitimus Scripturæ ſenſus: non ita verò difficile eſt veram dignoſcere Chriſti Eccleſiam, quæ tot ſplendidis notis ac caracteribus undequaque fulget & emicat.

Et certè ſupponamus aliquem peregrinum nullis litteris inſtructum & ſine ulla religione, ſæpè hinc & inde à Catholicis & Novatoribus audiviſſe, ſalutem à nemine poſſe obtineri, qui non ſit in vera Chriſti Eccleſia, tandem ſincero afficiatur illius veræ Eccleſiæ detegendæ deſiderio; ſed cùm videat multas ſocietates & nomine & ſententiis multùm diſcrepantes, ut Huſſitas, Lutheranos, Zuinglianos, Anabaptiſtas, Puritanos, Socinianos, qui quidem omnes apud ſe eſſe ſolam, quam inquirit, veram Eccleſiam, profiteantur, mirè perplexus eſt, atque admodum anxius quam in partem ſe convertat. Afferunt ſinguli pro nota ſuæ Eccleſiæ, quòd apud ſe doceatur pura Chriſti doctrina: probat quiſque fidei ſuæ articulos ex Scriptura etiam juxta vim Hebraici vel Græci textus intellecta, & adverſariorum rationes eruditè & acutè confutat. Is certè homo qui horumce omnium valdè ignarus eſt ac imperitus, nullam ex his Eccleſiis poterit amplecti: cùm enim has omnes diputationes & momenta nec penetrare quidem poſſit, imò nec attingere, tam anxius & anceps hærebit ac erat antea; neque ullam è ſocietatibus prædictis alteri præferendam judicare unquam poterit, ſi delectus ille pendeat ex privato ipſius de veritate doctrinæ judicio, examine ac diſcuſſione. Unde meritò verba hæc cujuſdam Catechumeni apud S. Auguſtinum Lib. 13. contra Fauſtum Manichæum cap. 13. uſurpare poterit: *Quo ergo freno manifeſto adhuc parvulus, & nondum valens liquidam diſcernere a tot erroribus veritatem, quo manifeſto indicio tenebô Eccleſiam Chriſti?* To. 8. p. 259. B.

Neceſſe igitur eſt hominis illius animum & attentionem revocare ad ſenſibiles & conſpicuas Eccleſiæ notas, quæ tanta diſcuſſione & examine non indigent, & à rudioribus, modò ſenſu & ratione non ſint deſtituti, nullo negotio ac facilè deprehendi poſſunt: ad ſtupendum ſcilicet & omni humana induſtria longè ſuperiorem modum, quo Chriſtiana fides ac Religio propagata fuit, ſine armis & viribus, ſine arte & eloquentia; tota licèt reclamante ac renitente hominis natura, cui certè dura illa eſt ac moleſta; obſiſtentibus undique ac furentibus Tyrannorum perſecutionibus, acerbiſſimiſque ſuppliciis: ad miram & planè divinam Martyrum in ſuſtinendis cruciatibus & acerbiſſima morte conſtantiam & fortitudinem, quorum ſanguine crevit & amplificata eſt Eccleſia, nedum extincta; quæ profectò extincta ſtatim & oppreſſa jacuiſſet, niſi divina fuiſſet: ad ſplendorem miraculorum, quibus illa illuxit ac confirmata fuit. Quantùm verò ad præſens noſtrum attinet inſtitutum, attendere maximè debet ad antiquitatem, univerſalitatem, conſenſionem doctrinæ in Catholica ſeu Romana Eccleſia; perpetuam & nunquam interruptam ab ipſo ſancto Petro ad hanc uſque diem Epiſcoporum in ea ſucceſſionem, de quibus credibilitatis, ut vocant, motivis, ſuo loco fuſiùs tractant Theologi.

Uni doctrinæ antiquitati hic obiter inſiſtimus, unde preſſiùs Novatores noſtri urgeri poſſunt. *Ex ipſo quippè ordine manifeſtatur*, ait Tertullianus Lib. de Præſcrip. cap. 31. *id eſſe Dominicum & verum, quod ſit priùs traditum; id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Hæreſes omnes*, ait [illegible] S. Auguſtinus de Symbolo ad Cathec. *de illa* (Eccleſia) *exierunt, tanq*[illegible] Pagina 213. B. To. 6. p. [illegible] E.

C 2 *ſarmen-*

ſarmenta inutilia de vite præciſa. Veritas igitur antiquior eſt ac prior errore. Ut ergo dignoſcatur quæ inter tam multas & varias, vera ſit doctrina, neceſſe eſt inquirere, quænam ſit antiquior: ea porrò antiquior æſtimanda, quæ primùm in Eccleſia Chriſti tradita.

Unde Novatores Lutheranos & Calviniſtas facili iſto ac invicto argumento premimus: Ea doctrina vera eſt ac retinenda quam tenebat Eccleſia quo tempore ab ea diſceſſiſtis; erat enim tunc, vobis fatentibus, una & ſola Chriſti Eccleſia, *Columna & firmamentum veritatis*. 1. Tim.3. v. 15. Vel igitur doctrina quam illa pura Dei Eccleſia tenebat, eadem eſt cum veſtra, vel diverſa: ſi eadem, quare ab ea diſceſſiſtis? Rei eſtis ſchiſmatis. Si diverſa; ergo veſtra doctrina falſa eſt, quæ diſcrepat ab ea prima & originali, quam tenebat una & ſola, quæ tunc erat, Chriſti; ergo non tantùm ſchiſmatici, ſed & hæretici facti eſtis. Quo in argumento manifeſtum eſt, doctrinæ veritatem ex Eccleſia non Eccleſiam ex veritate doctrinæ demonſtrari. Unde meritò dixit Auguſtinus Lib. de quant. animæ c. 7. *Auctoritati credere magnum compendium eſt, & nullus labor*. Et S. Hieronymus Dial. adv. Lucif. in fine, *Poteram*, inquit refellens Luciferianos, *omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ ſole ſiccare*. Quòd nempè una Eccleſiæ auctoritas ſufficiat, ac neceſſaria ſit omnibus generatim de fide ac Religione controverſiis finiendis ac terminandis, abſque longiori & moleſta diſcuſſionis & examinis via. Graviſſimæ verò rationes & cauſæ ſunt quibus Eccleſiæ auctoritati deferre plurimùm debemus, in qua tot ſunt quæ nos retineant. *Multa ſunt*, ait S. Auguſtinus contra Epiſt. fundam. cap.4. n. 5. *quæ in Eccleſiæ gremio me juſtiſſimè tenent. Tenet conſenſio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculi inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.... Ego verò Evangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*.

Urgentur Novatores ex antiquitate doctrinæ Catholicæ.

To.1.p. 406.F. — To.4.p. 2.p.306 — To.8.p. 153.B. — Ibid. p. 154.A.

III. Denique, neque poſtrema conditio ad veram & propriam Eccleſiæ notam requiſita, convenit veræ Chriſti doctrinæ; quippè ſenſibilis non eſt, nec obvia, nec omni hominum generi atque conditioni accommodata: tùm quia ſimplices, ruſtici, illiterati, & plebæji &c. prorſus incapaces ſunt diſcuſſionis ſeu examinis doctrinæ; tenentur tamen illi, ſi ſalvi eſſe velint, veram Chriſti Eccleſiam agnoſcere, & ad eam ſeſe recipere: tùm quia vera Chriſti doctrina cognoſci non poteſt ſolo lumine naturali & per cognitionem ortam à ſenſibus; quia tanta eſt myſteriorum ejus ſublimitas, ut omnem humanæ rationis captum longè ſuperet; & ita incredibilis appareat, ut ſtultum videatur & inſaniæ genus iis aſſentiri; juxta illud Apoſtoli 1. Cor.1. v. 18. *Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt*. Et v. 23. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*. Et cap. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*.

Probatur 2. Quia ſignum rei cujuslibet diſtinguitur à re ſignificata, neque per-

pertinere poteſt ad ejus eſſentiam; alioquin enim aliud ſignum foret neceſſarium quo diſcerneretur: atqui vera Chriſti doctrina pertinet ad eſſentiam Eccleſiæ, imò eſt pars illius eſſentiæ quæ eſt inviſibilis. Conveniunt enim inter ſe Catholici & Reformatores, Eccleſiam eſſe ſocietatem puram Chriſti Religionem profitentium. Societas quidem profitentium Chriſti Religionem exterior eſt ac viſibilis: at puram Religionem eos profiteri, non ita certè clarum eſt; aut ſaltem id ipſum eſt de quo diſputatur: qua igitur ratione vera & pura Chriſti doctrina poteſt eſſe nota Eccleſiæ?

Probatur 3. Ad Eccleſiam ſolam pertinet proponere ac determinare quæ vera ſit Chriſti doctrina; eſt enim hæc viva & ſpirans doctrinæ regula, quam in dubiis circa fidem conſulere tenemur; ergo vera Chriſti doctrina non poteſt eſſe nota Eccleſiæ. Conſequens clarum eſt. Quomodo enim vera Chriſti doctrina poteſt eſſe ſignum Eccleſiæ, niſi priùs conſtet quæ ſit vera doctrina? Non conſtat autem niſi per Eccleſiam.

Antecedens non minùs certum eſt ex communi SS. Patrum ſententia, quam poſteà fuſiùs exponemus, ubi quæſtio erit de ſupremo Judice controverſiarum. Sufficiat hìc laudaſſe

S. Irenæum Libro 3. adversùs hæreſes cap 4. *Non oportet*, ait, *adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere: cùm Apoſtoli quaſi* Pagina
in depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia quæ ſint veritatis: ut 268. n.
omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ.... Quid enim? Et ſi de aliqua 1.
modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum & re liquidum eſt?

Tertullianum Lib. de Præſcript. cap. 21. ubi ait: *Quid prædicaverint* (Apo- Pagina
ſtoli,) *id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam non aliter pro-* 209. A.
bari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva, quòd ajunt, voce, quam per Epiſtolas poſtea. Si hec ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam.... Omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum.

S. Auguſtinum Lib. contra Epiſt. fundamenti cap. 5. jam citato. *Ego verò*
inquit, *Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctori-* To. 8. p.
tas. Quibus ergo obtemperavi dicentibus, Credite Evangelio; cur eis non obtem- 154. A.
perem dicentibus, Noli credere Manichæo?

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Brentio, Philippo, Calvino &c. nonnulla Scripturæ teſtimonia.

1. Matth. 18. v. 20. Congregari in nomine Chriſti, pro vera Eccleſiæ nota aſſignatur. *Ubi*, inquit Chriſtus, *ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

2. Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meum audiunt*. Ergo ſunt ex ovili Chriſti, quod eſt Eccleſia, qui ejus vocem, hoc eſt veram ejus doctrinam audiunt.

3. Joan. 15. v. 3. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. At illa eſt vera Eccleſia, quæ munda eſt coram Deo.

4. Epheſ.5.v.27. Apoſtolus de Eccleſia ſic loquitur: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Quibus verbis ſignificat Eccleſiam mundari verbo Dei; ergo ubicunque eſt verbum mundans, ibi eſt Eccleſia.

Reſp. Hæc Scripturæ teſtimonia non videri præſenti controverſiæ accommodata: neque enim evincunt veram doctrinam notam ſeu ſignum eſſe, quo Eccleſia Chriſti à qualibet alia ſocietate diſcerni poſſit.

Non primum: Nam ſi congregari in nomine Chriſti nota ſit veræ Eccleſiæ, certè non erit iſta congregatio qualiſcunque in nomine Chriſti; ſic enim omnes hæretici & ſchiſmatici congregantur in nomine Chriſti, cùm omnes nomen Chriſti appellent & obtendant: ſed ea ſola erit congregatio, quæ fit auctoritate à Chriſto accepta: ab iis nempè qui ſuam habent à Chriſto ipſo auctoritatem & pro eo legatione funguntur, quales ſunt Epiſcopi legitimè ordinati, & gradui ſuccedentes Apoſtolico, per continuam & non interruptam Epiſcoporum ſeriem atque ſucceſſionem uſque ad Apoſtolos quos Chriſtus Dominus ſui loco conſtituit: atque ſic ejuſmodi nota coincidit cum Apoſtolicitate Eccleſiæ, de qua inferiùs dicemus.

Non ſecundum: Nam ſi audire vocem Chriſti eſſet nota Eccleſiæ, nemo eſſet hæreticus qui non contenderet apud ſe veram eſſe Eccleſiam, utpote qui ſe vocem Chriſti audire gloriaretur. Deindè probat quidem locus ille, quinam ſint electi; non autem quæ ſit vera Eccleſia, & ubinam illa ſit. Sunt ſcilicet electi, ut exponit S. Auguſtinus, qui corde perſeveranter audiunt & retinent verbum Chriſti: cùm autem nemo ſcire poſſit, quinam corde audiant, & revera ſint prædeſtinati, non poteſt hæc eſſe viſibilis Eccleſiæ nota per quam ab aliis dignoſci poſſit, etiam à rudioribus & extraneis; ſed ad ſummum poteſt eſſe cuilibet prædeſtinato qualiſcunque nota, ut ſaltem conjecturaliter aliquam habeat ſuæ electionis notitiam.

Non tertium & quartum: Quia mundatio illa Eccleſiæ quæ fit per verbum Dei, eſt per ſe inviſibilis; adeoque probat tantùm Eccleſiam mundam eſſe coram Deo, ſed non coram hominibus; ac conſequenter hac ratione fieri manifeſtam Deo, non hominibus.

Inſtabis 1. cùm Calvino. Verbum Dei eſt per ſe efficax; & ubicunque prædicatur, aliquos fideles efficit & bonos, adeoque & Eccleſiam.

Reſp. verbum Dei eſſe quidem per ſe efficax, & ſemper ſanctificare, cùm legitimè prædicatur, & ſemen iſtud ſalutis ac vitæ in terram cadit bonam, & cùm annuntiatur ab habentibus poteſtatem legitimam, & miſſis à legitima auctoritate; aliàs etiam ſæpè contingit illud annuntiari apud hæreticos variarum ſectarum, ubi non fructificat, neque aliud profert niſi lolium & zizaniam.

Inſtabis 2. Si veritas doctrinæ, quam interna Spiritus ſancti unctio humilibus aperit, non eſt vera Eccleſiæ nota, nuſquam rudes & imperiti veram Chriſti Eccleſiam dignoſcere poterunt. Namque generalia illa credibilitatis motiva omnibus Chriſtiani nominis ſocietatibus communia ſunt, hæreticis non minùs quàm Catholicis perſpecta; neque tamen ſufficiunt ut omnibus Chriſtianis veram certiſſimè demonſtrent Chriſti Eccleſiam.

Reſp. Nego ſequelam antecedentis. Revera quidem ex iis generalibus motivis quibus evidenter (evidentia, ut vocant, extrinſeca) vera oſtenditur Chriſtiana Religio, non omnibus ſtatim clarè ac diſtinctè innoteſcit ſpecialis ſocietas credentium in Chriſtum, quæ vera dicitur & eſt Chriſti Eccle-

ſia:

ſia: at nullus eſt tam rudis ac tardus ingenio, qui ſi vel minimùm attendere voluerit ad ſanctitatem, antiquitatem, extenſionem, univerſalitatem, conſenſionem populorum, perpetuam & nuſquam interruptam Paſtorum ſucceſſionem, ſtatim non inferat, Romanam Eccleſiam, cui ſoli caractères illi conveniunt, veram eſſe Chriſti Eccleſiam. Profectò hæc longè clariùs innoteſcunt, quàm veritas doctrinæ, de qua tot moventur diſputationes; & unctio privata Spiritus ſancti, quæ adeò æquivoca eſt, & apertam viam aperit phanatiſmo.

Inſtabis 3. Scriptura quæ eſt ipſum verbum Dei, notior eſt Eccleſia, quandoquidem per ipſam probatur Eccleſia.

Reſp. notiorem quidem eſſe ſecundùm quid, cùm nempè de ipſa conveniunt ambæ partes, clarè loquitur, & eſt quæſtio de ipſa Eccleſia. Sic cùm diſputaret olim S. Auguſtinus adversùs Donatiſtas ubinam eſſet vera Eccleſia; quia admittebant Scripturas, & aliunde claræ erant, idcircò Scripturis utebatur ut probaret Eccleſiam non eſſe in ſola Africa. Non eſt tamen notior ſimpliciter & abſolutè: tùm quia ipſi Eccleſiæ data eſt Scriptura, quam aliis tradit & explicat; tùm quia facilius eſt Eccleſiam dignoſcere, quàm Scripturam ubique intelligere. Hinc cùm agebat S. Auguſtinus de Baptiſmo hæreticorum contra Donatiſtas, quia obſcura erat Scriptura, & notior Eccleſia, idcircò validum eum probat, quòd eum admitteret Eccleſia.

Deinde, ſicut cùm à Teſtatore inſtitutus eſt Executor & interpres teſtamenti, ab ipſo inquirendum eſt, quæ ſit voluntas Teſtatoris, ſi fortè obſcurè propoſita ſit, vel alia occurrat difficultas: ita pariter, cùm Chriſtus voluntatis ſuæ interpretem ſtatuerit Eccleſiam, clariùſque loquatur & manifeſtare poſſit quæ ſunt obſcuriora in Scripturis, idcircò ſimpliciter dici debet notior Eccleſia quàm Scriptura.

Objicies 2. S. Auguſtinus pluribus in locis docet Eccleſiam non aliter cognoſci & probari poſſe, quàm per verbum Dei ſeu per Scripturas.

Epiſtola 105. quæ eſt ad Donatiſtas aliàs 166. & in qua eos hortatur ad unitatem Eccleſiæ, eos inde redarguit, quòd cùm in Scripturis Chriſtum agnoſcerent, in iiſdem non agnoſcerent Eccleſiam, quamquam ex æquo ibi doceantur ambo. *In Scripturis*, inquit n. 14. *diſcimus Chriſtum, in Scripturis diſcimus Eccleſiam. Has Scripturas communiter habemus; quare non in eis & Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus?* *To. 2. p. 301. F.*

Et Lib. de unitate Eccleſiæ pluribus oſtendit adversùs Donatiſtas, non poſſe Eccleſiam aliunde cognoſci, quàm per verbum Dei, ſeu ex Scripturis Canonicis & doctrina in ipſis contenta; & tandem ſubjungit cap. 19. n. 50. *Sed utrum ipſi Eccleſiam teneant, nonniſi de divinarum Scripturarum Canonicis Libris oſtendant.* Atque ita fieri debere ſubinde declarat exemplo Chriſti Domini, qui cùm reſurrexiſſet à mortuis, & diſcipulis ſeſe tangendum & palpandum offerret, ne quid tamen fallaciæ eſſe vel minimùm ſuſpicarentur, teſtimoniis Legis, & Prophetarum, & Pſalmorum confirmare voluit, oſtendens ſcilicet ea quæ de ſe prædicta fuerant, adimpleta fuiſſe. *To. 9. p. 373. B.*

Et Lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. expreſsè dicit, *veritatem, ſi manifeſta monſtraretur, ut in dubium venire non poſſet, præponendam eſſe omnibus iis quibus antea dixerat ſe teneri in Eccleſia Catholica.* Ergo doctri- *To. 8. p. 153. D.*

næ veritas ſola ſufficit, ut dignoſcatur vera Chriſti Eccleſia, quantùm neceſſe eſt, ut quis ab ea non recedat, aut alii ad eam accedant.

Reſp. ex adductis S. Auguſtini teſtimoniis quædam eſſe adversùs Donatiſtas, quædam verò adversùs Manichæos; ex nullo autem eorum inferri poſſe verbum Dei, ſeu veram doctrinam propriam eſſe Eccleſiæ notam. Non quidem ex teſtimoniis contra Donatiſtas.

I. Quia adversùs eos agens ſanctus Doctor de unitate Eccleſiæ, ſupponit veram doctrinam per Eccleſiam dignoſcendam eſſe, non autem Eccleſiam per doctrinam. Namque cùm illi contenderent Baptiſmum ab Hæreticis collatum nullum eſſe, nihilque ex Scripturis afferri poſſe fateretur ſanctus Auguſtinus, quod apertè & evidenter demonſtraret illum eſſe ratum & validum, confugit ſanctus Doctor ad auctoritatem Eccleſiæ ubique diffuſæ, To.9.p. 380.E. cui teſtimonium Chriſtus perhibuit. *Nunc verò*, inquit, *cùm in Scripturis non inveniamus aliquos ad Eccleſiam tranſiiſſe ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis, eſſe ſuſceptos; ſuſcipiendi ſunt iſti, quemadmodum ſuſcipit iſta Eccleſia per omnes gentes*. Supponebat ergo ſanctus Auguſtinus, validiori argumento dirimi non poſſe controverſiam Catholicos inter & Donatiſtas, quàm ipſo ſenſu ac judicio Eccleſiæ; adeoque doctrinam non eſſe ſignum Eccleſiæ, imò potius Eccleſiam veræ doctrinæ ſignum ac notam eſſe.

II. Quando videtur ſanctus Doctor probare Scripturam ſacram & doctrinam in ea contentam veram eſſe Eccleſiæ notam, non eo ſenſu intelligendus eſt, quaſi exiſtimet eam eſſe notam ſimpliciter, & reſpectu omnium etiam infidelium qui Scripturas non admittunt, quales ſunt Gentiles & Pagani; ſed ſolummodò eſſe notam ſecundùm quid & ex hypotheſi, idque reſpectu eorum dumtaxat qui Scripturas agnoſcunt, quales ſunt ut plurimùm Hæretici. Agit ſcilicet iis in locis S. Auguſtinus adversùs Donatiſtas, qui Scripturarum auctoritatem admittebant, imò & ad eam provocabant, ut oſtenderent penes ſe ſolos & in Africæ dumtaxat angulo univerſalem eſſe Chriſti Eccleſiam. Suppoſita igitur Scripturarum auctoritate, quam illi admittebant, meritò inferebat ſanctus Doctor, doctrinam in iis contentam veriſſimam eſſe Eccleſiæ notam, eamque omnium præcipuam, & quodammodò unam & ſolam: non quidem eo ſenſu, quòd præter eam non ſint aliæ hujuſmodi notæ, ſed quòd nullæ ſint, quæ ab ea teſtimonium non habeant, Ibid. p. 373. E. F. & ejus auctoritate non fulciantur. *Hæc ſunt*, inquit, *cauſæ noſtræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.*

Itaque cùm agimus adversùs eos qui Scripturarum auctoritatem admittunt, ſolæ ſufficiunt Scripturæ, ut edoceamur quæ ſint Eccleſiæ notæ, eas enim omnes Scriptura declarat. Hinc citata Epiſtola 105. ſanctus Auguſtinus ubi pluribus Scripturæ teſtimoniis Chriſtum, quem agnoſcebant Donatiſtæ, ſignificatum fuiſſe & demonſtratum docuit, addit ibidem, iis etiam Scripturis notas contineri quibus agnoſcere poſſumus veram Chriſti Eccleſiam; & ita tandem ſub finem Epiſtolæ concludit: *Ecce Scripturæ communes, ecce ubi novimus Chriſtum, ecce ubi novimus Eccleſiam. Si Chriſtum* To.2.p. 305.E. F. *ipſum tenetis, ipſam Eccleſiam quare non tenetis? Si in ipſum Chriſtum, quem legitis, & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Eccleſiam negatis, quam & legitis & videtis?*

Eccleſia igitur & Scriptura mutuam ſibi lucem communicant: Eccleſia

Scri-

Scripturæ veritatem probat, Scriptura Eccleſiæ infallibilem auctoritatem, quamquam in diſpari probationis gradu. Eccleſia, utpote ſocietas externa & viſibilis, prior eſt ac notior Scriptura, cujus aperta nobis & evidens ſit veritas ex variis, quibusundique ſplendeſcit motivis credibilitatis. Sic autem demonſtrata Eccleſiæ veritate, ipſammet Scripturam, cujus cuſtos eſt ac interpres, Eccleſia demonſtrat; & viciſſim Scriptura ſupremam & infallibilem auctoritatem Eccleſiæ probat & aſſerit. Hæc igitur mutua probatio vitioſus non eſt circulus, cùm fiat in diverſo probationis gradu.

Non etiam ex teſtimoniis contra Manichæos quos premit argumento, ut dicitur, ad hominem, atque in eorum hypotheſi. Manichæi ſcilicet non aliam admittebant Eccleſiæ notam & probationem, quàm doctrinæ veritatem; qua in hypotheſi non dubitat aſſerere ſanctus Doctor, *quòd ſi veritas tam manifeſta monſtretur ut in dubium venire non poſſit, eam eſſe præponendam omnibus illis rebus quibus ipſe in Catholica Eccleſia tenebatur*. (To.8.p. 153.D.) At veritatem ita eſſe evidentem & manifeſtam non fatebatur Aug. *Si enim*, inquit, *hæc manifeſta veritas tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide quæ animum meum tot & tantis nexibus Chriſtianæ Religioni adſtringit*. (*Ibid.*) Non igitur ex propria ſua mente atque ſententia, ſed in hypotheſi dumtaxat Manichæorum, quam non admittit, fatetur veram doctrinam eſſe notam Eccleſiæ.

Eodem ferè modo arguebat idem ſanctus Doctor contra Donatiſtas, cùm promittebat ſe in eorum partes conſenſurum, ſi vel unum Scripturæ locum proferre poſſent, qui ſuæ ſententiæ evidenter faveret. Id ipſum quoque ajebant trecenti Epiſcopi Eccleſiæ Catholicæ, in illa celebri Collatione Carthaginenſi quæ cum iis habita eſt, ſicut refert ſanctus Auguſtinus in Collatione primæ diei cap.5. & Lib. de geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo. An propterea dici poteſt Auguſtinum, vel illos Catholicos Epiſcopos dubitaſſe de veritate Eccleſiæ Catholicæ, aut probationum quibus evincebant eam non eſſe in parte Donati? Minimè profectò. Sed id offerebant & pollicebantur, certi Donatiſtas omni probatione eſſe deſtitutos.

Objicies 3. S. Chryſoſtomus Hom. 49. in caput 24. S. Matth. ſic loquitur. *Quare jubet* (Chriſtus) *in hoc tempore omnes Chriſtianos conferre ſe ad Scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas Eccleſias, nulla probatio eſſe poteſt veræ Chriſtianitatis, neque refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi Scripturæ divinę. Antea enim multis modis oſtendebatur, quę eſſet Eccleſia Chriſti, & quę gentilitas: nunc autem nullo modo cognoſcitur, volentibus cognoſcere quę ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodò per Scripturas*. (Ed.Commel. p. 952.col. 1. A.B.) Et poſteà ubi attulit præcipuam rationem propter quam non poteſt amplius agnoſci Eccleſia niſi per Scripturas; quia ſcilicet, *quę olim veram Religionem diſtinguebant ab hęretica, ſunt jam utrique communia, ut Epiſcopi, Ordineſque Clericorum, Baptiſmus, Euchariſtia, Scripturę, miracula, mores Chriſtianorum, Chriſtus ipſe*. (Ibid.C. D.E.) Poſtea concludit: *Qui vult ergo cognoſcere quę ſit vera Eccleſia Chriſti, unde cognoſcat, niſi tantummodò per Scripturas?* (Ibid.F.) Et poſteà. *Alioqui ſi ad alia reſpexerint, ſcandaliſabuntur & peribunt, non intelligentes quę ſit vera Eccleſia.* (Ib. col. 2.A.)

Reſp. 1. hoc Opus imperfectum in Matthæum in Homilias 54. diviſum non eſſe S. Chryſoſtomi, licèt ſub ejus nomine laudetur in Officiis Eccleſiaſ-

ticis

Digitized by Google

ticis, in Gratiano, in Summa ſancti Thomæ: tùm quia utitur vulgata verſione latina Scripturæ ſacræ: tùm quia citat Libros apochryphos, Librum nempè Seth, Ezechiæ, Itinerarium Clementis quorum certe nullus apud genuinum Chryſoſtomum uſus: tùm denique quia multa continet dogmata falſa, hæretica, veræ ſancti Chryſoſtomi doctrinæ planè adverſa.

Reſp.2. Eo ſenſu in mente hujus Auctoris, dici poſſe Scripturam eſſe notam Eccleſiæ, quòd ipſa ſola nobis ſubminiſtret veras notas quibus poſſumus eam ſecernere ab Hæreticorum conventiculis, cum quibus multa communia habemus.

Objicies 4. Nulla res cognoſci poteſt abſque cognitione eorum quæ ad ejus eſſentiam pertinent, & ipſius definitionem ingrediuntur: atqui vera Chriſti doctrina pertinet ad eſſentiam Eccleſiæ, & ejus definitionem ingreditur: definitur enim Eccleſia, Societas veram Chriſti doctrinam & fidem profitentium; ergo &c. Hoc argumentum putat Molinæus demonſtrativum & inſolubile, Lib.2. adverſùs Card. Perronium cap.16.

Reſp. diſtinguo maj. Si quæſtio ſit de cognitione rei perfecta & quidditativa, quâ nimirum penetretur quid ſit res, & quæ ſit ejus eſſentia, concedo: ſi quæſtio ſit de cognitione minùs perfecta, & aliter quàm ſecundùm eſſentiam, ſeu quantùm ſufficit duntaxat ut cognoſcatur, ubi, & quænam illa ſit, nego. Plurima cognoſcimus certò & evidenter, quantùm ſatis eſt ut certò ea ab aliis diſtinguamus, quorum tamen eſſentiam penetrare non poſſunt etiam ii qui maximè ſunt perſpicaces: ſic facile eſt & omnibus obvium ſecernere frigus à calore, lucem à tenebris, locum, tempus, ea tamen intelligere & explicare nihil difficilius. Sic fatemur Eccleſiæ naturam non poſſe cognoſci, quin vera Chriſti doctrina cognoſcatur; ſed neceſſe non eſt ut ejus natura penetretur ab iis omnibus à quibus adiri debet: alioqui vel rudioribus non pateret, vel eam ſaltem ingredi non tenerentur, cùm ipſius cognoſcendæ ſint incapaces, aut ex imperitia, aut ex defectu ingenii. Præterea, tantùm abeſt ut per cognitionem doctrinæ & verbi divini homines adducantur ad Eccleſiam, quinimò contendimus per Eccleſiam adducendos eſſe ad cognitionem veræ doctrinæ; adeoque ſecundùm ordinem generationis & naturæ, cognitio fidei ſupponit cognitionem Eccleſiæ, juxta Apoſtolum Rom.10. v.15. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* At miſſio, niſi fuerit prorſus extraordinaria, non poteſt fieri niſi per auctoritatem Eccleſiæ.

Objicies 5. Illa eſt vera Eccleſiæ nota, quæ ſemper uſurpata fuit, vel ut ſecerneretur à falſa; vel ipſa, cùm paululum defecerat, reſtitueretur & priſtinos reſumeret veræ Eccleſiæ caracteres; atqui veritas doctrinę ſemper uſurpata fuit, tùm ut ſecerneretur vera Eccleſia à falſa, tùm ut in prima conditione reſtitueretur.

Ac primò, ut ſecerneretur à falſa. Sic Judæa ut vera Dei Eccleſia agnita fuit, Samaria autem ut falſa; quia filios, quos per circumciſionem genuerat, à vera doctrina, à vero cultu avocabat, atque immolare in excelſis permittebat.

Secundò, ut reſtauraretur vera Eccleſia, ubi à priſtino ſuo ſtatu defecerat. Sic in veteri Teſtamento, ut reſtauraretur Synagoga, ſtatim à vero cultu Dei, à vera doctrina & legitimo ſacrificiorum & Sacramentorum uſu reparandis incœpta fuit reformatio. Ita Joſias impiis Regibus Manaſſe & Amon ſucce-

ſuccedens, ut Synagogam reſtitueret, ſtatim Legem Dei proponit, dei nde Paſcha celebrat. 4. Regum 23. Idem fecerunt Neemias & Eſdras.

Reſp. nego min. Neque enim afferri poteſt pro nota veræ Eccleſiæ, quod Hæretici apud ſe habere ſemper gloriati ſunt, quamquam immeritò: atqui teſtatur ſanctus Auguſtinus, nullam fuiſſe Hæreticorum ſectam quæ non gloriaretur ſe puram habere doctrinam.

Ad primam probationem: dico non propter doctrinæ puritatem, Jeruſalem Civitatem ſanctam ac veram Eccleſiam habitam fuiſſe: tùm quia & doctrina & ſacrificia aliquando corrupta fuerunt à Judæis, quemadmodum de ipſis conqueritur Ezechiel Prophetiæ ſuæ cap. 16. v. 23. Tùm quia hęc aliquando pura fuere apud Samaritanos: ſed ideò non cenſebatur Samaria eſſe vera Eccleſia; quia, ut refert Joſephus Lib. 13. Antiquitatum cap. 6. continuas Pontificum in Sacerdotio ſucceſſiones numerabat Judæa, non Samaria: utpotè cùm in monte Garizim recentiùs ædificatum fuiſſet templum Dei, nempè circa tempora Alexandri magni.

Ad ſecundam: meritò vera doctrina, & rectus Sacramentorum uſus reſtitui debent, ut reparetur Eccleſia quæ ab iis defecerat; ſed hinc inferri non poteſt eſſe notas Eccleſiæ reſtitutæ; ſunt quidem fructus reſtitutionis, non verò notæ; nam Sacramenta, Evangelium &c. poſſunt eſſe apud Hæreticos, ut obſervat ſanctus Auguſtinus Sermone ſuper geſtis Emeriti. Sicut igitur ſi coorta ſeditione deſertor aliquis vexilla regia in loco eminentiori figeret, ut iis conſpectis ſubditos Regis in partes ſuas traheret, temerè concurrerent ſubditi ad ſola vexilla jam penes deſertores poſita: ſic planè tutum non eſt recurrere ad eam Eccleſiam quæ prædicat ſe habere veram doctrinam & vera Sacramenta; cùm hæc deſertores Eccleſiæ penes ſe habere dicant: ſed quemadmodum eò recurrendum eſt, ubi ſunt Duces Regis & Magiſtratus legitimi; ita confugiendum eſt ad eam Eccleſiam in qua ſunt veri & Apoſtolici Paſtores, id eſt, ubi apparet antiquitas, univerſalitas, ſucceſſio, unitas. Unde S. Auguſtinus Lib. 3. contra Petilianum cap. 5. *Nullus*, inquit, *prædicans nomen Chriſti, & geſtans ac miniſtrans Sacramentum Chriſti ſequendus eſt contra unitatem Chriſti.* *To. 9. p. 301. D.*

Objicies denique: Scriptura fidei & doctrinæ examen præmittere ſolet cognitioni & communioni veræ Eccleſiæ. Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos.* Act. 2. v. 42. adjunguntur Eccleſiæ qui docti priùs fuerant per Apoſtolos. Et cap. 8. v. 12. qui credunt Samariæ, baptiſantur. Ut ergo in adultis fides debet præcedere Baptiſmum, qui eſt introitus in Eccleſiam; ita fidei examen & cognitio debet præcedere cognitionem Eccleſiæ. Unde Chriſtus Joann. 5. v. 39. ait: *Scrutamini Scripturas .... illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.*

Favent SS. Patres.

S. Hieronymus in Pſal. 133. *Eccleſia*, inquit, *non in parietibus conſiſtit, ſed in dogmatum veritate. Eccleſia ibi eſt, ubi fides vera eſt.* *Ed. Marian. T. 4. pag. 392. A.*

S. Ambroſius in Luc. Lib. 6. n. 68. *Fides Eccleſiæ*, ait, *imprimis quærenda mandatur, in qua ſi Chriſtus habitator ſit, haud dubiè ſit legenda. Sin verò perfidus populus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga cenſetur.* *To. 1. p. 1399. D.*

S. Auguſtinus Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 3. n. 5. *Non audiamus*, inquit, *To. 9. p. 340. G.*

Hæc

Hæc dicis, hæc dico: ſed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certè Libri Dominici, quorum auctoritati utrique conſentimus, utrique cedimus, utrique ſervimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.

Reſp. hæc fruſtra nobis opponi, quæ non negamus, nec Concluſionem noſtram attingunt, ſi argumenti æquivocatio tollatur.

Diſtinguo igitur antecedens: Scriptura fidei ac doctrinæ examen præmittere ſolet, tanquam diſpoſitionem in adultis neceſſariam ad percipienda fidei Sacramenta, concedo: tanquam veram & propriam Eccleſiæ notam, nego. Doctrina quippè illa fidei qua priùs informari neceſſe erat eos omnes qui ad Chriſtum accedere volebant, à quibus tradebatur, niſi ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis, hoc eſt ab ipſamet Eccleſia? Ergo vera doctrina per Eccleſiam priùs tradebatur & cognoſcenda erat, non verò Eccleſia per doctrinam. Qui porrò ea Eccleſiæ doctrina priùs imbuti fuerant, ii ſocietati fidelium, ſeu corpori Eccleſiæ inſerebantur & incorporabantur per Sacramentum Baptiſmi. Nihil profectò aliud ex citatis teſtimoniis extundi poteſt.

Licitum eſſe, imò & neceſſarium Scripturas legere & ſcrutari, ac doctrinam in ea contentam deprehendere, quis negat? nemo. Nec in eo verſatur, ut jam obſervatum fuit, præſens cum Novatoribus controverſia; ſed in hoc uno, utrùm neceſſe ſit priùs cognoſci veram doctrinam, quàm Eccleſiam. Negant Orthodoxi: quia vera doctrina non ex privato cujuſcunque, ſed ex publico Eccleſiæ ſenſu ac judicio æſtimanda eſt ac retinenda.

Non alius eſt SS. Patrum, qui laudati ſunt, ſenſus; imprimis verò S. Auguſtini, qui diſputans contra Donatiſtas, non ad Eccleſiam, de qua non conveniebant, ſed ad Scripturam, quam illi admittebant, eos provocare neceſſe habuit, ut ex ea veras Eccleſiæ notas, ſeu veræ Eccleſiæ naturam & caracteres dignoſcerent. *Quæſtio inter nos verſatur*, ajebat ſanctus Doctor Libro mox citato, *ubi ſit Eccleſia, utrum apud nos, utrum apud illos.* *Ibid. p. 338. A.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De unitate Eccleſiæ.

ECcleſia eſt vivum corpus. Præcipua verò unitas corporis conſiſtit in conjunctione membrorum cum capite, & inter ſe.

De unione membrorum cum capite, ſuus erit poſteà dicendi locus, cùm expendemus an vera Chriſti Eccleſia ſit Romana: hìc verò agimus de unione membrorum inter ſe.

Non eſt autem quæſtio de unitate materiali ſeu loci, ſed de unitali formali & totius. Certum quippè eſt plurimas eſſe per orbem ſparſas particulares Eccleſias, quæ uno vinculo inter ſe conjunctæ ac colligatæ, unam componunt totalem & univerſalem Eccleſiam. *Tot ac tantæ Eccleſiæ*, ait Tertullianus Lib. de Præſcrip. cap. 20. *una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima; & Apoſtolicæ, dum unà omnes probant unitatem. Numeroſitas licet diffuſa videatur....* inquit S. Cyprianus de unitate Eccleſiæ, *unitas tamen ſervatur in origine.* Quam unitatem Apoſtolus illuſtrat comparatione *Pagina 108. D.* *P. 181.*

tione

tione corporis humani, quod unum eſt, licèt multa habeat membra. *Sicut enim*, ait 1. Corint. 12. v. 12. *corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt*. Et v. 20. *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus*.

Multiplex autem diſtingui poteſt membrorum Eccleſiæ inter ſe unio, ſeu multiplex in Eccleſia unitatis ſpecies. 1. ratione principii, Dei ſcilicet vocantis. 2. ratione finis, nempè vitæ æternæ, quam ſperamus & ad quam vocati ſumus. 3. ratione capitis tùm eſſentialis & inviſibilis, nempè Chriſti; tùm miniſterialis ac viſibilis, Romani nimirum Summi Pontificis. 4. ratione mediorum, nempè Sacramentorum, per quæ ſalutem conſequi poſſumus ac debemus. 5. ratione charitatis, pacis ac concordiæ. *Solliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis*: ait S. Paulus ad Epheſ. 4. v. 3. & ad Philipp. 2. v. 2. *Idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipſum ſentientes*: de qua unitate dicitur Act. 4. v. 32. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*. 6. ratione unius panis Euchariſtici. 1. Cor. 10. v. 17. *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. 7. ratione ſubjectionis legitimis Paſtoribus. Idcircò enim Paſtores à Chriſto datos eſſe ait, ut omnes occurramus in unitatem fidei, *Alios dedit .... Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, donec occurramus omnes in unitatem fidei*. Eph. 4. 12. 8. denique ratione fidei ac doctrinæ.

Iſtas ferè omnes unitatis ſpecies complectitur Apoſtolus Epheſ. 4. v. 3. 4. & 5. his verbis: *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. Unus Deus & Pater omnium.*

De ſola fidei ac Doctrinæ unitate hic potiſſimum controvertitur adversùs Novatores; utrum ſcilicet unitas Eccleſiæ ſubſiſtere poſſit in omni & qualibet ſocietate nominis Chriſtiani, ubi tamen non eadem occurrit, ſed diverſa fidei doctrina.

Status quæſtionis cum Novatoribus, Lutheranis & Calviniſtis.

Obſervandum 1. quòd licèt Novatores, Lutherani & Calviniſtæ fateantur ad naturam Eccleſiæ omninò ſpectare fidem, Sacramenta, & Paſtores, atque Catholicorum more nonnunquam hac in parte loqui videantur, multùm tamen ſit diſcriminis inter illorum & Catholicorum ſententiam.

1. Quantùm ad fidem, volunt Catholici eam eſſe neceſſariam, quæ ſaltem in genere omnes errores ab Eccleſia proſcriptos excludat: Hæretici autem, imprimis Jurius, qui de unitate Eccleſiæ Tractatum edidit Roterodami excuſum anno 1688. Hæretici, inquam, docent eam ſufficere fidem, quæ veritates fundamentales profiteatur, licèt alios errores ab Eccleſia proſcriptos admittat.

2. Quantùm ad Sacramenta, volunt Catholici ita eandem eſſe debere Sacramentorum participationem, ut per eam omnes fideles in una duntaxat communione ſibi invicem conjungantur: docent autem Hæretici, ſatis eſſe uſum Sacramentorum habere in aliqua ex eis ſocietatibus quæ veritates fundamentales profitentur; etſi nulla ſit communio cum iis, quas

veras Eccleſias, in quibus ſalus æterna obtineri poteſt, agnoſcunt.

3. Quantùm ad Paſtores, volunt Catholici neceſſariam eſſe ſubjectionem legitimis & Apoſtolicis Paſtoribus unicæ & individualis communionis quæ vocatur Eccleſia Catholica & Romana: docent autem Hæretici, ſatis eſſe ſi adhæreant fideles Paſtoribus alicujus ſocietatis, quæ in articulis fundamentalibus non errat.

Atque ex iis principiis ſequitur in ſententia Novatorum, Eccleſiam Catholicam & univerſalem in quibuslibet ſocietatibus diffuſam eſſe, veraque habere membra in iis omnibus, modò conſtanter perſeverent in articulis fidei fundamentalibus; licèt nullam inter ſe communionem habeant, imò mutuis ſententiis ſe ſe dilacerent ac excommunicent. E contrà verò docent Catholici, corpus Eccleſiæ unicum eſſe & individuale, cujus omnia membra, quamprimùm ratione uti poſſunt & libertate, eodem communionis vinculo inter ſe colligantur, aut actuali communione, ſi nihil obſit; aut ſaltem voto ac deſiderio, ſi per vim ac inviti fideles ab illa communione reali arceantur. Tales eſſent qui in Inſulam deſertam fuiſſent amandati, aut apud infideles & Hæreticos in captivitate detenti, aut injuſtè excommunicati: tales ſunt etiam infantes, qui licèt ab Hæreticis baptiſati ſint, Chriſto tamen pariuntur ab Eccleſia, quæ generat & per uterum ſuum, & per uteros ancillarum, ut loquitur ſanctus Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo cap. 10.

Obſervandum II. controverſiam quæ Catholicos inter & Hæreticos movetur circa unitatem Eccleſiæ, in eo jam eſſe poſitam, utrum ſcilicet inter omnes ſocietates, quæ in Chriſtianorum Religione nunc occurrunt, una dumtaxat earum ſit vera Chriſti Eccleſia, in cujus ſolius ſinu ſint electi, veri fideles, membra Chriſti, & extra quam nulla ſit ſperanda ſalus. Sic affirmant Catholici: è contra Hæretici fatentur quidem extra univerſalem Eccleſiam nullam eſſe ſpem ſalutis: at volunt omnes ac diverſas Chriſtianorum ſectas ad Eccleſiam illam univerſalem pertinere; atque in qualibet ſocietate, quæ in articulis, ut vocant, fundamentalibus non errat, poſſe ſalutem & expectari & obtineri.

Obſervandum III. quòd etſi Novatores non ſatis inter ſe conſentiant in deſignandis ac figendis articulis, quos appellant fundamentales, hæc nihilominus apud ipſos generatim agnoſcatur articulorum fundamentalium idea & notio: nempè, veritas fundamentalis ea eſt, quæ Chriſtianæ fidei ita eſt eſſentialis, ut qui negare eam audeat, nullam poſſit habere ſpem ſalutis; ſive tandem ea veritas ab Eccleſia definita fuerit, ſive non: ut Trinitas perſonarum in Deo; Verbi divini incarnatio. Veritas autem non fundamentalis eſt quæcunque alia, ſive ab Eccleſia definita ſit, ſive non, quæ ſine ſalutis diſpendio ignorari aut etiam negari poteſt.

Obſervandum IV. longè diverſam eſſe Catholicorum ſententiam circa veritates fundamentales. Scilicet Catholici obſervant aliquos articulos dici poſſe fundamentales, aut comparatè ad fidem & revelationem, aut comparatè ad ſe invicem. Fatentur quidem aliquos articulos præ aliis dici poſſe fundamentales duplici ſenſu: vel quia aliquorum, non verò omnium diſtincta & explicita fides ad ſalutem ſit neceſſaria v.g. Trinitatis, Incarnationis; vel quia unus arriculus eſt radix ac fundamentum alterius: v.g. duplex in

Chriſto

Chriſto natura radix eſt ac fundamentum duplicis in eo voluntatis & operationis. Verùm hæc explicatio præſenti Quæſtioni extranea eſt & aliena. Contendunt igitur Orthodoxi omnes, comparatè ad fidem & revelationem, omnes articulos revelatos eſſe hoc ſenſu fundamentales, quòd illos negare aut impugnare nemini, qui ſalvus eſſe velit, licitum ſit. Similiter errores fundamentales eſſe, ſtatim atque ab Eccleſia damnati ſunt & proſcripti; neminique unquam licere eos contra ſententiam Eccleſiæ propugnare.

Ut verò Novatorum errores circa unitatem Eccleſiæ impugnemus, tria nobis præſtanda ſunt.

1. Probandum ita Chriſti Eccleſiam eſſe unam, ut quaslibet alias ſocietates, quarum fides etiam in articulis non fundamentalibus diverſa eſt, excludat; & extra quam nulla ſit ſperanda ſalus.

2. Eccleſiam Catholicorum habere illam unitatem, quæ nota eſt & caracter veræ Eccleſiæ, non verò Eccleſiam Reformatorum.

3. Nulla unquam de cauſa fieri poſſe ſeparationem ab Eccleſia Chriſti.

PRIMA CONCLUSIO.

Vera Chriſti Eccleſia ita eſt una, ut prorſus excludat quaſcunque alias ſocietates, quarum fides diverſa eſt & erronea in articulis etiam non fundamentalibus, & extra ipſam nulla ſit ſperanda ſalus.

Tres ſunt Concluſionis partes.

Prima pars quòd nempè Eccleſia ſit una, facilè probatur, tùm ex Scripturis, tùm ex Traditione conſtanti SS. Patrum: neque hoc in capite diutius nobis erit immorandum, cùm repugnantes non habeamus Novatores.

I. Unitatem Eccleſiæ demonſtrant, nomina, figuræ & parabolæ, quibus eam exprimunt Scripturæ ſacræ: namque propter illam unitatem Eccleſia vocatur Corpus Chriſti, Ovile, Sponſa. Propter illam unitatem adumbrata fuit per Paradiſum terreſtrem, Arcam Noe, Templum Jeroſolymitanum, Veſtem Chriſti inconſutilem. Propter illam unitatem à Chriſto deſignata fuit parabolis, Agri qui unus eſt, Sagenæ quæ in unum congregat, Areæ quæ paleas cum granis colligit.

Præterea, hanc unitatem diſertè declarat Apoſtolus 1. ad Cor. 12. v. 12. comparatione corporis humani quod unicum eſt, licèt variis membris conſtet ad varia officia deſtinatis: nempè tùm propter unitatem capitis; tùm propter unionem membrorum cum capite. *Sicut enim*, inquit, *corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus. Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptiſati ſumus*. Proſequitur Apoſtolus eandem comparationem uſque ad finem capitis, & v. 27. ſic concludit: *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*.

Ex multis capitibus Apoſtolum demonſtrare unitatem Eccleſiæ, paulò antè oſtendimus ex Epiſtola ipſius ad Epheſ. cap. 4. v. 3. 4. & 5.

II. Eandem Eccleſiæ unitatem declarat conſtans ac perpetua SS Patrum Traditio: paucos hìc appellaſſe ſufficiat, quorum judicium & auctoritatem protervè omninò ac inverecundè rejicit Jurius, quaſi jam tùm, hoc eſt

eſt 3. & 4. ſæculo, ſibi falſam effinxiſſent unitatis Eccleſiæ ideam ac notionem.

S. Cyprianus in eo, quem de præſenti argumento, ſcripſit Libro, pluribus
P. 180. adverſus Novatianos probat Eccleſiam eſſe unam. *Epiſcopatus*, inquit, *unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fecunditatis extenditur: quomodo Solis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum, & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copię largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte pręcide rivum, pręciſus areſcet.... Qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.* Et ſub finem Tracta-
P. 186. tus: *Deus*, inquit, *unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia ejus, & fides una, & plebs in ſolidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.*

Pag. 8. S. Optatus Milevitanus Lib. 1. ante medium: *Chriſtus*, inquit, *ſponſus eſt unius Eccleſię, ſicut in Canticis Canticorum ipſe teſtatur: qui cùm unam laudat, cęteras damnat.*

Sanctus Auguſtinus ex profeſſo in ſuis contra Donatiſtas Operibus probat Eccleſiam eſſe unam. Idem argumentum aliis paſſim in locis tractat ſanctus Doctor, cujus mens atque ſententia tam nota eſt ac omnibus manifeſta, ut neceſſe non videatur hic ipſius verba exſcribere.

Secunda pars, nempè Eccleſiam ita eſſe unam, ut excludat quaſcumque alias Hæreticorum ſocietates in fide etiam non fundamentali diverſas,

Probatur 1. Quia incognita eſt toti antiquitati hæc Jurii opinio, quâ vult Eccleſiam univerſalem complecti omnes etiam Hæreticorum ſectas, modò non errent in fundamentis fidei. Nihil quippè frequentius apud antiquos ſeu Patres ſeu fideles, quàm nomen Eccleſiæ, quam ſe credere publicè profitebantur; imò & nomen Catholicæ, quo ſæpiſſimè utebantur, ut Eccleſiam, cujus profeſſione gloriabantur, diſtinctiùs ſignificarent. Atqui nuſquam his nominibus intellexerunt ſocietatem univerſalem, quæ omnes complecteretur; imò verò unicam communionem, à qua quilibet Hæretici excluderentur, his nominibus ſignificari clarè ac diſtinctè docuerunt.

Ac 1. nomine Eccleſiæ unicam communionem intelligi docuerunt
Pagina 178. n. 1. S. Irenæus Lib. 3. adverſùs hæreſes cap. 4. ubi dicit veritatem in ſectis Hæreticorum quærendam non eſſe, quam facilè eſt invenire in Eccleſia: & Marcionem ſæpè in Eccleſiam veniſſe, ſed ab ea tandem ejectum fuiſſe. Hujuſce Eccleſiæ centrum eſſe Romanam Eccleſiam tradit ibid. cap. 3. *Ad hanc*,
P. 175. n. 2. inquit, *Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea quę eſt ab Apoſtolis Traditio.* Et Lib. 1. cap. 10.
Pa. 49. omnes Eccleſias in unitatem fidei conſentire aſſerit. *Nam*, inquit, *etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus Traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ, quę in Germania ſunt fundatę, Eccleſię aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hę quę in Hiberis ſunt, neque hæ quę in Celtis, neque hę quę in Oriente, neque hę quę in Ægypto, neque hę quę in Lybia, neque hę quæ in medio mundi conſtitutę.*

Pagina 203 D. Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus cap. 4. ait non minorem eſſe Eccleſiæ per-

perſecutionem per hæreſes, quàm per ipſum antichriſtum. Et cap. 21. *Quid* P. 209.
prædicaverint (Apoſtoli,) inquit, *id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit,* A.
& hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quàm per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.

S. Clemens Alexandrinus Lib. 7. Strom. *In unius*, inquit, *naturæ ſortem*
cooptatur Eccleſia, quæ eſt una, quam conantur hæreſes in multas diſcindere; Edit.
eaque, quæ antiqua eſt & Catholica, una eſt propter unitatem fidei. Pariſ.

Origenes Lib. 1. in Job. *Ad dimicandum*, inquit, *adversùs Eccleſiam, non* 1512. p. 749.
tria tantùm cornua, ſed innumera atque inæſtimabilia omnes ſectæ atque hæreſes Edit.
faciunt, per quas univerſas adversùs Eccleſiæ unitatem inceſſanter dimicant. Pariſ.

Sanctus Hilarius Lib. 7. de Trinit. n. 4. *Hæretici*, ait, *omnes contra Eccleſiam* 1619. p. 245. co.
veniunt: ſed dum Hæretici omnes ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vin- 1. A.
cunt. Victoria enim eorum, Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt, dum eo hære- Edit.
ſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera Eccleſiæ fides damnat . . . . nov. p.
& inter hæc fidem noſtram, dum ſibi adverſantur, affirmant. 917. E.

S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos circa finem, dicit *ſocietatem Mar-* To. 4. p.
cionitarum, Valentinianorum, Montaniſtarum, Novatianorum non eſſe Eccle- 2. pag.
ſiam Dei, ſed Synagogam antichriſti. Paulò antè dixerat, *ſe omnes propoſitio-* 306.
num rivulos uno Eccleſiæ Sole ſiccare poſſe.

Conc. Laodicenum Can. 9. *prohibet iis qui ſunt de Eccleſia, ſuas preces*
offerre in oratoriis Martyrum quæ ad Hæreticos pertinent. Et Can. 10. *iiſdem* Tom. 1.
vetat, ne filios ſuos cum Hæreticis matrimonio conjungant. Conc. p.

Conc. Conſtantinopolitanum I. quod eſt univerſale II. an. 381. Can. 6. *eos* 1498. C.
hæreticos appellat, qui ab Eccleſia abdicati ſunt, & anathematiſati: & eos qui
ſe ſanam fidem confiteri præſeferunt, avulſi autem ſunt & abſciſſi & adver- Tom. 2.
sùs Canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt. Conc. p.

Conc. 5. generale actione 5. ait, *eos qui ſe Hæreticis adjungunt, à ſancta* 949. B.
Dei Eccleſia anathematiſari & damnari. Quæ quidem Eccleſiæ acceptio ita
jam apud omnes invaluerat, ut Conc. Carthaginenſe IV. Can. 71. *ex-* Tom. 2.
preſsè probibeat, ne nomen Eccleſiæ conventiculis Hæreticorum detur. Quod Conc. p.
etiam prohibetur legibus imperialibus, ſicut legi poteſt in Codice Lib. 1205.
5. cap. 3. de Hæreticis. D.

2. Nomine etiam Catholicæ Eccleſiæ unicam communionem intellexerunt

S. Juſtinus Dial. cum Tryphone: *Sunt igitur*, inquit, *& fuerunt viri* Edit.
amici permulti, qui athea (hoc eſt impia) & blaſphema & dicere & face- Pariſ.
re docuerunt, in nomine Jeſu progreſſi: & ſunt à nobis, ſub nomine eorum 1615. p.
virorum, unde doctrina & ſententia quælibet extitit, denominati . . . . cum 253. C.
quibus nihil nobis eſt communionis, atheos atque à Deo alienos, & impios, & injuſtos & iniquos ipſos eſſe ſcientibus.

Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus cap. 30. ubi dicit Valentinum & Mar- P. 212.
cionem, antequam ſuas hæreſes docerent, *in Catholicæ primò doctrinam* C.

crediſſe apud Eccleſiam Romanenſem . . . . . donec ob inquietam eorum curioſitatem ſemel & iterum ejecti fuerunt.

Doctrina Catholicæ, juxta Tertullianum, eſt doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quam hæreticis Sectis opponit.

S. Clemens Alexandrinus Lib. 7. Stromatum docet *Conciliabula Hæreticorum longè eſſe poſteriora antiqua Eccleſia, quam unicam tantum eſſe affirmat, quamvis optarent hæreſes in plures ſectas dividere.* P. 745.

Alexander Patriarcha Alexandrinus in Epiſtola ad Alexandrum Patriarcham Conſtantinopolitanum quam refert Theodoretus Hiſt. Eccl. Lib. 1. cap. 3. dicit ſe credere *unam & ſolam Catholicam Apoſtolicam Eccleſiam, inexpugnabilem ſemper, etſi totus eam mundus oppugnare inſtituat, victricemque omnis impiæ diverſa ſentientium rebellionis.* Edit Pariſ. 1642. To. 3. p. 535. A.

Conc. Nicænum eodem ſenſu duobus in locis utitur nomine Eccleſiæ Catholicæ, ſcilicet in Symbolo, ubi dicit eos, qui non credunt Filium eſſe cum Patre ejuſdem ſubſtantiæ, *anathematiſari a Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Et Can. 8. ubi loquens de Catharis, hoc eſt Novatianis redire *ad Eccleſiam Catholicam* volentibus, neceſſariò ſupponit eos ab Eccleſia Catholica ſeparatos fuiſſe. Tom. 2. Conc. p. 27. C. Ibid. p. 31. E.

Conc. Conſtantinopolitanum I. Can. 7. poſtquam ſtatuit, Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos, Apollinariſtas ſola unctione recipiendos eſſe, ſubjungit, ab iis poſtulandum fidei profeſſionem, qua ſcripto etiam declarent, *ſe anathematiſare omnem hæreſim quæ non ſentit ut ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Ibid. p. 912. B.

Conc. Sardicenſe in Epiſtola ad omnes orbis Epiſcopos quæ refertur apud S. Athanaſium Apologia 2. de fuga ſua, Arianos nominatim excommunicans, dicit *æquum eſſe eos qui ſeparant Filium à Patre, & Verbum à ſuo Patre alienant, ab Eccleſia quoque Catholica ſeparari, & alienos indignoſque haberi Chriſtiano nomine.* Edit. vet. T. 1. p. 766. C.

Epiſcopi Africani in errorum abjuratione facta à Leporio poſtulaverunt, ut profiteretur ſe ſuſcipere & tenere, *quod ordo Eccleſiæ tenet aut ſuſcipit.* Tom. 2. Cor. p. 1583. D.

Cœleſtinus in Epiſtola ad Neſtorium, quæ refertur in Conc. Epheſino & in V. generali, monet ipſum ſeparandum à communione Eccleſiæ Catholicæ & univerſalis, niſi amplectatur doctrinam quam ſequitur Eccleſia Romana & Alexandrina. Profectò non comminatur S. Pontifex Neſtorium excludendum eſſe à communione omnium ſectarum, quarum nomine ſic loqui non poterat, & quæ ejus auctoritatem prorſus ſpernebant. Tom. 3. Conc p. 361. D. E. Tom. 5. Conc. p. 537. D.

Plures alios referre ſuperfluum foret, cùm Jurius ipſe non diffiteatur Veteres hanc ſibi unitatis Eccleſiæ ideam effinxiſſe, quam erroneam eſſe protervè ille affirmat.

Probatur 2. Si Eccleſia ità ſit una ut non excludat Hæreticorum ſocietates quæ non errant in præcipuis fidei fundamentis, ſequeretur univerſam Eccleſiam Orientis & Occidentis per multa ſæcula erraſſe, dum Baptiſmum ab Hæreticis, qui in fundamentalibus articulis errabant, collatum admiſit. Namque, juxta Jurium & alios Miniſtros, ſola vera Eccleſia poteſt legitimum conferre Baptiſmum; ſola & omnis ſocietas, quæ non errat in veritatibus eſſentialibus, eſt vera Eccleſia; & tamen univerſa Eccleſia tùm Orientis tùm Occidentis, eorum Hæreticorum admiſit Baptiſmum qui in iis articulis errabant.

Eccle-

Eccleſia quidem Orientis: Nam expreſsè in ſuis Conciliis prohibuit, ne denuò baptiſarentur qui Baptiſmum acceperant ab Arianis, à Macedonianis, ab Apollinariſtis; hi tamen Hæretici fundamentales veritates negabant: Ariani, divinitatem Filii, Macedoniani, divinitatem Spiritus ſancti; Apollinariſtæ, animam rationalem à Chriſto aſſumptam.

Idem obſervavit & Eccleſia etiam Occidentalis; Namque, teſte S. Auguſt. Lib. 3. de Baptiſmo cap. 15. omnium ſine exceptione Hæreticorum Baptiſmum ratum habuit, modò *verbis Evangelicis* collatus fuiſſet: adeo ut nec rejiciendum exiſtimaverit, ſi vel ab ipſo Marcione in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti collatus fuiſſet. Et Lib. 4. cap. 16. expendens Baptiſmum duorum, quorum unus baptiſatus fuiſſet in hæreſi Photinianorum, alter verò in Eccleſia Catholica, putans doctrinam Photini eſſe Eccleſiæ doctrinam; diſertè aſſerit *in neutro eorum Sacramenti veritatem repetendam eſſe*. *To. 9. p. 115. G.* *Ibid. d. 136. D.*

S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos teſtatur quoque ab Eccleſia Romana approbari Baptiſmum Arianorum; imò & ab ea admiſſum fuiſſe, quem dederant Ebionitæ, Cerinthiani, Novatiani. *To. 4. p. 2. pag. 305.*

Ex quibus patet, aut Eccleſiam Orientalem & Occidentalem univerſam per tot ſæcula non fuiſſe veram Eccleſiam, utpote quæ erraverit dum admiſit eorum Hæreticorum Sacramenta; vel ſi fuit vera Eccleſia, non diſtinxiſſe illos duplicis generis errores: nec exiſtimaſſe, excludendos ſolùm ab Eccleſiæ univerſalis ſocietate eos, qui in fundamentalibus errant.

Probatur 3. Quia ex hac Jurii ſententia ſequeretur, per ſexdecim ſæculorum ſpatium nullum ex fidelibus Symbolum profeſſionis ſuæ fidei, quo par eſt modo, intellexiſſe. Neque enim illi alio modo Symbolum ſuum intelligebant, quàm eo qui ipſis exponebatur à Doctoribus & Epiſcopis horum temporum: atqui articulum de Eccleſia nunquam alia ratione expoſuerunt ſancti Patres, Epiſcopi, & Eccleſia univerſa, quàm eo ſenſu, ut excludat omnes Hæreticorum Sectas & ſocietates; quod profectò maximè abſurdum eſt.

Deinde illuſoriæ, falſæ, & injuſtæ fuiſſent fidei profeſſiones quas à tempore Conc. Nicæni ſemper ab Hæreticis poſtulavit utraque Eccleſia; dum nempe ab ipſis exigebat, ut omnes hæreſes ab eadem Eccleſia Catholica damnatas & proſcriptas ejurarent.

Denique, omnes Epiſcopi tùm Orientis tùm Occidentis inſignis injuſtitiæ & calumniæ rei fuiſſent, dum ita apud ſe eſſe Catholicam Eccleſiam profeſſi ſunt, ut ab ejus ſinu omnes Hæreticos excluderent. Id fatetur Jurius; at nemo huic uſurpationi per duodecim ſæcula contradixit. Adde quòd non eſſent fugienda Hæreticorum conſortia, quæ tamen fugienda eſſe, tam ſæpè inculcant SS. Patres.

Tertia Concluſionis pars, nempe Eccleſiam ita eſſe unam, ut extra ipſam nemini ſit ſperanda ſalus æterna

Probatur 1. auctoritate SS. Patrum qui ſex primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt. Ita

S. Irenæus Lib. 4. adversùs hæreſes cap. 33. alias 62. ubi dicit quòd Dominus judicaturus eſt *eos omnes qui ſunt extra veritatem, id eſt, qui ſunt extra Eccleſiam*. Sed qui ſunt extra veritatem, ſunt extra ſalutem: Chriſtus enim eſt veritas, & ut ipſe dicit Joan. 8. ſola *veritas poteſt nos liberare*. *P. 271. n. 7.*

S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ, multis probat extra Eccleſiam non *P. 181.*

eſſe ſalutem: *Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur: nec perveniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Si potuit evadere quiſquam, qui extra Arcam Noe fuit; & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit?* Et poſtea: *Eſſe Martyr non poteſt, qui in Ec-*
P. 183. & 184. *cleſia non eſt . . . Ardeant licèt flammis & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt,*
P. 180. *coronari non poteſt.* Jam ſuprà dixerat: *Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum, unum atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radii, ſed lumen unum; & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundatis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini, luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur.* Non piget textum iterum repetere, adeo eximius eſt.

Et Epiſt. 62. ad Pomponium, de iis qui ab Eccleſia ejiciuntur hæc ha-
P. 110. bet: *Neque enim vivere foris poſſunt, cùm domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit.*

S. Auguſtinus paſſim idem docet.

To. 6. p. 582. C. Lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. *Si quis*, inquit, *abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum: nec habebit Deum patrem, qui noluerit Eccleſiam habere matrem.*

To. 9. p. 372. F. Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 19. *Ad ipſam ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.*

Sermone ad Cæſareenſis Eccleſiæ plebem, Emerito præſente habito n. 6. ſic
Ibid. p. 622. B. loquitur: *Salutem non poteſt habere homo, niſi in Eccleſia Catholica. Extra Eccleſiam Catholicam totum poteſt præter ſalutem. Poteſt habere honorem, poteſt habere Sacramentum. . . . ſed nunquam niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit invenire.*

Eccleſia Africana duobus in Conciliis congregata idem prorſus ſentit. In Cartaginenſi IV. Can. 1. deſcribitur fusè ratio explorandæ fidei in eo qui electus fuerit Epiſcopus; & inter illa de quibus ante ordinationem interrogandus eſt,
Tom. 2. Conc. p. 1119. C. hoc poſtremum venit, credat ne *quòd extra Eccleſiam nullus ſalvetur.*

In Concilio Cirtenſi, cujus Epiſtola ad Donatiſtas legitur apud S. Aug.
To. 2. p. 458. A. Edit. Pariſ. 1684 p. 530. Epiſtola 141. aliàs 152. n. 5. ſic dicitur: *Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quòd à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

S. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum cap. 39. *Firmiſſimè tene, & nullatenus*

dubites,

Digitized by Google

dubites, quemlibet hæreticum ſive ſchiſmaticum, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptiſatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcumque eleemoſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſalvari.

Probatur 2. rationibus Theologicis. Tùm quia ex Scripturis Eccleſia eſt corpus Chriſti, cujus membra ſunt ſinguli fideles: atqui membrum quod non manet in corpore, vitam habere non poteſt. Tum quia Chriſtus eſt verus Eccleſiæ ſponſus; ac proinde non poteſt filios generare, niſi ex ſua ſponſa. Tùm quia nulla eſt ſalus extra regnum Dei, extra Templum, Domum & Civitatem Dei; ſic autem vocatur Eccleſia: ſicut tempore diluvii nulla fuit ſalus iis qui non fuerunt in Arca Noe concluſi.

Summa igitur eſt inter Catholicos, ſeu veræ Eccleſiæ membra, doctrinę fidei unitas atque conſenſio: non ita certè inter Hæreticos, qui vix nati, varias in Sectas ſcinduntur ac dividuntur. S. Irenęus Lib. 1. cap. 21. & ſeq. narrat hæreſim Simonis primi hæreſiarchæ mox diviſam; & inde natas eſſe Sectas Menandrianorum, Saturnianorum, Baſilidianorum &c. Item Lib. 1. cap. 5. ſcribit de Valentinianis, quòd cùm eſſent plurimi, vix duo aut tres inter ſe conveniebant in omnibus dogmatibus. De Donatiſtis ſcribit Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo cap. 6. hæreſim Donatiſtarum in multa minutiſſima fruſta conciſam fuiſſe ſuo tempore. Marcionitas mox diviſos fuiſſe, & inde natos Lucianiſtas, Apellianos & Severianos, docet Epiphanius Lib. 1. contra Hæreſes. Montaniſtas diviſos eſſe in Pepuſianos, Artotytitas, Phrygaſtas, ſcribit idem Epiphanius Lib. 2. Manichæos quoque in ſectas diviſos teſtatur Auguſtinus Lib. 1. de hæreſibus cap. 46. Meſſalianos autem diviſos in Martyrianos, Sathanianos, Entuſiaſtas, docet Epiphanius hæreſi 80. Ariani mox diviſi ſunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos: patet ex Rufino Libr. 10. Hiſt. cap. 25. Iidem etiam Ariani ſingulis ferè annis fidem mutabant, ut ſcribit Hilarius in utroque Libro ad Conſtantium; & ita de aliis Hæreticis, nequidem exceptis Lutheranis & Calviniſtis: quod invictè demonſtravit Illuſtriſſimus ac doctiſſimus bonæ memoriæ Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis, in Opere eximiò De Variationibus &c. Quapropter de Hæreticis meritò dicebat Tertullianus Libro de Præſcrip. cap. 42. *Variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit . . . . Idem licuit Valentinianis, quod Valentino: idem Marcionitis, quod Marcioni de arbitrio ſuo fidem innovare.* P. 217. D.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Explicari non poteſt in quo poſita ſit illa unitas Eccleſiæ univerſalis; neque facilè intelligi, quomodo huic unitati non adverſetur tanta hominum, ex quibus conſtat, multitudo, tantaque temporum diverſitate & locorum diſtantia ab invicem diviſorum.

Reſp. I. In tribus potiſſimum eſſe poſitam Eccleſiæ unitatem: nempe 1. in univerſali & certiſſima ejuſdem fidei ac doctrinæ conſenſione. 2. in ſimili Eccleſiæ ubique gentium adminiſtratione & regimine. 3. in dependentia ab uno Capite viſibili Romano Epiſcopo, qui ſit unitatis origo & cen-

trum. Tria enim præſertim requiruntur ad unitatem alicujus ſocietatis, ſcilicet unitas ſpiritus, regiminis, & capitis.

II. Temporum & locorum diverſitas non obeſt unitati, modò ſit eadem fides, idem regimen, idem caput. Porrò hæc in Eccleſia Chriſti perpetua ſemper fuere; quæ laus eſt ac conditio ipſi planè ſingularis.

Inſtabis: Nota debet eſſe propria, ſenſibilis, & notior ipſa re quam ſignificat: at hæc non conveniunt unitati.

Reſp. nego min. Namque 1. eſt propria Eccleſiæ Chriſti; cùm nulla Secta conſtantem habuerit doctrinam, conſtans regimen, & idem caput nempe Epiſcopum Romanum. 2. Eſt ſenſibilis & notior Eccleſia; cùm hæc tria facilè cuivis attendenti occurrant, & quænam ſit vera Eccleſia ſatis manifeſtè indicent.

Objicies 2. Unitas quidem doctrinæ & regiminis neceſſaria eſt ut Eccleſia ſit una, imò & requiritur unitas capitis inviſibilis, ſcilicet Chriſti; ſed dependentia ab Epiſcopo Romano, & cum ipſo communio, minimè neceſſaria videtur.

Reſp. nego poſtremam propoſitionis partem. Et certè cùm Eccleſia ſit corpus viſibile & externum, requiritur etiam ut habeat aliquod caput viſibile & externum, cui adhæreant ac conſocientur ſingula Eccleſiæ membra. Caput autem illud eſt Summus ſeu Romanus Pontifex, qui eſt centrum unitatis à quo ſucceſſionem facere non licet, ut probant SS. Patres quos ſuprà laudavimus, ubi Eccleſiæ definitionem adversùs Launojum vindicabamus.

Objicies 3. Doctrina illa de unitate Eccleſiæ hîc expoſita multa ſecum infert abſurda & incommoda: 1. damnat omnes qui errant vel in minimo fidei articulo, vel communionem non habent cum Epiſcopo Romano, quod certè inhumanum eſt. 2. non diſtinguit inter ea quæ Eccleſiæ ſunt eſſentialia, ut fides, Sacramenta, Miniſtri; & ea quæ ſunt ipſi accidentalia, ut communio externa, & convenientia in articulis non fundamentalibus. 3. ſtatuit Eccleſiam poſſe ſuis Judiciis facere quoſdam articulos, qui ante ejus ſententiam non erant.

Reſp. ad ſingula.

Ad primum: Plurima ſunt in Religione noſtra quæ ſunt veriſſima, licèt videantur duriora humanæ rationi: reatus peccati originalis propter unum hominem; parvulorum abſque Baptiſmo morientium damnatio pœnæ æternæ iis omnibus peccatis inflictæ de quibus mentio fit in Epiſtola ad Galatas; æternitas ignis in vindictam vel unius peccati mortalis; prædeſtinatio unius & reprobatio alterius. An liceret ea omnia negare, quòd duriora videantur? Deus certè ſummè juſtus eſt, atque Judicia ejus cum tremore adoranda. Similiter etſi durum videatur damnari omnes Hæreticos & Schiſmaticos, non ideo tamen minùs verum eſt, cùm tota paſſim Traditio doceat extra Eccleſiam non eſſe peccatorum remiſſionem, non eſſe charitatem, non eſſe ſalutem.

Ad ſecundum: Hæc omnia Eccleſiæ ſunt eſſentialia. Communio externa eſſentialis eſt: cùm enim ſit corpus viſibile, debent etiam ejus partes vinculo viſibili & externo inter ſe colligari; quo pacto autem unientur, niſi ſit conjunctio membrorum inter ſe & cum viſibili capite? Convenientia etiam &

con-

conſenſio in articulis non fundamentalibus eſſentialis eſt: cùm enim debeat eſſe una & eadem fides à Deo revelata, & ab Eccleſia tanquam infallibili Judice propoſita, neceſſe eſt omnes fideles in eadem fide conſentire; adeoque eoſdem planè eſſe apud omnes fidei articulos.

Adde quòd incognita ſit toti antiquitati hæc articulorum diſtinctio. Neque etiam inter noſtros Reformatores hactenus conveniri potuit, quinam diſtinctè ſint fundamentales: aliis aliter definientibus; aliis alios articulos aſſignantibus. Eccleſia autem Catholica ſemper ſenſit eos errores, qui ſemel proſcripti ſunt, à nemine citra hæreſim & peccatum propugnari poſſe.

Ad tertium: Eccleſia fidei articulos non facit, ſed qui ſunt à Deo revelati, eos proponit ac definit ex Scriptura & Traditione; eoſque aliquando evolutè magis & explicitè pro temporum neceſſitate, aut Hæreticorum inſurgentium oppugnatione aperit & explanat. Ipſius autem eſſe fideles ſuos inſtruere ac docere, vel id unum probat, quòd per ſexdecim ſæcula non aliam SS. Patres ac fideles omnes habuerunt Eccleſiæ ideam, quàm decidentis, definientis, ac docentis. Hanc certè habebat Concilium Nicænum, cùm ubi varias Arianorum fidei expreſſiones attulit, dicit, Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam ſimiliter ſentientes condemnare. *Tom.1. Conc.p. 27.C.*

Docet autem Catholica Eccleſia non tantùm in Conciliis generalibus, ſed etiam particularibus Synodis, in Epiſcopis cujuſque Eccleſiæ, imò & in ipſis fidelibus; quamquam in his omnibus diverſo modo. Fideles loquuntur ſine ulla auctoritate, ſed ut teſtes doctrinæ quam tenent & ipſa tenet Eccleſia: Epiſcopi, ut Paſtores inſtituti à Deo ut plebem doceant: Synodi particulares, ut teſtes doctrinæ Eccleſiæ univerſalis, ac primi Judices à Deo inſtituti: Concilia generalia, ut depoſitum veritatis apud ſe ſervantia, & quæ Eccleſiam univerſalem repræſentant.

Objicies 4. auctoritatem S. Auguſtini Epiſtola 43. aliàs 162. ad Glorium, Eleuſium & alios quos agnoſcit à ſua communione ſeparatos: docet enim initio, extra externam Eccleſiæ Romanæ communionem nonnullos ſalutem aſſequi poſſe. Sic loquitur: *Dixit quidem Apoſtolus Paulus, Hæreticum hominem poſt unam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt ejuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. Sed qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint; nequaquam ſunt inter Hæreticos deputandi. Tales ergo vos niſi eſſe crederem, nullas fortaſſe vobis litteras mitterem.* Eos autem ad quos ita ſcribit S. Auguſtinus, non fuiſſe in eadem ſecum externa Eccleſiæ communione, patet ex verbis ſequentibus. *Hæc*, inquit, *prælocutus ſum, ne quis me exiſtimet impudentiùs vobis, quàm prudentiùs ſcripta miſiſſe, & hoc modo vobiſcum de negotio animæ veſtræ aliquid agere voluiſſe, quia noſtræ communionis non eſtis: cùm tamen ſi de negotio fundi, aut alicujus pecuniariæ litis dirimendæ vobis aliquid ſcriberem, nemo fortaſſe reprehenderet.* *To.2.p. 88. F. G.* *Ibid. p. 89. C.*

Igitur, in mente ſancti Auguſtini, qui ſunt extra externam Eccleſiæ communionem, modò errorem nulla *pertinaci animoſitate defendant*, *ac cauta ſollicitudine quærant veritatem*, *corrigi parati cùm invenerint*; ii non ſunt hæretici, nec conſequenter à ſpe ſalutis æternæ dejecti. Porrò ex hoc numero multi

ſunt v. g. infantes, ruſtici, fœminæ, & quotquot ab hæreſeon auctoribus ſeducti ſunt.

Reſp. ex dictis initio hujus Articuli, obſervatione prima, patere ad hanc objectionem reſponſionem. Scilicet ii, quos citata Epiſtola deſcribit S. Auguſtinus, ſi non actu, ſaltem deſiderio & quidem ſincero pertinent ad externam Eccleſiæ communionem; atque, ſi nihil obſit, internum Eccleſiæ ſpiritum participant: unde meritò dixit ſanctus Doctor, ejuſmodi homines nec eſſe, nec appellandos eſſe hæreticos. Separationem verò ab externa Eccleſiæ communione quantùm improbet ac damnet ſanctus Doctor, patet ex eadem Epiſtola cap. 8. n. 24. *Non enim*, inquit, *nobis diſplicent, quia tolerant malos; ſed quia intolerabiliter mali ſunt propter ſchiſma, propter Altare contra Altare, propter ſeparationem ab hæreditate Chriſti toto orbe diffuſa, ſicut tantò antè promiſſa eſt. Violatam pacem, conſciſſam unitatem, iterata Baptiſmata, exſufflata Sacramenta, quæ in ſceleratis quoque hominibus ſancta ſunt, plangimus & lugemus. Quæ ſi parvi pendunt, intueantur exempla quibus demonſtratum eſt quanti hæc penderit Deus. Qui fecerunt Idolum, uſitata gladii morte perempti ſunt: qui verò ſchiſma facere voluerunt, hiatu terræ principes devorati, & turba conſentiens igne conſumpta eſt. Diverſitate pœnarum, diverſitas agnoſcitur meritorum.* Ibid. p. 99. C.

Objicies denique. Eccleſia ſucceſſit Synagogæ, ita ut hæc in veteri Teſtamento hominibus præſtaret ad ſalutem, quod nunc Eccleſia in novo: atqui non erat tanta Synagogæ neceſſitas, ut extra eam nullus poſſet ſalvari: multi enim ex gentibus, penes quos fuit unius veri Dei cognitio, ut Melchiſedech, Job & alii, ſola legis naturalis obſervatione ad ſalutem pervenerunt, ergò &c.

Reſp. I. Eccleſiam ſucceſſiſſe Synagogæ, tanquam perfectum imperfecto; non quantùm ad omnia, ſed quantùm ad aliqua dumtaxat: adeoque ſicut non ſucceſſit quantùm ad amplitudinem qua toto terrarum orbe diffunditur; quantùm ad perpetuitatem, qua uſque ad conſummationem ſæculi perſeveratura eſt; quantùm ad perfectionem cultus divini, & ſanctitatis, atque alia ejuſmodi quibus Synagogam longè ſupergreditur, ita nec ipſi ſucceſſit quantùm ad neceſſitatem ſalutis.

II. In aliquorum ſententia pertinuit tantùm ad Judæos Synagoga, & fuit veluti propria ipſorum Eccleſia, ita ut extra ipſam nullis Judæis potuerit eſſe ſalus; ſed non fuit Eccleſia illa univerſalis, quæ ſinu ſuo omnes veros Dei cultores complecteretur; adeoque hinc potius confirmatur noſtra ſententia: ſicut enim Judæorum nemo ſalvari poterat ſeparatus à veteri Synagoga, ita quoque nunc nemo ſalvus eſſe poteſt, ſi ſeparetur ab Eccleſia.

Multa paſſim in ſuo de Eccleſia ſyſtemate congerit Jurius, ut oſtendat & Hæreticos qui in articulis fundamentalibus non errant, & Schiſmaticos qui Romani Pontificis communione non fruuntur, in Eccleſia univerſali adhuc eſſe: unde concludit, unitatem Eccleſiæ non in unica communione eſſe repoſitam. Verùm ea omnia ſuis in locis infrà commodiùs referemus ac ſolvemus, ubi de membris Eccleſiæ inſtituetur diſputatio.

Digitized by Google

SECUNDA CONCLUSIO.

Eccleſia Catholicorum illam habet unitatem quæ nota eſt ac caracter veræ Eccleſiæ Chriſti, non autem Eccleſia Reformatorum.

Duæ ſunt partes. Prima pars probatur. Quia unitas quæ eſt nota & caracter veræ Eccleſiæ in tribus potiſſimum conſiſtit, ut jam obſervavimus: nempe in univerſali fidei & doctrinæ conſenſione, ſimili ubique regimine, & communione cum uno Capite viſibili Romano Pontifice. Atqui hæc tria occurrunt in Eccleſia Catholicorum.

Secunda Concluſionis pars, nempe Reformatorum Eccleſiam non habere hanc unitatem,

Probatur. Ac 1. non habent illi conſenſionem in doctrina. Ea enim duobus potiſſimum momentis probari poteſt; ſcilicet conſtanti eorumdem fidei dogmatum profeſſione, & ejuſdem fidei publicis Confeſſionibus: atqui Reformatores noſtri in neutro capite conſenſionem habent.

Non habent quidem in articulis ſeu dogmatibus fidei. Nam ut de multis taceamus, in quibus certè infinitæ propemodum fuere variationes, tùm apud Lutheranos tùm apud Calviniſtas, ſicut eruditè & eloquenter demonſtravit jam laudatus Illuſtriſſimus Boſſuetius Meldenſis Epiſcopus, unum dumtaxat articulum præſentiæ Chriſti realis in Euchariſtia hìc attingemus. Anno 1631. in Synodo Nationali Charentoniana, noſtri Reformatores Decreto ſolemni ſanciverunt fœdus & pacem cum Lutheranis Confeſſionis Auguſtanæ, nihilque eſſe in eorum cultu, quod perfectæ unioni atque eorumdem Sacramentornm participationi obſtare poſſet declaraverunt. Hinc Dallæus in Apologia hujus Synodi cap. 7. & in Epiſtola ad Monglatium, fatetur doctrinam de præſentia reali nullum continere venenum, nec eſſe contrariam pietati, aut gloriæ Dei.

Quæ porrò in hoc articulo conſenſio? Ante hanc Synodum palam dicebant, hoc momentum eſſe unicam ſuæ ab Eccleſia Romana ſeparationis cauſam. In actis eorum Martyrum quid frequentiùs legitur, quàm ob ſolam realitatem tot ſuſtineri tormenta, per quam ipſius fidei & pietatis fundamentum ſubverti exiſtimabant? Quid ſępiùs in eorum Libris legimus, quàm horrendam eſſe Catholicorum doctrinam, quos cyclopas, antropophagos, parricidas, humanæ Chriſti naturæ & ejus Aſcenſionis in Cœlum hoſtes & inimicos, idololatras &c. vocant? Quid etiam vel hoc ipſo tempore à nobis alienos magis facit eos qui ex ipſis hanc variationem non audierunt, quàm doctrina præſentiæ realis? Ita ut plurimi ex ipſis ingenuè confeſſi fuerint, facilè nobiſcum in aliis omnibus conſenſuros, ſi præſentiæ dumtaxat ſpiritualis opinionem non damnaremus.

Non habent conſenſionem in Confeſſionibus, quæ variæ ſunt & contrariæ apud Lutheranos & Calviniſtas.

Lutherani ſeu defenſores ſenſus litteralis, primam ediderunt an. 1530. quæ Auguſtana dicta eſt, quòd in hac urbe Carolo V. fuerit oblata. Poſtea ann. 1537. articuli Smalcaldenſes collecti fuerunt, qui Concilio Tridenti-

dentino quod Mantuæ à Paulo III. indictum fuerat, offerri debebant. Alia deinde, quæ dicta eſt Saxonica, Synodo Tridentinæ oblata ann. 1552. Alia Vittembergenſis, anno ſequenti eidem Concilio oblata: quæ quidem omnes, licèt inter ſe in plurimis contrariæ, ab univerſa tamen Reformatorum ſocietate ſubſignatæ fuerunt; ita ut in eadem Saxoniæ Provincia, intra decem annos prodierint contradictoriæ ſententiæ publico nomine decretiſque publicis conſignatæ de re omnium graviſſima. Nam in Synodo Dreſdenſi an. 1571. communi ſenſu rejecerunt ſententiam Brentii, Illyrici, & aliorum de Perſona Chriſti; & tamen illam ipſam ſententiam, tametſi priùs à ſe damnatam, publicè receperunt in Libro Concordiæ; & tam Synodus quàm ipſa Concordia, Vvittembergæ impreſſa ſunt Principis Saxoniæ auctoritate.

Defenſores autem ſenſus figurativi, aliam quoque Carolo V. eodem tempore obtulerunt fidei Confeſſionem, quæ vocatur Argentinenſis. Parum & illa ſuis placuit. Helvetii quatuor ſucceſſivè ſcripſerunt. Galli & Genuenſes ſuam quoque peculiarem habere voluerunt. In Anglia duæ etiam eodem fermè tempore viſæ ſunt, & duæ aliæ ſub nomine Eccleſiarum Scotiæ. In Belgio fuit etiam conſcripta alia, quæ in Synodo Dordracena approbata fuit: nec defuit ipſis etiam Polonis ſua, quæ in Synodo Sendomirienſi edita eſt an. 1570. Legi poſſunt omnes illæ Confeſſiones variæ in unum corpus collectæ, typis excuſæ Genevæ apud Petrum & Jacobum Ghovet ann. 1612. In hac porrò tanta Confeſſionum fidei varietate, quæ conſenſio eſſe poteſt? Sed quomodo conſenſionem haberent in doctrina, qui certum non habent nec conſtans fidei ſuæ motivum? Vel enim ſtatuunt verbum Dei, vel ſpiritum privatum: at ipſis conſtare non poteſt de Librorum in quibus continentur fidei veritates, fideli verſione & legitimo ſenſu. Neque etiam quidquam certum eſſe poteſt per ſpiritum privatum, de quo gloriantur & Lutherani & Calviniſtæ, qui in ipſis varius eſt, variaſque & oppoſitas (ſi ipſis fides) ſententias ſuggerit.

2. Regimen ſimile, & Caput viſibile non habent Epiſcopum Romanum: aliud quippe regimen eſt apud Lutheranos, aliud apud Calviniſtas. Inter Lutheranos etiam non idem eſt, ut videre eſt in Anglia, ubi diverſæ prorſus ſunt Eccleſiarum adminiſtrationes. Calviniſtæ nullam habent hierarchiam, apud quos nulli ſunt Epiſcopi, nulli Presbyteri. Nulli tandem ex ipſis agnoſcunt Epiſcopum Romanum tanquam centrum unitatis, cum quo ſervent communionem tantopere neceſſariam in Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Mirum eſſe non debet ſi ex Eccleſia Lutheranorum & Calviniſtarum variæ ortæ fuerint diviſiones & ſectæ etiam contrariæ; nam & ex ipſa Apoſtolorum Eccleſia nonne orti ſunt Simoniani, Nicolaitæ, Valentiniani, Marcionitæ, Gnoſtici?

Reſp. magnum eſſe diſcrimen. Namque ſectæ illæ variæ in Eccleſia quidem ortæ ſunt, non verò ex Eccleſia: è contra verò ſectæ contrariæ apud Hæreticos, ex propria ſocietatis eorum indole naſcuntur. Ratio eſt 1. Quia Eccleſia Catholicorum certam habet regulam finiendarum controverſiarum,

Judi-

Judicium ſcilicet ipſiuſmet Eccleſiæ, ſive diſperſæ, ſive in Conciliis congregatæ: hanc verò regulam fixam & certam non habent Hæretici, qui cùm ſuo privato ducantur ſpiritu, neceſſe eſt eos in partes omnino contrarias abripi. 2. Catholici Judicio Eccleſiæ acquieſcunt, atque pro Hæreticis habent quotquot norunt in fidei decretis Eccleſiæ rebelles eſſe: è contra Reformatores ſe invicem tolerant. Ita Calviniſtæ tolerant Lutheranos, quamquam agnoſcant v.g. corpus Chriſti realiter & verè præſens eſſe in Euchariſtia, quod negant Calviniſtæ.

Objicies 2. cum Calvino Lib. 4. Inſtitutionis cap. 13. n. 14. Non eſt unitas regiminis & communionis apud Catholicos: tot enim ſunt apud eos ſchiſmatum conventicula, tot ſectæ ac diviſiones, quot ſunt Monaſteria vel certè Monachorum Ordines. Namque licèt olim Monachi ſeparatim ab aliis viverent, attamen ſeparatim non recipiebant Sacramenta, ſed in conventibus publicis cum reliqua plebe ſacris intererant: nunc autem ſibi privata altaria erexerunt: atque ita ſeparatim ab aliis vivunt, & Chriſtianorum titulo non contenti, alii vocantur Benedictini, alii Franciſcani, alii Dominicani &c. Ita Calvinus. *Pa. 468.*

Reſp. unitati regiminis Eccleſiaſtici non adverſari varias Monachorum ſocietates: tùm quia ab Eccleſia approbatæ ſunt, ab ea foventur, & ſub ejus ſunt cura & protectione ſingulari: tùm quia non minùs quàm cæteri fidelium legitimis Eccleſiæ Paſtoribus, nimirum S. Pontifici, & interdum etiam Epiſcopis, ſubjiciuntur.

Ad id verò quod additur, eos ſibi erexiſſe privata altaria, quæ primævis temporibus non habebant: 1. id ſupponit Calvinus, non probat. Deinde S. Epiphanius in Epiſtola ad Joan. Hieroſolymitanum teſtatur ſe in Monaſterio S. Hieronymi Paulinianum ordinaſſe in Presbyterum, qui cæteris Monachis Sacramenta diſpenſaret, eò quòd S. Hieronymus præ ſumma ſua humilitate ſacrificium altaris offerre non auſus fuerit. Caſſianus Collatione 18. quæ eſt Abbatis Pyamonis cap. 15. teſtatur in ipſa eremo quoſdam è Monachis fuiſſe Presbyteros. Idem refert S. Auguſtinus Lib. de moribus Eccleſiæ cap. 33. Idem ſæpe referunt Auctores Eccleſiaſtici, ac præſertim ii qui de rebus Aſceticis ſcripſerunt. 2. Schiſmaticus non eſt præcisè aliquis propter diverſum altare, niſi erigat illud in ſignum ſeparationis & communionis abruptæ; alioquin enim Parochi & Epiſcopi omnes eſſent ſchiſmatici, qui diverſa habent altaria. *Edit. Pariſ. 1622. T. 2. p. 312. col. 2. Edit. Atreb. p. 740. 741. T. 1. p. 711. F.*

Ad varias autem illas Monachorum appellationes, reſpondeo non denotare ſectas ullas peculiares alienas & ſejunctas à corpore Eccleſiæ, neque eſſe nomina doctrinæ aut fidei diverſæ; ſed ſic vocari ab Inſtitutore ſeverioris & arctioris diſciplinæ, cujus profeſſionem & inſtitutum, ad majorem perfectionis Evangelicæ gradum aſpirantes, amplexi ſunt.

Objicies 3. Non eſt apud nos doctrinæ conſenſio, imò mira eſt noſtrorum Theologorum ſentiendi varietas: alia enim eſt doctrina Scotiſtarum, alia Thomiſtarum, Auguſtinienſium, Carmelitarum &c. nec ullus eſt, qui non exiſtimet ſe pro veritate pugnare, & oppoſitam ſententiam erroneam eſſe. Qua igitur ratione Novatoribus ſuas diviſiones opponere, ac doctrinæ conſenſionem velut certam unitatis Eccleſiæ notam laudare hìc poſſumus?

Reſp. diſtingui hìc debere dogma fidei ab Eccleſia definitum, ab opi-

nione

nione libera Scholæ. Circa dogmata fidei nulla eſt inter noſtros ſententiæ varietas: dogmata verò illa, ut jam monuimus, æſtimari non debent ex privatis doctorum placitis, ſed ex publicis Symbolis, fidei profeſſionibus, Conciliorum generalium decretis: quicunque autem ab hujuſcemodi dogmatibus diſcedit, pro Hæretico habetur. Non ita eſt de aliis Scholæ opinionibus, quas varias in partes agitari permittit Eccleſia ad elucidationem veritatis, ingeniorum & Scholæ exercitium: *In quibus*, ut ait S. Aug. Lib. 2. de peccato originali cap. 23. *ſalva fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit... aut aliter quàm eſt, humana & infirma ſuſpicione conjicitur.* In quibus proinde, & refellere quiſque ſine pertinacia, & ſine iracundia refelli paratus eſſe debet: unde eos minimè probat Eccleſia, qui propter hujuſmodi Scholæ diſſidia & opiniones contrarias, ſeſe mutuò erroris audent incuſare. At Hæretici noſtri qui hæc nobis opponunt, de rebus etiam ad fidem pertinentibus diſſentiunt, & alii alios habent pro Hæreticis, ſicuti videre eſt apud Cardinalem Hozium Lib. 1. contra Brentium, & apud Caniſium in præfatione Librorum Andreæ de Vega Coloniæ excuſorum. Hinc Anabaptiſtæ pro Hæreticis habentur à Lutheranis & Zuinglianis, & viciſſim; tametſi omnes eundem agnoſcant parentem Lutherum. Similiter Zuingliani aliique Sacramentarii à Lutheranis habentur ut Hæretici, ſicut patet ex Teſtamento Brentii, imò & ex ipſo Luthero ſuis paſſim in Libris: his tamen non obſtantibus, Calviniani Galliæ noſtræ Lutheranos ad ſuam communionem admiſerunt; adeo mentitur iniquitas ſibi.

Objicies 4. Eſt quidem in ſocietate Catholicorum communio eorumdem Paſtorum, & primi Paſtoris Romani ſcilicet Pontificis: at de iſto tam varia & oppoſita in Scholis noſtris diſputantur, ut nihil certi circa ipſum ſtatui poſſit. Alii enim ejus auctoritatem in immenſum extollunt, quam eſſe abſolutam, non tantùm in res ſpirituales, ſed etiam in temporales, contendunt: alii eandem auctoritatem ad res dumtaxat ſpirituales limitant, eamque Concilio generali ſubjciunt, quam alii ſuperiorem dicunt &c.

Reſp. circa Summum ſeu Romanum Pontificem hoc unum dumtaxat de fide eſſe, de quo conſentiunt omnes Orthodoxi; nempe illum eſſe Caput viſibile Eccleſiæ, ac primatum honoris & juriſdictionis in cæteros Epiſcopos obtinere: cætera omnia quæ hinc & inde diſputantur, ſalva ſemper quæ ipſi debetur reverentia & obedientia, ad opinionem Scholæ, non ad fidei dogma pertinere.

Objicies 5. cum Dallæo, nonnullos veterum SS. Patrum errores; unde infert non eſſe inter Catholicos doctrinæ conſenſionem.

Reſp. hæc fruſtra nobis opponi: neque enim docemus ſingulos Patres errare non poſſe. Fatemur eorum aliquos in errorem lapſos, antequam ab Eccleſia fuiſſet veritas apertè definita; fatemur in diſciplinæ quæſtionibus, veluti de die celebrandi Paſchatis, de jejunio ſabbati &c. diſcordes illos fuiſſe. At contendimus fieri non poſſe ut omnes ſimul conſpirent in defenſionem erroris: quia fieri non poteſt ut pereat vera doctrina in Eccleſia Chriſti, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi nunquam prævalebunt. Sed de hoc argumento fuſiùs infrà ſuo loco dicemus.

Objicies denique aliquas rationes Theologicas. Prima eſt: Si Eccleſia eſt una, maximè propter charitatem: at ſi ita eſt, ſequitur eos qui ſunt ſine cha-

charitate, Eccleſiæ unitos non eſſe. Secunda: Quæ habent eaſdem qualitates, ſunt quidem ſimilia, ſed non unum; ergo licèt in omnibus Eccleſiis particularibus ſint eadem fides, Sacramenta, leges, non ſequitur eandem eſſe Eccleſiam, ſed ad ſummum eſſe ſimiles Eccleſias. Tertia: Licèt diverſa regna habeant eundem Principem, eaſdem leges generales, non ſequitur eſſe unum regnum; ergo &c. Quarta: Unitas ſeu concordia & ordinata diſpoſitio non conveniunt ſoli Eccleſiæ Chriſti, ſed etiam multis aliis ſocietatibus; ergo &c. Quinta denique, Si in ſola Romana communione vera Eccleſia conſtituitur per excluſionem aliarum ſocietatum, vix defendi poteſt ejus Catholicitas ſeu univerſalitas; Romana quippe communio intra anguſtos limites planè coarctatur.

Reſp. ad primam: Unitatem ſeu unionem charitatis maximè optandam eſſe inter omnia & ſingula Eccleſiæ membra; hac tamen in aliquibus (non in omnibus, quod fieri non poteſt) deficiente, ſupereſſe alias rationes unionis, nempe in fide, in regimine, in Sacramentis, in ſubjectione legitimis Paſtoribus, quæ ſufficiunt ad veram Eccleſiæ unitatem.

Ad ſecundam: Mirum non eſt, ſi ea quæ eaſdem habent qualitates, ſimilia quidem, non verò unum quid ſint: namque non habent eundem finem, nec ad eum tendunt ut partes ejuſdem totius. At Eccleſiæ particulares eundem habent finem, eadem media, eandem primo Paſtori ſubjectionem &c.

Ad tertiam: Plura Regna per ſe vel ex inſtitutione divina aut naturali uni Principi non ſubjiciuntur: at omnes Eccleſiæ particulares ex ordinatione Chriſti, uni Capiti ſubjiciuntur, uno ſpiritu foventur & animantur, operantur tanquam partes totius corporis myſtici, ſcilicet Eccleſiæ. Ipſe enim dedit Caput, Epiſcopos, Paſtores, Presbyteros, Diaconos, regulam fidei, fidem ipſam & Sacramenta quibus inter ſe conjunguntur fideles, adeoque unum corpus per ſe efficiunt & conſtituunt.

Ad quartam: Convenit quidem unitas aliqua cuilibet ſocietati & ſectæ, ſed nulli competit ea quæ Eccleſiæ Chriſti ſingularis eſt ac propria: ea nempe quæ fundatur in conſenſu fidei ejuſdem, & eorumdem Sacramentorum participatione, & ſubjectione legitimis Paſtoribus, imprimis verò Romano Pontifici.

Ad quintam: Patebit ex dicendis paulò poſt, Romanam Eccleſiam verè Catholicam eſſe, nec tam anguſtis finibus contineri ac fingunt adverſarii.

TERTIA CONCLUSIO.

Nulli unquam licet ſeſe ſeparare ab unitate Eccleſiæ; hincque meritò Schiſmatici eſſe convincuntur Calviniani & Reformatores noſtri.

Duæ ſunt partes. Prima pars probatur. I. Quia nulla unquam eſſe poteſt legitima ratio ſeparationis ab unitate illius Eccleſiæ, extra quam nulla ſalutis ſpes, non charitas, non martyrium, ſed una damnatio: atqui ex dictis, extra Eccleſiam Catholicam Apoſtolicam & Romanam nulla eſt ſpes ſalutis, non charitas, non martyrium, ſed una damnatio; ergo &c. *Avelle radium Solis à corpore*, ait S. Cyprianus jam laudatus, *Pa. 181.*

datus,

datus, Lib. de unitate Eccleſiæ Catholicæ, *diviſionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præciſus areſcet*. Ita certè qui ab unitate Eccleſiæ recedit, ſpiritu mortuus eſt.

II. Si ob aliquam rationem fieri poſſet juſta ſeparatio ab unitate Eccleſiæ, maximè vel ob corruptos mores, vel propter errores, vel propter idololatriam: atqui ob eas cauſas nuſquam licita eſſe poteſt talis ſeparatio.

Non quidem propter corruptos mores: namque generatim docet S. Auguſtinus, nullam ob cauſam deſeri poſſe Eccleſiam. Lib. 2. contra Epiſtolam
T. 9. p. Parmeniani cap. 11. *Præcidendæ*, inquit, *unitatis nulla eſt juſta neceſſitas*. Et
42. E. Lib. 3. cap. 5. *Inconcuſſum firmumque teneamus, nullos bonos ab ea* (Eccle-
Ib. p. 75. C. ſia) *ſe poſſe dividere*. Et Epiſt. 93, aliàs 48. c. 9. *Nos autem*, ait, *certi ſu-*
T. 2. p. *mus, neminem ſe à communione omnium gentium juſtè ſeparare potuiſſe*. Pluri-
241. E. bus aliis in locis diſertè inculcat idem ſanctus Doctor, bonos propter malos admixtos deſerendos non eſſe, quod probat variis exemplis & figuris
Ibid. p. quibus Eccleſia in Scripturis adumbratur. *Neque enim*, inquit Epiſt. mox
252. A. citata c. 12. *propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter malos piſces rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine ſegregandos, deſerimus gregem Domini; neque propter vaſa facta in contumeliam, migramus de domo Do-*
Ibid. p. *mini*. Capite verò 4. jam dixerat: *Non propter malos boni deſerendi, ſed pro-*
237. B. *pter bonos mali tolerandi ſunt; ſicut toleraverunt Prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem Sacramentorum illius populi relinquebant; ſicut ipſe Dominus nocentem Judam uſque ad condignum ejus exitum toleravit; & eum ſacram Cœnam cum innocentibus communicare permiſit; ſicut toleraverunt Apoſtoli eos, qui per invidiam Chriſtum annuntiabant; ſicut toleravit Cyprianus Collegarum avaritiam, quam juxta Apoſtolum appellat idololatriam*.

Idem argumentum fusè proſequitur Epiſt. 43. aliàs 162. ubi exemplis pe-
Ib. p. 98. & 99. titis ex Scriptura, ſcilicet *Aaronis, Moyſis, Davidis, Samuelis, Iſaiæ, Hieremiæ, Zachariæ, Chriſti Domini, Apoſtolorum, qui malos toleraverunt*, oſtendit immeritò Donatiſtas Eccleſiæ unitatem deſeruiſſe propter Catholicorum mores perverſos. Ita etiam Lib. de vera Religione cap. 6. Lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34. Lib. 2. contra Creſconium cap. 34. 35. & 36. Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 18.

Non etiam propter errores juſta unquam eſſe poteſt ſeparatio ab Eccleſia. Tùm quia S. Cyprianus nunquam eorum deſeruit communionem, qui recedentes ab hæreſi non rebaptiſabant, licèt eorum opinionem tanquam graviſſimum errorem improbaret; neque S. Stephanus à communione Cypriani receſſit, quamvis eum in errore verſari circa Baptiſmum Hæreticorum cognoſceret. Tùm quia paſſim oſtendens S. Auguſtinus injuſtam fuiſſe ſeparationem Donatiſtarum à Catholicis, licet in errorem graviſſimum lapſos fuiſſe Catholicos non dubitarent Donatiſtæ, manifeſtè probat errorem non eſſe juſtam ſeparationis cauſam. Tùm quia fatentur & noſtri Reformatores, non eſſe violandam communionem inter eas Eccleſias in quibus ſunt errores non fundamentales; imò nec propter eos qui directè articulis fundamentalibus non adverſantur, ſed per ſolam conſequentiam ipſos evertunt. Ita inter alios Calvinus, Marloratus &c.

Non denique propter idololatriam. Tùm quia, ut obſervat S. Auguſtinus in

in Pſalmo contra partem Donati, multi ex Judæis tempore Iſaiæ, Jeremiæ & Ezechielis, in crimen idololatriæ prolapſi fuerunt, neque tamen ab iis ſeſe ſeparavere Prophetæ. Tùm quia damnat S. Auguſtinus ubique ſeceſſum Donatiſtarum à Catholicis, quorum multos Idolis ſacrificaſſe accuſabant. Et in Pſalmum 33. & Optatus Lib. 3. ſub finem, referunt Catholicos à Donatiſtis paganos appellari ſolitos, quos tamen arguunt & damnant iſti Patres, eò quòd ab eorum communione receſſiſſent. Tùm quia Calviniſtæ in ſuam communionem admittunt Lutheranos, quos habere debent ut Idololatras, aut idololatriæ ſaltem conſentientes, cùm plurimiè Lutheranis Chriſtum in Euchariſtia præſentem adorent, ſicut teſtantur Olearius, & Theologi Vvittembergenſes; atque Lutherani Poloniæ flexis genibus Euchariſtiam accipiant, omneſque poſt Magiſtrum ſuum Lutherum exiſtiment nullum eſſe peccatum præſentem Chriſtum in Euchariſtia adorare, ſed planè indifferens; quia, inquiunt, nec præceptum in Scripturis, nec vetitum: ergo noſtram ſocietatem deſerere non debebant, quòd Idolis ſervire exiſtimarent; ſiquidem aliud de Lutheranis eodem crimine infectis judicium ferunt. Tùm denique quia ipſi Reformatorum noſtrorum inſigniores Miniſtri, in illa declaratione, quam occaſione Epiſtolæ Conventus Cleri Gallicani an. 1682. ad ipſos directæ, fecerunt, profitentur nec idololatriæ crimen, quod tam ſæpè nobis objecerunt, fore ſufficientem ſeparationis cauſam, ſi hæc unica foret; cùm & Prophetæ, & veteris Teſtamenti fideles ab unitate Synagogæ nunquam receſſerint, eo etiam tempore cùm à vero cultu Dei, à vera ejus doctrina deficiebat, imò jam impio Idolorum cultui dedita eſſet; ergo &c.

Secunda Concluſionis pars, ſcilicet Calvinianos reos eſſe ſchiſmatis,

Probatur 1. Illi ſunt ſchiſmatis rei, quorum ſeparatio ab Eccleſia Catholicorum eſt diviſio à prima unitate; nam omnis ſeparatio quæ fit ab ea unitate qua non datur alia prior, eſt diviſio à prima unitate: atqui Proteſtantium ſeparatio ab Eccleſia Catholicorum eſt ab ea unitate, qua non datur alia prior. Quòd ab Eccleſia Catholicorum receſſerint, conſtat & fatentur ipſi: Quòd unitate Catholicorum, in qua noſtri & Proteſtantium vixere majores, non detur alia prior, tamdiu verum erit, quamdiu contrarium non fuerit manifeſtiſſimè probatum. Cùm enim ut talis ab ipſis Proteſtantium majoribus fuerit agnita, rei ſchiſmatis erunt eorum poſteri, qui in eadem unitate vixerunt, ex qua poſtea receſſerunt, niſi manifeſtiſſimis argumentis oſtendat ſe inveniſſe aliquam unitatem & communionem unitate Catholica priorem & antiquiorem: id autem hactenus oſtendere non potuerunt, nec haud dubiè unquam oſtendent. Ita doctiſſimi Valemburgi Tractatu de unitate Eccleſiæ Lib. 2. cap. 2. paragr. 6. De illis igitur meritò dicimus, quod de Hæreticis ſui temporis dicebat S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ Catholicæ: *Non nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt. Et cùm hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſunt, dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Pag. 42. Pa. 183.

Neque hic inquirimus cauſas eorum diviſionis; ſatis eſt, quòd diviſionem feciſſe oſtendamus. *Tota quæſtio eſt*, inquiebat ſanctus Auguſtinus Epiſtola 87. aliàs 164. alloquens Donatiſtas, *utrum nihil mali ſit ſchiſma, aut utrum ſchiſma non feceritis*. Similiter & nos dicimus: Quæſtio non eſt T. 2. p. 111. C.

cum

cum Reformatoribus noſtris, utrum nihil mali ſit ſchiſma, fatentur enim illi eſſe maximum malum; ſed ſolùm utrum ipſi ſchiſma fecerint. At feciſſe vel ex eo uno conſtat, quòd primam unitatem reliquerint; quòd altare erexerint contra altare Eccleſiæ noſtræ, ipſiſmet fatentibus; quòd altari alterius Eccleſiæ à noſtra diverſæ & ante ſuum ſchiſma exiſtenti ſeſe non adjunxerint, neque reipſa ad communionem aut Orientalium, aut Valdenſium confugerint, ſed novam Eccleſiam erexerint, novum Religionis corpus abſque ulla ab ipſis dependentia conſtituerint: ſunt igitur manifeſti ſchiſmatis rei.

II. Abſque maxima temeritate judicare non potuerunt Reformatores noſtri, eos eſſe in Eccleſia Catholicorum errores qui cum ſalute æterna ſtare non poſſint, ſuamque ſocietatem his immunem eſſe; ergo non potuerunt ſine crimine ſchiſmatis ab ea ſe ſeparare, ac novam ſectam & Eccleſiam conſtituere.

Antecedens probatur. Namque ſocietas Proteſtantium qui à communione Catholicorum receſſerunt, conſtat ex doctis & indoctis; majorique eſt haud dubiè in omni ſocietate indoctorum numerus, quales ſunt pueri, mulieres, artifices, ruſtici &c. Atqui licèt demus ita judicare potuiſſe doctiores, tamen nunquam id potuit vulgus promiſcuum. Ut enim de erroribus Eccleſiæ Catholicæ judicium ferrent, debuerunt eos expendere ope alicujus regulæ per quam certiſſimè potuerint eos dignoſcere: porrò apud Calvinianos ſola Scriptura eſt hæc regula; ergo attenta Scripturæ lectione & meditatione debuerunt ita ſuum judicium ferre. Quo pacto autem id fieri potuit ab indoctis, quibus nec notum eſſe poteſt quinam ſint Libri Canonici, quæ fidelis & ſincera verſio, quis legitimus ſenſus? Ergo non ſuppetebat rudioribus Calviniſtis via aliqua qua certò potuerint errores Catholicorum dignoſcere, propter quos tamen fatentur ſe ab eorum ſocietate receſſiſſe.

Neque eſt quòd dicant, ab iis qui eruditi erant eos fuiſſe edoctos: cùm enim illi omnem humanam auctoritatem tùm Conciliorum, tùm Paſtorum rejiciant, quia errori ſunt obnoxii; id ſatis non erat, ut certò potuerint propter eorum judicium, ab Eccleſia in qua baptiſati fuerant, ſeſe ſeparare.

III. Illi ſunt ſchiſmatis rei, qui ab Eccleſia, in cujus communione videbant, receſſerunt propter doctrinam, quæ legitimo judicio ante ſuam ſeparationem non fuerat condemnata. Namque ut ipſi docent in Admonitione de Libro Concordiæ contra Lutheranos, à quibus immeritò ſe condemnari dicebant, tùm ob negatam manducationem oralem, tùm ob rejectam ubiquitatem, recta ratio & pietas dictat omnibus, neminem eſſe damnandum propter controverſiam legitimo Judicio nondum definitam: atqui receſſerunt Calviniani ab Eccleſia Catholicorum, propter doctrinam nondum legitimo Judicio diſcuſſam & definitam ante ſuam ſeparationem. Proferant illud Judicium: an aliud dictat ratio & pietas, cùm pacem Lutheranorum ambiunt, aliud cùm unitatem Catholicam fugiunt? Scilicet non tolerant pro pace Chriſti Catholicos, quos infamant; & tolerant pro parte Calvinis, quos damnant. Ita contra Donatiſtas S. Auguſtinus Tractatu 1. in Epiſtolam Joannis.

IV. Aut Eccleſia Catholicorum, quam propter errores deſeruerunt, erat vera Chriſti Eccleſia, vel non erat: ſi prius; ergo Calviniani ſunt Schiſmatici,

tici, qui deſeruerunt veram Chriſti Eccleſiam: ſi poſterius; vel miſſionem ſuam habuerunt ab illa Eccleſia, vel non. Si habuerunt; nulla eſt, utpote quæ non data fuerit à legitima auctoritate: ſi non habuerunt; dicant ergo à qua receperint: an à Deo ipſo extraordinariè eos vocante & mittente? Probent ergo miſſionem ſuam extraordinariam, aut per Scripturas, in quibus aut prædicantur, aut deſignantur tanquam Paſtores futuri; aut per miracula, ſicut olim qui à Deo immediatè mittebantur, ſuam miſſionem confirmabant, ut Moyſes, Aaron, Prophetæ, Chriſtus ipſe.

Denique; Qui contra ſingularem Petri Cathedram alteram collocant; qui non communicant cum Eccleſia principali unde unitas Sacerdotalis & omnis unitatis origo deſcendit, & cujus communione ſola hæreſes profligari voluerunt SS. Irenæus, Cyprianus, Optatus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus; ii certè habendi ſunt Schiſmatici: atqui tales ſunt Calviniani. Quòd enim receſſerint ab Eccleſia Romana, ipſi profitentur: quòd verò nullam habeant cum ea communionem, certum eſt; ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Tot ſunt rationes & momenta, quibus ſeparationis ſuæ æquitatem probaverunt Calviniani, ut nemo jam ab ipſis poſtulare poſſit, cur ſchiſma fecerint. Fecerunt enim propter corruptionem in moribus, in doctrina; propter invectam idololatriam in cultu Dei; propter tyrannidem in diſciplina, ac præſertim R. Pontificis &c.

Reſp. hic quæſtionem non eſſe utrum ob legitimam cauſam ſchiſma fecerint; ſed an revera ſchiſma fecerint. Feciſſe autem Calvinianos ſchiſma manifeſtè oſtendimus: hoc verò ſatis eſt ut ſchiſmatis rei convincantur: Unitatem autem Eccleſiæ nulla cauſa ſcindi poſſe, docet antè citatus S. Auguſtinus.

Quod dicunt de moribus perverſis Catholicorum, non urget: judicamus enim perſonas ex fide, non fidem ex perſonis. Si probarent Eccleſiam Catholicorum inducere ad pravos mores, aut ipſos approbare & defendere; eſſet quòd conquererentur de noſtra ſocietate. Nonne primis Eccleſiæ ſæculis, quibus tùm maximè florebat Religio Chriſtiana, multa fuit morum corruptela in Gnoſticis, Valentinianis, & aliis nonnullis Hæreticis, qui ſe Chriſtianos eſſe gloriabantur? An hæc vitiorum monſtra Eccleſiæ ipſi adſcripta ſunt? Ita quidem: ſed à quibus? à Paganis & Infidelibus Religionis Chriſti infenſiſſimis hoſtibus ac perſecutoribus. An idcirco ab unitate Catholica receſſere pii fideles? minimè profectò.

Quod dicunt de doctrina, plùs momenti non habet: Tùm quia nec ob errorem fieri poſſe ſeparationem ab Eccleſia Catholica docent SS. Patres: tùm quia non erat in poteſtate Calvinianorum judicare de illa doctrina quam tantopere accuſant. Cùm inter ipſos celebris diſputatio orta eſt de Gratia, inter Arminianos ſcilicet & Gomariſtas, injuſtitiæ profectò rei fuiſſent, & maximæ temeritatis, ſi ante legitimum Eccleſiæ, in qua erant ambæ partes, Judicium, privatas voluiſſent inſtituere Eccleſias, neque communionem externam ſervare: excuſari itaque à crimine ſchiſmatis non poſſunt, quòd ante Judicium Eccleſiæ in qua erant, ſeceſſionem ab ea fecerint, ob prætenſam

illius corruptam doctrinam. Tùm quia ſi propter doctrinam corruptam noſtram Eccleſiam deſeruerunt, cur Lutheranorum communionem tantopere optant, qui nobiſcum in multis conſentiunt, ut in præſentia reali Chriſti in Euchariſtia, ejus adoratione, Imaginibus?

Quod dicunt de idololatriæ cultu à Catholicis approbato, ipſis nocet magis, quàm faveat. Tùm quia neque ob aliquorum idololatriam ſchiſma fieri poſſe docet ſanctus Auguſtinus: tùm quia ſi tota Eccleſia Catholicorum, cujus tunc temporis erant membra, in idololatriam lapſa eſt, non erat ergo amplius vera Chriſti Eccleſia. Sed à quo miſſionem & ordinationem ſuam accipere potuerunt? Ubi erat vera illa Chriſti Sponſa, quæ veritatis firmamentum eſt & columna, cui ad conſummationem ſæculi ſe adfuturum promiſit Chriſtus? Cui Eccleſiæ ſe adjunxerunt? Si nulli; ergo membra mortua, quæ ob ſeparationem à corpore nullius operationis erant capacia. Tum quia tam facilis & plana eſt noſtra circa cultum Dei fides, ut jam tædioſa deberet eſſe noſtris adverſariis tam falſa accuſatio, qua nihilominus ſimplicibus imponunt. Adoramus Euchariſtiam, id eſt Chriſtum quem credimus in ea præſentem; & quem adorandum, ſi eſſet præſens, confeſſi ſunt Calvinus & Dallæus. Honoramus & veneramur Sanctos, ut amicos Dei, à quibus petimus ut jungant preces ſuas ad Deum & Chriſtum, quem credimus eſſe ſolum Dei & hominum Mediatorem. Veneramur eorum Imagines: at nullam eſſe in ipſis virtutem profitemur; nihil ab ipſis expectamus; imò hortatur noſtra ſocietas Paſtores, ut quàm diligentiſſimè ſuos hancce doctrinam edoceant.

Quod dicunt de tyrannide ſpiritali, nec magis urget. Tùm quia cur ſuam non haberet in condendis legibus & finiendis controverſiis auctoritatem Eccleſia Catholicorum, quam ſuæ ſocietati non denegant Calviniani? Nonne habent illi ſuam diſciplinam, ſuos ritus, ſuas cæremonias? Nonne ipſi in ſua diſciplina volunt, ut qui Synodo non obtemperant, ii moneantur; & ſi non reſipiſcant, excommunicentur? Tùm quia nihil Summo ac Romano Pontifici tribuimus, niſi quod ipſi à Chriſto in perſona S. Petri conceſſum eſt; primatum ſcilicet honoris & juriſdictionis in alios Epiſcopos. Hoc fide definitum credimus.

Objicies 2. Non ipſi Calviniani Eccleſiam Romanam deſeruerunt, ſed ipſa eos à ſua communione ſeparavit. Tùm quia variæ, quas in ipſos excitavit, perſecutiones ferro, igne, ſanguine, omnibus per totam Europam in Calvinianorum internecionem conſpirantibus, in cauſa fuerunt, cur Catholicorum ſocietatem deſeruerint. Tùm quia Leo X. ipſos excommunicavit, antequam in legitimo Concilio quidquam expenderetur, cujus tamen celebrationem ſæpiſſimè poſtulaverunt.

Reſp. Imò Eccleſiam Romanam deſeruerunt, antequam ipſa, in cujus communione vivebant, quidquam circa naſcentes lites pronuntiaret, Concilii univerſalis Eccleſiæ celebratione etiam non expectata, cujus tamen ſententiam inquirere priùs debuiſſent, quàm aperto ſchiſmate unitatem Eccleſiæ violarent. Leonis X. Judicio ſaltem proviſionaliter obſequi debebant, cùm ipſe eſſet Caput Eccleſiæ, in qua ipſi & majores eorum hactenus vixerant: at illi ſeparationis impatientes, Eccleſiæ auctoritatem & miniſterium uſurpaverunt; altare contra altare erexerunt; Sacramenta nobiſcum ſimul

parti-

participare noluerunt; & quidem antequam Conc. Tridentinum anno 1545. jam celebrari inceptum quidquam definiiſſet. Nam anno 1536. Calvinus Genevenſis inſtitutus eſt Paſtor & Miniſter, referente Beza; diſciplinamque ſuæ Eccleſiæ adeo temerariam & inauditam jam ſcripſerat, in qua noſtram Conciliorum omnium auctoritate confirmatam labefactare aggreditur. Anno 1524. jam omnino eruperat ſchiſma Zuinglii à quo originem ſuam ducunt noſtri Reformatores: jam tum ſublatæ Reliquiæ & Imagines; prohibita Miſſæ celebratio; interdictum jejunium quadrageſimale, ut videre eſt in Hoſpiniano 2. part. fol. 24.

Neque eſt quòd dicant, violentas Catholicorum perſecutiones fuiſſe cauſam ſuæ ſeparationis: præceſſit enim eorum ſchiſma noſtras, ſi quæ fuerunt, perſecutiones. Nam ab anno 1520. quo excommunicati ſunt à Leone X. Lutherani, ad annum 1529. quo in Comitiis Spirenſibus proteſtati ſunt ſe ad Concilium liberum provocare, nihil fermè contra ipſos actum fuerat: tantùm abeſt ut in Gallia, Hiſpania, Italia, Anglia &c. tragicæ fierent executiones, ut ipſi ſcripſerunt.

Quod dicitur de excommunicatione Leonis X. nihil adversùs nos probat; imò aperti ſchiſmatis Lutherum convincit. Initio admonitus fuit à Cardinali Cajetano nomine Summi Pontificis, ut errores retractaret, aut ſaltem Eccleſiæ Judicio ſe ſubjiceret. Statim ſponte id promiſit; ac brevi promiſſorum oblitus, turbas & ſeditiones paſſim excitavit; neque unquam ab erroribus defendendis abſtinuit. Damnatus eſt à Pontifice hanc ob cauſam, & ita parum conſtans fuit ejus fides in promiſſis, ut anno 1520. in Comitiis Vormatienſibus, cùm ſæpè urgeretur ut Eccleſiæ univerſalis auctoritatem ac tribunal agnoſceret, nunquam voluerit acquieſcere: quæ Lutheri pervicacia ita diſplicuit Imperatori, ut conſentientibus totius Imperii Principibus & Ordinibus, tanquam Schiſmaticum & notorium Hæreticum in toto Imperio proſcripſerit. Imò poſt tres annos, ſcilicet anno 1523. Liturgiam novam inſtituit, ubi ſupremum agens in diſciplina Eccleſiæ Legiſlatorem, omnia ad nutum rejicit & immutat; juriſdictionem Epiſcoporum certis ad libitum limitibus conſtringens; cæremonias, ritus & diſciplinam ad arbitrium ſubvertens.

Deinde ſi excommunicatio Leonis X. eſt juſta ſeparationis cauſa, ut volunt Proteſtantes, quæro ab ipſis: Vel hæc excommunicatio, quam injuſtam dicunt, totam Eccleſiam Catholicorum efficit hujus injuſtitiæ participem, vel non efficit: ſi primum; ergo iſtud Leonis crimen tribuendum eſt omnibus & ſingulis Eccleſiæ Catholicæ membris; & conſequenter cum Donatiſtis ſentiunt, Eccleſiam aliorum peccatis eſſe infectam: ſi poſtremum; ergo ſunt Schiſmatici, quia ſocietatem Catholicorum innocentem deſeruerunt. Sequitur ergo ex eorum provocatione ab excommunicatione Leonis X. aut Schiſmaticos eſſe Proteſtantes, aut erroris Donatiſtarum reos.

Objicies 3. Neceſſe non erat ut antequam ſe ſepararent Calviniani, fieret legitimæ auctoritatis Judicium de erroribus quos in Eccleſiam Catholicorum irrepſiſſe ipſi obſervaverant: tùm quia cùm difficile ſit Concilium ſtatim congregari, interea vires acquirit error; adeoque promptius eſt adhibendum remedium: tùm quia ubi quis vicini ſui domum incendi animadvertit, etiam non rogatus à domino, poteſt occurrere huic incendio: tùm quia

quis tunc judicaſſet de erroribus; cùm ipſa Romana Eccleſia eorum accuſaretur? an potuiſſet illa judex eſſe in propria cauſa?

Reſp. Legitimum illud Judicium ita neceſſarium eſſe, ut ſine eo nullus ſit qui ſtatim ſocietatem privatam non inſtituat, ſub prætextu errorum quos in aliis omnibus deprehenderit; nec quidquam à Calvinianis afferri poteſt, quod ejus ſeparationis injuſtitiam probet.

Ad primum: Revera quidem Concilium generale eſt infallibile Eccleſiæ tribunal: at cùm facile ſemper non ſit illud congregari, aliud nobis ſuppetit tribunal, ſcilicet Judicium S. Pontificis, cujus præcipuæ ſunt partes doctrinam fidei tueri, profanas Hæreticorum novitates compeſcere; cujus Judicio adhærere ſaltem proviſionaliter debent. Cur autem denegant Reformatores Capitis noſtræ Eccleſiæ eam auctoritatem, quam concedunt ſuis Conſiſtoriis & Colloquiis? Vult eorum Diſciplina, eſſe poteſtatem in Conſiſtoriis judicandi de ſcandalo & doctrina, non obſtante Judicum recuſatione, & interjectà appellatione. Et c. 1. art. 49. docet ſententiam à Conſiſtorio aut Colloquio latam, validam eſſe uſque ad ſententiam definitivam. Jam quæro: Si excommunicati à Conſiſtorio dicant non præceſſiſſe juſtum cauſæ examen; Judices fuiſſe ſuſpectos; imò appellationem interpoſitam: licebitne ipſis refragari hujuſmodi ſententiæ, & privata tunc inſtituere conventicula, ac primam deſerere communionem? Certè fatentur Calviniani, ejuſmodi homines ſchiſmatis reos eſſe. Cur non idem dicunt de majoribus ſuis, qui à Leone X. damnati, privatas Eccleſias inſtituerunt, & à communione Eccleſiæ, in qua erant, receſſerunt? Quòd ſi Judicio Summi Pontificis accedat conſenſus partim expreſſus, partim tacitus Epiſcoporum qui per orbem ſparſi ſunt, tunc non tantùm proviſionale, ut vocant, Judicium erit, ſed ultimum ac definitivum, cui neceſſe eſt ex animo adhærere omnes fideles: eodem quippe inerrantiæ dono gaudet Eccleſia ſeu diſperſa ſeu collecta.

Cap. 5. art. 9. & 31.

Ad ſecundum: Licet profectò incendio domus diligentiſſimè occurrere; ſed non licet eam incendere, ut hoc prætextu diripiatur ac diſſipetur: ſuo autem ſchiſmate, ſuis erroribus, Eccleſiæ, quæ eſt domus Dei, ſtragem inferre conati ſunt Calviniani. Si errores obſervabant, poterant monere Paſtores quos Deus Eccleſiæ ſuæ dedit, ut non ſimus fluctuantes omni vento doctrinæ. Hactenus intellexerant Catholici verba Chriſti in Cæna ſecundùm ſenſum litteralem: cur ſtatim ſine legitimo Judicio & examine volunt ut ſuam immutent ſententiam? Si ita licet, nonne hoc pacto via aperitur quibuſcunque ſchiſmatibus?

Ad tertium: Quæro à Reformatoribus noſtris, à quo debebat Judicium expectari, ſi illud pronuntiare non eſſet Eccleſiæ in qua tunc verſabantur? Cùm orta eſt in ipſorum ſocietate diſſenſio, nonne ad propriam ſuam Eccleſiam confugerunt?

Objicies 4. multa Scripturæ loca quibus Deus mandat fidelibus ut impiorum conſortium fugiant.

Iſaiæ 52. v. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere; exite de medio ejus.*

Jer. 23. v. 28. *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* Antea.... *Propheta, qui habet ſomnium, narret ſomnium &c.*

1. Cor.

1. Cor. 5. v. 9. *Scripſi vobis in Epiſtola; ne commiſceamini fornicariis; non utique fornicariis hujus mundi &c.*

1. Cor. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus &c.*

Reſp. Habebant quidem ſæpè in ore hæc teſtimonia primi Calviniani, nunc verò in iis tam parum eſſe roboris intellexerunt recentiores Miniſtri, ut de iis altum ſit apud illos ſilentium. Scilicet S. Auguſtinus agens contra Donatiſtas qui iiſdem teſtimoniis abutebantur, oſtendit ea ſolùm intelligenda eſſe de ſeparatione ſpiritali, qua ſcilicet ab iis animo ſejuncti, vita moribuſque diſtinguantur. Ita diſertè Lib. 3. contra Parmenianum c. 2. 3. & 4. *T. 9. p. 60. & ſeq.*

Itaque diſtinguenda triplex ſeparatio in mente ac doctrina S. Aug. Prima eſt qua debemus ab impiorum moribus recedere, neque prava eorum facta & exempla ſequi: hæc autem non tantùm licita eſt, ſed unicuique noſtrum imperata. Secunda eſt illa qua excommunicantur & à conſortio fidelium ſeparantur mali; hancque ad ſolos Superiores Eccleſiaſticos pertinere, neque ab ipſis niſi cum maxima prudentia, & certis quas tradit regulis uſurpandam eſſe docet Lib. de fide & operibus c. 5. & Lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani c. 2. circa medium. Tertia eſt illa qua aliquis ſeſe ita à communione Eccleſiæ ſeparat, ut non eadem amplius frequentet Templa, neque ab iiſdem Paſtoribus & Sacramenta & doctrinam accipiat: hæc autem nunquam licet quocumque prætextu, ut oſtendimus. *T. 6. p. 169. T. 9. p. 64.*

Inſtabis 1. Si in ſocietate impiorum & veri Dei cultum abrogantium ſit periculum approbandi erroris, non tantùm licebit communionem eorum deſerere, ſed etiam tenebitur unuſquiſque, ut ſuæ ſaluti provideat.

Reſp. nequidem in periculo erroris licitam eſſe ſeparationem externam quam mox expoſuimus; ſed, ut docet S. Auguſtinus paſſim adversùs Donatiſtas, ſatis eſt ſi pravos illos mores nec ſectemur nec imitemur. Tulit Moyſes tot hominum millia contra Deum murmurantia: Aaron, Moyſes, Zacharias & multi alii Prophetæ inter medios divinæ legis contemptores vixerunt; & quamquam erroris participandi periculo obnoxii forent, imò & in periculum veniret eorum vita, ut Zachariæ contigit quòd Judæos idololatriæ arguiſſet, nunquam tamen ſocietatem diverſam inſtituerunt.

Inſtabis iterum. Ex S. Aug. Lib. 3. contra Creſconium Grammaticum c. 38. tunc deſeri poteſt aliqua ſocietas, cùm falſam docet doctrinam; cùm de ea libros ſcribit; cùm neminem ſibi communicare patitur, niſi illos legat & approbet: imò ab ea tunc ſeparari non tantùm æquum eſt, ſed ipſa ſe ab Eccleſiæ unitate ſegregat. Atqui Catholicorum ſocietas, inquiunt Calviniani, falſam docet doctrinam; de illa libros ſcribit, noſque à communione ſua ejecit, quòd eam nollemus approbare; ergo meritò deſeruimus hanc ſocietatem.

Reſp. Ut ſuæ à Catholicorum ſocietate ſeparationis juſtitiam probarent Reformatores, duo probare deberent: 1. illorum ſocietatem non eſſe verum Chriſti Eccleſiam: ſi enim ſit ſemel, ſemper erit; cùm Eccleſia vera nunquam ſit defectura. 2. Judicium aliquod legitimum circa illos errores à ſe obſervatos expectare: quippe ſi falſum ſit tales errores à Catholicis doceri, aut eos verè errores eſſe; ſi apud ipſos vera eſt Chriſti Eccleſia, horrendi ſanè ſchiſmatis reos ſeſe conſtituunt: neutrum autem hactenus probaverunt Reformatores; ergo &c.

Objicies 5. Cum Claudio: Nulla planè ſunt argumenta quæ ex diſpu-

tationibus S. Auguſtini adverſùs Donatiſtas inferuntur, ut Proteſtantes ſchiſmatis redarguantur: longè enim alia erat cauſa Donatiſtarum, & alia Proteſtantium. Namque 1. Donatiſtæ receſſerunt ab Eccleſia, ob rationes quæ perſonas tantùm ſpectabant; ſcilicet exiſtimabant illi Cæcilianum & Fœlicem fuiſſe traditores: Proteſtantes autem non aliam ob cauſam, quàm propter doctrinam & religionem. 2. Donatiſtæ nihil reprehendebant in Eccleſia: eadem habebant Sacramenta, eandem regiminis formam & diſciplinam; neque quæſtionem de Baptiſmo Hæreticorum ſufficientem eſſe ſeparationis cauſam afferebant. 3. Catholici communionem ſuam offerebant Donatiſtis, eam verò Proteſtantibus nunquam obtulerunt.

Reſp. ad primum: Primis quidem ſchiſmatis Donatiſtarum temporibus, ſcilicet per quadraginta primos annos, controverſiam de ſolis dumtaxat perſonis fuiſſe, Cæciliani nempe & Fœlicis; ſed poſtea cùm S. Optatus & S. Auguſtinus ab ipſis petebant, cur ſchiſma feciſſent, ſchiſmati hæreſim addidere. Quæſtio enim fuit circa fidem: neque iteratio Baptiſmi habita fuit à Donatiſtis quaſi ad diſciplinam tantùm ſpectaret, quia Catholicos velut infideles & paganos habebant, ut obſervat S. Optatus; neque etiam à Catholicis, quandoquidem S. Auguſtinus Libris de Baptiſmo, & Epiſtolis 87. 23. & 61. aliàs 164. 203. & 223. Donatiſtas vel eo ſolùm nomine graviſſimi criminis inſimulet, quòd rebaptiſarent.

Ad ſecundum: Quo pacto dici poſſunt habere eandem Religionem, & eadem Sacramenta, qui ab ipſo Claudio dicuntur Catholicos habuiſſe ut infideles & paganos?

Ad tertium: Licèt varia fuerit diſciplina quantùm ad Donatiſtarum in ſuis Dignitatibus reſtitutionem, nunquam tamen probabunt adverſarii, admiſſos fuiſſe à Catholicis niſi facta priùs errorum ſuorum ejuratione. Id expreſsè tradit S. Auguſtinus Epiſtola 61. aliàs 223. circa medium. Epiſtola 87. aliàs 164. circa finem. Et 204. aliàs 61. non longè ab initio. Erga Proteſtantes ſimili modo ſe geſſit Catholicorum ſocietas; neque ſemel iis omnibus ſuam communionem obtulit, ſed ſæpe ut in antiquæ matris gremium reverterentur adhortata eſt, & adhortatur etiamnum ac invitat.

ARTICULUS TERTIUS.

De ſanctitate Eccleſiæ.

Quæſtio non eſt utrum Eccleſia Chriſti in ſe ſancta ſit; conſentiunt enim omnes eam in ſe ſanctam eſſe: *Pro ea enim ſeipſum tradidit Chriſtus, ut illam ſanctificaret.* Epheſ. 5. v. 26. Quæ ſanctitas elucet tùm in ejus auctore ac parente Chriſto, qui eſt fons & origo totius ſanctitatis; tùm in ejus fine, nempe cultu divino, cui promovendo conſecrata eſt; tùm in ejus doctrina, moribus, præceptis, conſiliis, Sacramentis, quæ omnia ſanctitatem undequaque ſpirant & exprimunt. Inde eſt quòd S. Petrus Epiſtolæ 1. cap. 2. v. 9. fideles Chriſtianos appellet, *Genus electum, gentem ſanctam, populum acquiſitionis.* Fruſtra eam ſanctitatem quæſieris extra Catholicam Eccleſiam; nota quippe eſt ipſius tam propria & ſingularis, ut nulli alteri ſocietati poſſit convenire.

Quæ-

Quæſtio pariter non eſt, utrum omnia & ſingula Eccleſiæ membra eam habeant ſanctitatem quam in ipſis exoptat pia mater: certum enim eſt in ejus ſinu multos eſſe malos, pro conditione hujus noſtræ mortalitatis, quorum vitia in ipſam Eccleſiæ conſtitutionem refundi non debent, cùm ad ſanctitatem inſpirandam tota nata ſit & inſtituta.

Quapropter appoſitè omnino S. Auguſtinus Lib. 2. Retract. cap. 18. *Ubicumque*, inquit, *commemoravi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſt quaſi jam ſit, ſed quæ præparatur ut ſit quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias & infirmitates membrorum ſuorum, habet unde quotidie dicat: Dimitte nobis debita noſtra.* T. 1. p. 48. C. D.

Quæſtio igitur eſt 1. An ſocietas Catholicorum, quæ ſibi veræ Eccleſiæ nomen meritò vindicat, ſit ſancta. 2. An ſocietas Proteſtantium ſit ſancta.

PRIMA CONCLUSIO.

Eccleſia Catholicorum eſt ſancta ea ſanctitate quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt ac ſingularis.

Probatur. Quia ſanctitas quæ eſt propria & ſingularis Eccleſiæ Chriſti, poſita eſt præſertim in tribus: ſcilicet in ſanctitate doctrinæ & profeſſionis; in ſanctitate eorum qui primùm eam fundaverunt; in gloria miraculorum quibus veritatem & ſanctitatem Chriſtianæ Eccleſiæ confirmavit Dominus. Atqui ſocietas Catholicorum triplicem illam habet ſanctitatem.

I. Habet ſanctitatem doctrinæ & profeſſionis, quia nihil docet quod non ſit ſanctiſſimum: de fide nihil proponit credendum, niſi vel ſcriptum ſit in ſanctis Libris, vel conſtanti ac perpetua traditione ad nos tranſmiſſum, ac Conciliis definitum. Unicum Deum in ſpiritu & veritate colit: verum agnoſcit Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum; & ſi quas in cultu Dei uſurpat cæremonias, non alio fine uſurpat, quàm ut mentem hominum ad cœleſtia erigat. Non aliam habet moralem doctrinam, quàm quæ à Chriſto, Apoſtolis, & SS. Patribus tradita eſt: cætera verò quæ à Theologis diſputantur, tanquam cogitationes hominum haberi debent, quas vehementer damnat & improbat, niſi & à cupiditate hominum prorſus alienæ ſint, & ad ſanctiſſimas morum regulas compoſitæ. Præterea, illa doctrina eſt ſancta, quæ ejus eſt virtutis & efficaciæ ut ipſa ſanctitatem & ſapientiam alii inſpiret, ac convertat animas: atqui talis eſt doctrina quam profitetur ſocietas Catholicorum. Norunt enim omnes, quos progreſſus fecerit in univerſo orbe ſtatim atque annuntiata eſt; & quidem nullis hominum ſuffulta præſidiis, per Apoſtolos externa ſpecie contemptibiles, ſine vi, ſine ulla arte aut verborum pompa; quamquam ea doceret quæ naturæ dura planè ſunt & adverſa, ac longo uſu obfirmatos in vitio reperiſſet hominum animos. Neceſſe igitur eſt divinam planè eſſe ſanctitatem doctrinæ quæ tantam vim habuit & efficaciam.

Meritò igitur S. Auguſtinus Lib. 2. de Civitate Dei cap. 28. ait: *Nihil* (in Chriſtianis Eccleſiis) *turpe ac flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.* T. 7. p. 57. F.

Digitized by Google

Non ita certè in ſectis Hæreticorum: nullum enim ferè eſt flagitii ac turpitudinis genus, cujus rei non fuerint veteres Gnoſtici, Carpocratiani, Montaniſtæ &c. vide Bellarminum Lib. 4. de Eccleſia cap. 1. (Tom. 2. p. 81.) Nonne & ipſi Reformatores noſtri ex Religione ſuſtulere quæ dura & oneroſa ſunt, jejunia, carnis macerationes, auricularem Confeſſionem &c?

II. Habet ſanctitatem in primis ſui inſtituti fundatoribus. Habet enim in Chriſto, qui eſt primus ejus auctor, fons & origo totius ſanctitatis & juſtitiæ. Habet in Apoſtolis & SS. Patribus, qui contra ſingulas hæreſes ſuorum ſæculorum dimicaverunt. Habet in Martyribus, qui firmo ac conſtanti animo pro Chriſto occubuere. Habet in tot Epiſcopis & Paſtoribus, in tot Religioſorum Ordinum Inſtitutoribus eximiæ virtutis ac pietatis: nihil verò tale apud ſe eſſe probare poſſunt noſtri Reformatores.

III. Habet ſanctitatem doctrinæ miraculis à Deo confirmatam; imò ſola eſt quæ miracula habuerit, eaque tam indubitata, ut ab ipſis noſtris adverſariis negari non potuerint. Habuit primo ſæculo miracula Chriſti & Apoſtolorum in ſacris Libris memorata. Secundo ſæculo miracula militum Chriſtianorum in exercitu Marci Antonini Imperatoris, quæ referuntur à Tertulliano in L. ad Scapulam cap. 4. & Apologetici c. 5. ab Euſebio Lib. 5. Hiſt. cap. 5. Tertio ſæculo, miracula Gregorii Thaumaturgi, apud S. Baſilium Lib. de Sp. ſancto c. 29. apud S. Greg. Nyſſenum in vita ejus, S. Hieronymum Lib. de viris illuſtribus. Quarto ſæculo, miracula Antonii, Hilarii, Martini, Nicolai, apud S. Athanaſium, Hieronymum, Sulpitium. Quinto ſæculo, miracula quæ deſcribuntur à S. Auguſtino Lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. & quæ ſuo tempore Carthagine & Mediolani contigiſſe narrat. Sexto ſæculo, miracula quæ narrantur à S. Gregorio Magno in ſuis Dialogis; & multa alia, ſicuti Annales Eccleſiaſticos percurrenti conſtare facilè poterit.

Et certè rem omnino diſſimlare non potuerunt Magdeburgenſes, in ſuis Centuriis quibus priorum Eccleſiæ ſæculorum hiſtoriam ſuo modo complexi ſunt. In ſingulis enim Centuriis cap. 13. notant ac referunt ex auctoribus illorum temporum varia miracula; imò plura in ſingulis ſæculis inveniuntur in confirmationem præcipuorum capitum doctrinæ Catholicæ, ut Confeſſionis ſacramentalis, præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia, invocationis Sanctorum, ſanctarum Reliquiarum & Imaginum. Ipſi etiam ejuſmodi titulos præfigunt; & quamvis poſtea ſubjungant, illa omnia meras fuiſſe Dæmonum præſtigias, aut falſas narrationes, nihil tamen afferunt quo id probent, niſi quòd hæc miracula pugnent cum novis Lutheri & Calvini placitis.

Verùm ſi hæc omnia rectè perpendantur, facilè apparebit ex omnibus planè circumſtantiis, vera procul dubio fuiſſe miracula, quæ à tot & tam ſanctis viris, tam frequenter facta ſunt in teſtimonium fidei quam nunc quoque eandem cum ipſis profitemur; ac proinde illa meritò reponi à ſancto Auguſtino Lib. de utilitate credendi cap. 17. & Lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. inter illa Societatis Chriſtianæ *chariſſima vincula*, quibus ajebat ſe teneri in Eccleſiæ Catholicæ ſinu. Hinc eſt etiam quòd Richardus à ſancto Victore Lib. 1. de Trinit. cap. 2. Dominum ſic alloqui non dubitat. *Domine ſi error eſt* (quod credimus,) *à te ipſo decepti ſumus: iſta enim in nobis tantis*

Ed. Rothom. 1650. p. 218. C.

tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt & talibus, quæ nonniſi per te fieri poſſunt. Ubi autem vera ſunt miracula, ibi & vera fidei doctrina: Deus quippe miraculorum auctor, mendacii & erroris teſtis & aſſertor eſſe non poteſt.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Societas noſtra corrupta eſt in doctrina & in moribus, tam in capite quàm in membris. De doctrina patet ex infinitis propemodum erroribus & ſuperſtitionibus, quibus verus & internus Dei cultus corrumpitur: de moribus verò patet, ex reformatione ſeu emendatione quæ identidem adhibenda fuit tam in capite quàm in membris &c.

Reſp. nego ant. Solemne quippe ſemper fuit Hæreticis Catholicorum ſocietatem, à qua ejiciebantur, calumniis proſcindere. Sic Manichæi objiciebant olim Catholicis, hypocriſim, ſuperſtitionem, ſepulchrorum adorationem, luxuriam: ita S. Aug. Lib. de moribus Eccleſiæ cap. 34. Sic Luciferiani affirmabant univerſum mundum factum eſſe Eccleſiam diaboli & antichriſti; ac potius Synagogam, quàm Chriſti Eccleſiam dici debere: ita S. Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos. Sic Donatiſtæ Cathedram Eccleſiæ Catholicæ vocabant Cathedram peſtilentiæ, quia ſancti in ea ſedere non poſſunt: ita S. Aug. Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 51. Quid igitur mirum ſi Reformatores noſtri veteres Hæreticos imitati, calumniis onerant ſocietatem Catholicorum? Non eſt hìc locus ſingula accuſationis eorum capita percurrendo refellere. Dixiſſe ſufficiat, quod jam obſervavimus, privatorum errores ac vitia non eſſe ipſi Eccleſiæ imputanda; ac nullum ab Hæreticis proferri poſſe Eccleſiæ Catholicæ Judicium, Canonem nullum, quo vel error, vel morum corruptela fuerit approbata.

Objicies 2. Efficacia doctrinæ certum non eſt ejus ſanctitatis argumentum: tùm quia magnos fecit etiam progreſſus Infidelium & Hæreticorum doctrina, ut patet exemplis Mahumetanorum, Lutheranorum & Calviniſtarum: tùm quia ſi quos ſua doctrina converterunt Catholici, id non fecit doctrinæ ſimplicitas, ſed dolus, promiſſa, minæ.

Reſp. nego ant. Ad exemplum Mahumetis, non eſt quòd miremur ejus ſectæ progreſſus: nam præterquam quòd hominum libidini plurimùm favet, armorum vi, non perſuaſione doctrinæ tam longè latèque diffuſa eſt. Imò Mahumetes ipſe Alcorani cap. 18. & 19. bello & armis cogendos eſſe homines ad ſuas partes & doctrinam amplectendam affirmat.

Nihil quoque mirum videri debet quòd Lutheri & Calvini hæreſis tot regiones occupaverit: quid enim non poteſt novitas, ubi ſub ſpecie ſeverioris & ſanctioris morum diſciplinæ ea reſcinduntur, quæ in Catholicorum Religione magis ardua ſunt & oneroſa, ut v. g. Confeſſio ſacramentalis, Jejunium, Cœlibatus in Miniſtris Eccleſiæ &c.? At quòd ea Religio, quæ nonniſi dura docet, quæ tota naturæ inclinationi contradicit, tam ſtupendos fecerit progreſſus, id verè ſoli ejus doctrinæ ſanctitati & auctoris ipſius efficaciæ adſcribendum eſt. Quas verò ſtrages in Gallia, Germania, Anglia, quas tempeſtates ac rebelliones excitaverit prætenſa Novatorum reformatio, nemo ignorat. Quod ajunt de dolo, promiſſis, ac minis à noſtris uſurpatis, ut faciliùs ad Chriſtum homines converterent, putida fabula eſt.

Obji-

Objicies 3. Miracula non poſſunt probare ſanctitatem alicujus doctrinæ.

I. Quia fieri poſſunt vel à Magis & Ariolis, ut patet ex cap. 7. & 8. Exodi, ubi Magi Ægyptii ſuas virgas verterunt in dracones, & alia miranda præſtiterunt; vel ab antichriſto & pſeudoprophetis, Matth. 24. v. 24. ubi dicuntur daturi ſigna magna & prodigia in fine mundi; & quidem tanta, *ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*. Vel ab Ethnicis, ut à Veſpaſiano apud Suetonium in vita Veſpaſiani n. 7. qui refert lumen cæco reſtitutum fuiſſe ab illo Imperatore ejus ſputo, & claudum ejus calce ſanatum; vel ab Hæreticis, ut refert Socrates Lib. 7. cap. 17. de Paulo Novatianorum Epiſcopo; vel denique à viris improbis, ut ſupponit illud Apoſtoli 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*.

II. Quia S. Aug. Tractatu 13. in Joan. diſertè aſſerit non eſſe credendum Donatiſtis etiam miracula facientibus; ubi per contemptum eos *Mirabiliarios vocat*. Et L. de unitate Eccleſiæ c. 19. pluribus oſtendit litem inter Catholicos & Hæreticos ex miraculis non eſſe dirimendam, cùm utrobique inveniri poſſint; neque Eccleſiæ ſanctitatem probandam eſſe ex miraculis, quippe quæ totam ſuam ab illa habeant auctoritatem. Imò poſtquam dixit non eſſe credendum miraculis Donatiſtarum, addit, nec etiam fidem adhibendam eſſe miraculis Catholicorum, quia *Quæcumque*, inquit, *talia in Catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipſa manifeſtatur Eccleſia, quia hæc in ea fiunt*. Et certè non poteſt per miracula certò demonſtrari quæ ſit vera doctrina, & vera Eccleſia, niſi priùs conſtet miracula illa vera eſſe & à falſis diſtincta. Atqui id conſtare non poteſt niſi ex ipſo Eccleſiæ Judicio; ergo non Eccleſia per miracula, ſed potius miracula per Eccleſiam demonſtranda ſunt.

(To. 3. p. 2. pag. 398. G.) (To. 9. p. 731. D.)

III. Quia micacula quæ à Catholicorum auctoribus referuntur, vel ficta ſunt, vel ſaltem imaginaria; hoc eſt, vel ita non contigerunt ſicuti narrantur ab Hiſtoricis; vel ſi contigerunt, meræ fuerunt dæmonum præſtigiæ, aut certè hominum illuſiones: idque probant noſtri recentiores Hæretici duobus præſertim momentis, atque inter alios Jurius in Libro de Præjudiciis legitimis contra Baptiſmum p. 2. cap. 17. Primò, ex prodigioſa miraculorum multitudine, quæ leguntur facta à SS. Franciſco, Dominico, Vincentio Ferrerio & aliis; ita ut nuſquam Apoſtoli aut tot patraverint, aut tam ſtupenda: ad quid verò tot miracula, ea præſertim ætate qua confirmata eſt Chriſtiana Religio? Imò S. Chryſoſtomus Hom. 49. in Matth. innuit ſublatam fuiſſe ſuo tempore miraculorum operationem. Secundò, ex ſtoliditate & ineptia eorum miraculorum, quæ certè majeſtate Dei indigna referunt; quo uno ficta illa eſſe ac falſa comprobatur.

IV. Si Calviniſtæ nulla proferunt miracula ad probandam ſanctitatem ſuæ doctrinæ, inde eſt, quòd miraculis non indigeant, quandoquidem nonniſi purum Dei verbum, ac puram Apoſtolorum doctrinam tot miraculis per ipſos olim confirmatam, edocent. Et certè, inquiunt, ſanctus Joannes, licèt à Deo miſſus fuerit extraordinariè, nullum tamen ſignum fecit, ut expreſsè aſſeritur Joan. 10. v. 42.

Reſp. 1. nego ant. Cùm enim miraculum, ſi verum ſit, ſolius Dei virtute fieri poſſit in confirmationem veritatis, neceſſe eſt veram eſſe hanc

doctrinam & Religionem, in cujus gratiam miracula patrari Deus permittit. Unde vel ipſemet Chriſtus Joan. 10. v. 52. ſe Deum eſſe, ac vera eſſe quæ dicebat miraculorum auctoritate, quæ in Scripturis Dei teſtimonia vocantur, comprobabat. Et cap. 15. v. 24. *Si*, ait, *opera non feciſſem in eis* (Judæis) *quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et cap. 10. v. 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre*.

Hinc Apoſtoli frequentia edidere miracula: hinc SS. Patres, præſertim verò S. Auguſtinus pluribus in locis oſtendit vim maximam ineſſe miraculis ad fidei veritatem comprobandam. Ita Libro contra Epiſtolam fundamenti c. 4. ubi aſſerit ſe in Eccleſia Catholica miraculorum auctoritate retineri Lib. de utilitate credendi contra Manichæos. Lib. 10. de Civit. Dei cap. 12. & 17. Et Lib. 22. cap. 5. & 8. plurima refert miracula quæ variis in locis ſuo tempore contigerant: ut Mediolani, lumen redditum cæco; Carthagine, virum graviſſimo morbo liberatum; juvenem paralyticum ſanatum; adoleſcentes à dæmone liberatos; mortuos ſuſcitatos &c.

Reſp. 2. ad ſingulas Objectionis partes.

Ad primam, quæ contendit à Magis, à Pſeudoapoſtolis & antichriſto, ab Ethnicis, Hæreticis & improbis facta eſſe miracula, ex quibus pro confirmanda fidei veritate duci non poteſt argumentum.

I. Magi & Arioli veri nominis non edidere miracula: ſed fuere potius quædam artificia dæmonis vel oculos faſcinantis, vel tollentis impedimenta ab ipſo poſita, aut quæ natura tolli patitur ſaltem occultiori vi dæmonis, vel proponentis opera quædam naturæ, aut aliunde adducta, aut recens producta, applicando activa paſſivis. Sic v. g. ſerpentes Magorum Ægypti aliunde adduci potuerunt, & virgæ Magorum imperceptibiliter ſubduci, Deo illud per dæmones permittente, tùm ob alias cauſas, tùm maximè, ut cùm mira quædam facere permiſſi eſſent, miraculis vincerentur, ait S. Aug. Lib. 10. de Civ. Dei cap. 8.

Præterea, etſi prodigioſa & miraculoſa viderentur hæc Magorum opera, hæc tamen à Deo non eſſe facilè intelligere poterant Ægyptii: tùm quia, ut obſervant Interpretes, ad caput 7. & 8. Exodi, draco, in quem virgam ſuam convertit Moyſes, Ægyptiorum dracones, in quos & illi virgas ſuas verterant, voravit: tùm quia ita plagas populo infligere potuerunt Magi, ut illum ab iis liberare non potuerunt: quaſi nempe, ut obſervat Theodoretus q. 18. in Exodum, exitioſa tantummodo fuerit tota eorum vis, ac tota in ſuam propriam perniciem converſa. Sic v. g. potuerunt aquam in ſanguinem vertere, ſicut & verterat Moſes; potuerunt etiam ut & ipſe, ranas in totam regionem invehere: at nec ſanguinem in aquam vertere potuerunt, nec ranas ab Ægypto removere. Tùm quia ſciniphes non potuerunt producere; Deo ſcilicet, ut obſervat Theodoretus, Magorum imbecillitatem artemque, qua utebantur, procul abeſſe à virtute divina, tunc manifeſtante; adeo ut confeſſi fuerint in illa plaga eſſe digitum Dei, hoc eſt, ſingularem potentiæ Dei operationem.

Neque eſt quòd dicat aliquis, ſi dæmones tam facilè poſſent ſuis præſtigiis verorum miraculorum ſpeciem externam adumbrare, nonniſi admodum difficilè

Digitized by Google

ficilè vera miracula à falſis diſcerni poſſent; adeoque inutilia evaderent ad fidei certitudinem producendam.

Namque dantur quædam notæ ac ſigna quibus vera miracula dignoſci poſſint à falſis. 1. In illis operibus conſideranda eſt diuturnitas effectus & perſeverantia, quæ eſt maximum veritatis indicium: quæ enim fictè fiunt, brevi evaneſcunt. Hinc Magi Pharaonis poſt aliqua opera, quæ prodigioſa videbantur, deprehenſi ſunt deficere; atque hoc publicè confeſſi ſunt Exodi 8. v. 19. Similiter falſitas miraculorum Simonis ſtatim manifeſta fuit, cùm ad Petri orationem decidit mortuus. 2. Attendendi ſunt effectus quibus miraculorum veritas declaratur, quales maximè ſolent eſſe actiones vitæ, ut manducare, loqui in Lazaro reſuſcitato, videre in cæco à nativitate, & ita de aliis. 3. Circumſtantiæ quibus fiunt illa miracula: ſi v. g. per orationem ad Deum; ſi finis talium operum non ſit aliquid temporale & pravum; ſi adjunctum habeant aliquod opus Dei proprium, ut ſecretarum cogitationum manifeſtationem.

II. Pſeudoapoſtolorum & antichriſti falſa & mendacia erunt, non vera miracula, juxta Apoſtolum 2. ad Theſſalonicenſes 2. v. 8. & 9. ubi de antichriſto ſic loquitur. *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui; & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum; cujus eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus; & in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt.* Mendacia porrò, id eſt non vera neque ſolida, ſed falſa & ad ſummum apparentia appellat Apoſtolus hujuſmodi miracula; vel quia fallaciter dumtaxat & illuſoriè, non autem verè fient; vel quia abſolutè & ſimpliciter non ſunt miracula, utpote quæ omnem naturæ creatæ facultatem non ſuperant; qualia ſunt ventos & tempeſtates excitare; ignem cœlo deducere; quoſdam languidos ſubitò ſanare: vel quia ad mendacium, id eſt errorem, homines inducunt.

Licèt autem poſterioris hujus generis miracula ope dæmonis ita præſtari queant, ut vera ſint quoad ſubſtantiam & in genere rerum, attamen nunquam poſſunt eſſe vera in genere ſignorum ſeu miraculorum: unde meritò ſimpliciter dicuntur ab Apoſtolo mendacia; quia ſive verè fiant, ſive fallaciter, falſa tamen erunt & mendacia in genere miraculorum. Conſtat enim propriè dicta miracula nonniſi à Deo fieri poſſe; quia ſcilicet ad hoc ſunt inſtituta, ut per ea virtus & ſanctitas doctrinæ confirmetur, ac veluti ſigillis quibuſdam cœleſtibus obſignetur. At miracula Sanctorum vera ſemper fuerunt, ſaltem quoad modum, & eorum pleraque etiam quoad ſubſtantiam, ut illuminationes cæcorum, curationes ſurdorum, ſuſcitatio mortuorum, quæ ſola Dei virtute fieri poſſunt.

III. Neque etiam vera ſunt quæ ab Ethnicis edita referuntur miracula: non Veſpaſiani; quia nec verè fuit cæcus, nec verè claudus, qui ab eo ſanati ſunt, Id obſervat Cornelius Tacitus Lib. 4. Hiſtoriarum n. 81. ubi refert medicos aſſeruiſſe rem non eſſe ope humana ſuperiorem, priuſquàm quidquam tentaretur à Veſpaſiano. *Medici*, inquit, *varia diſſerere, huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellantur obſtantia; illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari.*

Addi poteſt cum Tertulliano, Apologetici cap. 22. non rarò in ſimili occaſione contingere, ut dæmones maleficum neſcio quid hominibus inferant, quod

quod dum ſuſtulerint, beneficium conferre exiſtimentur à neſcientibus; & prodeſſe, cùm obeſſe deſinunt. Idem dicendum de miraculo quod refert Valerius Maximus de Virgine Veſtali Lib. 8. de Judiciis publicis n. 5.

IV. Si apud Hæreticos nonnulla facta ſunt miracula, non in hæreſeos, ſed in fidei confirmationem facta ſunt: ſicut illud de alveo baptiſmatis divinitùs exhauſto, quod ſanè à Deo editum eſt, ut baptiſmatis Chriſtiani, quod apud Novatianos alioſque Hæreticos, ut & apud Catholicos valebat, ſanctitatem & caracterem, quo ejus prohiberetur iteratio, confirmaret. Deinde verò certum eſt tentata ſæpius fuiſſe ab Hæreticis miracula, eoſque ſemper ſua ſpe fruſtratos: ut conſtat ex hiſtoria Prophetarum Baal quæ refertur Lib. 3. Regum cap. 18. Simonis magi, de quo loquitur Egeſippus Lib. 3. de excidio Jeroſolymitano cap. 2. Manichæi, ut refert S. Epiphanius hæreſi 66. Donatiſtarum, ut ſcribit Optatus Lib. 2. contra Parmenianum. Polichroni Monachi monothelitæ, de quo Actione 15. ſextæ Synodi generalis. Lutheri, ut refert Coclhæus in actis Lutheri ad an. Chriſti 1523. & Calvini, ut refert Bolſerus in vita ejus cap. 13. Vide Bellarminum Lib. 4. de Eccleſia cap. 14.

V. De improbis verò dico, vel miracula fieri ſine ullo reſpectu ad aliquam veritatem per illa confirmandam, ſed tantùm propter aliquorum utilitatem, v. g. ad ſanitatem conferendam; vel in confirmationem alicujus doctrinæ. Priori modo poteſt etiam Deus operari miracula quorumlibet miniſterio, quamvis id rariùs contingat: ſicut olim facta ſunt miniſterio cujuſdam Judæi dæmonia ejicientis, de quo S. Lucas cap. 9. v. 49. Poſteriori autem modo fieri non poſſunt niſi in confirmationem ſanctæ doctrinæ; alioqui Deus falſus eſſet teſtis, & cooperaretur mendacio. Si autem fiant in teſtimonium veræ fidei, nihil intereſt ad eorum veritatem, utrum fiant per bonos, vel per malos; ſicut nihil intereſt ad veritatem Sacramenti, quòd conficiatur à bono vel malo Miniſtro.

Ad ſecundam partem Objectionis quæ duobus S. Auguſtini teſtimoniis nititur.

Reſp. ad primum: Vera non fuiſſe illa Donatiſtarum miracula, de quibus per contemptum loquitur ſanctus Doctor; ſed occultas fortè quaſdam viſiones ſeu revelationes quas illi ſine teſte & probatione fingebant à ſe habitas. Unde loco citato, ſcilicet Tractatu 13. in Joan. n. 17. *Nemo ergo*, inquit, *vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit, & reſpondit ei Deus de cælo.* Nam, inquit, *aut falluntur, aut fallunt.* To. 3. p. 2. pag. 398. F. G.

Deinde vult tantùm eò loci oſtendere, neque etiam credendum miraculis, etiamſi fierent ab iis qui ſunt extra unitatem Eccleſiæ, unde ibidem concludit: ***Teneamus ergo unitatem, fratres mei, præter unitatem & qui facit miracula nihil eſt. In unitate enim erat populus Iſrael, & non faciebat miracula: præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moyſi.*** Ibid. p. 399. A.

Quòd autem ſanctus Doctor vera miracula non contempſerit, patet vel ex ſolo Lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. ubi adversùs paganos plurima opponit miracula facta ad Reliquias Sanctorum, & præcipuè S. Stephani. Et cap. 9. probat univerſa miracula quæ per Martyres Chriſti nomine fiunt, ei fidei teſtimonium ferre, qua in Chriſtum Martyres crediderunt. To. 7. p. 663. & ſeq. Ibid. p. 673.

Ad ſecundum: Vult tantùm S. Auguſtinus eò loci miracula non eſſe Scripturis.

ris ſacris præponenda. Opponebant ſcilicet Donatiſtæ & Præſulum ſuorum ſanctitatem, & Concilia, & miracula apud ſuos patrata. Prolixior fuiſſet diſputatio, ſi S. Auguſtinus ſanctitatem Catholicorum cum Hæreticorum hypocriſi, ſi Catholicorum Synodos cum Hæreticorum conciliabulis, ſi illorum miracula cum horum præſtigiis aut prodigiis conferre voluiſſet: quamquam alibi ſæpius, cùm per otium illi licuit, effuſam hanc pugnæ aciem ingreſſus eſt; atque immeritò Donatiſtas iis gloriari oſtendit. Ut ergo hocce in loco breviùs diſputationem expediat ſanctus Doctor, provocat ad Scripturas ſacras, ex quibus longè apertiùs poterat definiri.

Alia igitur ratione diſputat S. Auguſtinus adversùs Donatiſtas, alia adversùs Manichæos. Quia Donatiſtæ utriuſque Teſtamenti Scripturas admittebant, ſuaſque paſſim jactabant viſiones, & vera Eccleſię miracula contemnebant, idcirco ſanctus Doctor adversùs ipſos probat ex Scripturis. 1. Eccleſiam; deinde verò per Eccleſiam judicium ferendum eſſe de miraculis; ſeu ea admittenda, quæ vera eſſe ſuo Judicio publico comprobat. Ubi verò agit contra Manichæos qui negabant Scripturas; ac veterem à diabolo ortam eſſe, novam autem ubique corruptam & interpolatam dicebant, demonſtrat in Libro contra Epiſtolam fundamenti, I. ex miraculis veram Eccleſiam; deinde ex Eccleſia demonſtrat Scripturas.

Neque urget argumentum ſuperiùs adductum, nempe abſurdum eſſe demonſtrare ex miraculis Eccleſiam, & miracula viciſſim ex Eccleſia. Namque rectè & legitimè utrumque fieri poteſt in diverſo ſcilicet genere demonſtrationis: quemadmodum ex effectu demonſtratur cauſa, & viciſſim effectus ex cauſa. Etenim ex miraculis demonſtratur Eccleſia, non quidem quoad evidentiam vel certitudinem rei, ſed quoad evidentiam & certitudinem credibilitatis: cujus quidem rei ratio eſt, quòd ante Judicium & approbationem Eccleſiæ, nulla ſit nobis evidentia aut certitudo fidei alicujus miraculi, quod nempe verum ſit miraculum, licèt tale ſit ut nobis rem efficiat evidenter credibilem.

Dici etiam poſſet, inter prima miracula quæ Chriſtus & Apoſtoli patrarunt ad confirmandam doctrinæ, quam annuntiabant, veritatem, & alia ſubſequentia, id eſſe diſcriminis, quòd initio doctrina ex miraculis, quæ nemo negare poterat, dignoſcenda foret: at ſubinde ſemel confirmata & perſpecta doctrinæ veritate, ex ipſa miraculi, quòd in ejus gratiam fieri dicitur, veritas æſtimanda eſt ac diſcerneda; ita ut primùm expendatur doctrina, ut ex ea certò conſtare poſſit an miraculum quod in ejus confirmationem adducitur, verum ſit aut falſum; ſi autem ea vera eſſe deprehendatur, ex miraculo tanquam à poſteriori rurſus illa demonſtrabitur. S. Auguſtinus Lib. 22. de Civitate Dei cap. 5. in hunc ferè modum contra Paganos pro Religione noſtra ex miraculis argumentatur: Aut Chriſtiana Religio divinis miraculis orbi probata eſt, aut nullis miraculis eſt confirmata. Si aliquibus miraculis probata eſt, ergo divina eſt, & digna quæ recipiatur: ſin autem nullis, multò etiam magis eſt fide digna. Quod enim majus miraculum ad illius veritatem & auctoritatem perſuadendam proferri poteſt, quàm ſi nullis teſtata miraculis, eam tamen vim per ſe habuerit ut ab univerſo orbe ſit ſuſcepta? Numquid hoc ipſum maximum ac ſtupendum eſt miraculum? Unde meritò dicebat idem S. Aug. cap. 8. ejuſdem Libri, *Quiſquis*

Digitized by Google

Quiſquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. To.7.p. 665.A.

Ad tertiam partem Objectionis in qua dicitur miracula Catholicorum, vel ficta eſſe, vel dæmonum præſtigias,

Reſpondeo utrumque falſiſſimum eſſe.

Falſum eſt I. ficta eſſe illa miracula. 1. Quia ſicut reſpondet S. Auguſtinus Paganis negantibus hiſtorias miraculorum noſtrorum Lib. 10. de Civitate Dei c. 18. ſi licèt pro libito & abſque ratione negare facta olim miracula, peribit fides omnium Librorum, Hiſtoriarum atque Scriptorum; & noſtra non ſolùm labefactabitur, ſed etiam quæcunque alia Religio. 2. Nemo ſanæ mentis aſſerat fidem potius adhibendam Calvino, Magdeburgenſibus, Jurio & aliis hujuſmodi hominibus, circa ea quæ pertinent ad veteres hiſtorias, quàm tot ſanctis Viris & Scriptoribus egregiis, Cypriano, Athanaſio, Hieronymo, Auguſtino, Gregorio Magno, Bernardo, qui ut plurimùm referunt res à ſe viſas, aut ſaltem ſuis temporibus cognitas.

Falſum eſt II. præſtigias eſſe dæmonum. 1. Idem olim Chriſto objiciebant Judæi. Idem Gentiles Apoſtolis, & Martyribus, quos velut magicæ artis reos traducebant. Idem Vigilantius, Ariani, Eunomiani & alii vulgò veteres Hæretici de miraculis Sanctorum effutiebant; quorum antiquam calumniam renovant noſtri Reformatores. 2. Gratis omninò ac ſine ullo fundamento id aſſerunt Novatores; ac eos omnem frontem poſuiſſe oportet, ut viros tantæ ſanctitatis ac pietatis, mendacii, fraudis, ac doli accuſent.

Quod addit Jurius de multitudine ac ſtoliditate eorum miraculorum quæ ſanctis benè multis tribuuntur, nihil probat. Namque non ea omnia quæ circumferuntur, admittimus; ſed ea ſolùm quæ agnoſcit & approbat Eccleſia poſt ſerium ac diligens examen: unde monet Synodus Trid. Seſſ. 25. nova miracula ſine graviſſimo conſilio ac diligenti examine ab Epiſcopis non eſſe admittenda. Sicut autem non omnia ſunt leviter admittenda, ita nec omnia temerè rejicienda.

Quod autem ex S. Chryſoſtomo refertur, apochryphum eſt: omnium enim eruditorum judicio, ipſius non eſt Opus illud unde petitur objectio.

Ad quartam partem Objectionis, ſupponunt Novatores, ſe veram & puram Chriſti doctrinam profiteri; at id negamus, & invictis demonſtramus, ubi opus eſt, argumentis. 2. Quod addunt de ſancto Joanne, non urget: etſi enim miracula non fecerit, ipſe miraculum fuit auctoritatis divinæ pondus habens, quam ipſi conciliaverat miraculoſa nativitas ex matre ſterili & annoſa, vita ſolitaria, victus auſteritas, converſationis innocentia, prædicationis libertas & efficacia, ipſum Joannis nomen ante circumciſionem divinitùs impoſitum, ab Angelo prænuntiatum & notatione ſua gratiam deſignans; ut nihil interim dicatur de tot aliis quæ nativitatem ejus anteceſſerunt & circumſtant prodigiis. Denique Joannes Sacerdotis filius erat, adeoque Sacerdos ipſe & Miniſter ordinarius veteris Synagogæ: quamvis autem Principes Sacerdotum & Phariſæi eum odiſſent, quia Chriſtum annuntiabat; attamen interrogati à Chriſto Matth. 21. v. 25. quid ſentirent de Baptiſmo Joannis, non auſi ſunt eum improbare. Conſtat etiam ex Joſepho Lib. 8. Antiquitatum cap. 10. Joannem à Judæis habitum fuiſſe, propter juſtitiam & ſanctitatem, inter præcipuos & ſanctiores viros: quamobrem audiendi non ſunt

Magde-

Digitized by Google

Magdeburgenſes dum ajunt Centuria 1. Lib. 1. cap. 10. Joannem habitum fuiſſe à Sacerdotibus & Phariſæis pro hæretico.

Objicies 4. aliquas rationes quibus probari videtur ſanctitatem non eſſe Eccleſiæ notam. 1. Morum corruptela non eſt certum falſæ doctrinæ argumentum; ergo nec ſanctitas morum poteſt eſſe nota veræ doctrinæ, nec conſequenter Eccleſiæ. 2. Propter ſanctitatem aliquorum Eccleſia non debet ſancta denominari: cùm enim accidens aliquod convenire poteſt toti & parti, ſi ſoli parti conveniat, non prædicatur de toto, ut patet in Phyſicis & Logicis: at ſanctitas convenire poteſt toti Eccleſiæ, nec tamen convenit niſi aliquibus fidelibus. 3. Si propter ſanctitatem aliquorum dici poteſt ſancta, ſimiliter dici poterit prædeſtinata vel damnata, quia ſunt in ea nonnulli prædeſtinati & alii reprobi.

Reſp. ad ſingulas rationes.

Ad primam: Eſſet quidem illuſtrius argumentum à ſanctimonia vitæ ad veritatem doctrinæ & Eccleſiæ, ſi omnes ea morum innocentia viverent, quæ Chriſtianorum vocationi maximè convenit: at Chriſtus, qui docuit in Eccleſia ſua futuros eſſe bonos & malos, ſtatuit ſignum veræ Eccleſiæ & doctrinæ in ſanctitate bonorum. Sicut igitur ſigna vitę in aliquibus membris corporis humani apparentia, arguunt vitam totius coporis; atque ſigna mortis in aliis membris, non inferunt totius corporis mortem; ita ſanctitas vera quæ in aliquibus Eccleſiæ membris occurrit, oſtendit originem veræ ſanctitatis in Eccleſia reperiri.

Ad ſecundam: Poteſt dici ſancta propter magis præcipuas & nobiliores ejus partes quæ ſanctæ ſunt. Sic dicitur exercitus aut cohors fortis, licèt in iis multi ſint ignavi; quia aliquos habent viros fortes & ſtrenuos, Sic dicitur opulenta aliqua Civitas, etſi multos habeat etiam in majori numero viros inopes. Similiter & Eccleſia.

Ad tertiam: Poteſt dici prædeſtinata, tùm ob ſingularem ejus à Deo factam prædeſtinationem; tùm ob præcipuas ejus partes ſingulari Dei beneficio electas: non autem damnata, quia denominatio ſemper deſumitur à nobiliori parte, non à majori; ut patet in exemplis adductis de civitate & cohorte.

SECUNDA CONCLUSIO.

Societas Proteſtantium non eſt ſancta ea ſanctitate quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt ac ſingularis.

Probatur 1. Illa Societas non eſt ſancta ea ſanctitate quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt & ſingularis, cujus doctrina non eſt ſancta, cujus Moralis principia non ducunt ad ſanctitatem, cujus auctores non ſunt ſancti: atqui talis eſt Societas Proteſtantium.

Primò, doctrinam Proteſtantium non eſſe ſanctam patet 1. quia renovat antiquos veterum Hæreticorum errores jam pridem ab Eccleſia proſcriptos.

Simoniani Apoſtolorum temporibus docebant inutilia eſſe bona opera ad ſalutem: ita de iis teſtatur ſanctus Irenæus adversùs hæreſes Lib. 1. cap. 23. aliàs 20. Et Theodoretus Lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 1. In eadem

quoque

quoque hæreſi fuiſſe Valentinianos, auctor eſt idem ſanctus Irenæus: fuiſſe & Eunomianos, docet S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 54.

At eadem hæc eſt doctrina noſtrorum Reformatorum, tùm Lutheranorum, tùm Calviniſtarum. Illorum quidem, ut patet ex Synodo Vormatienſi, in qua poſtulantibus Principum Germaniæ Legatis, antequam ulla haberetur cum Catholicis diſputatio, ut primùm quatuor articuli damnarentur, in quibus tertium locum obtinebat Propoſitio quæ aſſerit bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, omnes unanimi conſenſu hujus ſententiæ damnationi ſubſcripſere. Horum verò, ut patet ex eorum Confeſſione Gallica articulo 20. & Helvetica art. 16. ubi diſertè profitentur ſe credere juſtitiæ participes ſola fide ſine bonis operibus. Habita eſt an. 1557. tépore Caroli V.

Pelagiani inter multos errores hæc duo aſſerebant: primum, nullum eſſe in hominibus peccatum originale, maximè verò in filiis fidelium. Ita refert S. Auguſtinus Lib. 6. contra Julianum cap. 2. & 3. Et Lib. 4. ad Bonifacium cap. 2. & 4. Et juxta illud principium dicebant, infantibus abſque Baptiſmo decedentibus vitam æternam à Deo concedi. Id expreſsè tradit S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 88. & Lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. Damnatus fuit error ille in Conc. Milevitano apud S. Auguſtinum Epiſtola 176. aliàs 92. & in Conc. Carthaginenſi, cujus Canones confirmati ſunt ab Innocentio I. & in Collectione Canonum Africæ inſerti. Alterum, per quodlibet peccatum quantumvis leviſſimum amitti juſtitiam; ac proinde omne peccatum eſſe mortale. Ita refert ſanctus Hieronymus Lib. 2. contra Pelagianos.

At eadem eſt doctrina noſtrorum Reformatorum, Ac 1. docent fidem ita eſſe efficacem, ut filii fidelium abſque Baptiſmo morientes ſalutem æternam obtineant. Ita expreſsè docent Zuinglius Lib. de Baptiſmo, Martinus Bucerus ſcribens in caput. 3. S. Matth. & Calvinus Lib. 4. Inſtitutionis cap. 15. n. 20. Id ipſum docent in ſuo Catechiſmo, Dominica 50. & in forma Baptiſmi n. 11. Alterum etiam tradunt Reformatores noſtri, cùm negant ullum eſſe diſcrimen peccati venialis à mortali; & ajunt peccatum omne natura ſua eſſe mortale. Ita Calvinus Lib. 2. Inſtit. cap. 8. n. 58.

Novatiani docebant non eſſe in Eccleſia poteſtatem homines Deo reconciliandi, niſi per Baptiſmum; neque debere rebaptiſatos Chriſmate inungi ab Epiſcopo. Ita refert Theodoretus Lib. 3. hæretic. fabul. cap. 5. Et Cornelius Summus Pontifex apud Euſebium Lib. 6. Hiſt. cap. 43. ſicque illi geminantes errorem duo tollebant Sacramenta, Pœnitentiæ ſcilicet & Confirmationis.

At hæc ipſa eſt doctrina noſtrorum Reformatorum, ut patet ex Calvino Lib. 4. Inſtit. cap. 19. n. 17. ubi ait nullum eſſe Pœnitentiæ Sacramentum præter Baptiſmum. Et n. 5. uſque adeò abhorret à Sacramento Confirmationis, ut Chriſma noſtrum dicat eſſe oleum diaboli mendaciis pollutum. Eadem docent Lutherani, ut patet ex Confeſſione Auguſtana art. 12.

Donatiſtæ docebant Eccleſiam Chriſti ex ſolis Sanctis conſtare, unde inferebant Eccleſiam viſibilem periiſſe, atque in ſolis Africæ Regionibus eſſe ſuperſtitem. Ita refert ſanctus Auguſtinus Lib. de unitate Eccleſiæ c. 12. Notum eſt etiam quàm crudeliter & impiè ſævirent in Catholicos Donatiſtæ. Legendus S. Auguſtinus Lib. 2. contra Petilianum cap. 51. & 61. Lib. 3.

cap.40. Epiſtola 44. aliàs 163. Et Optatus Lib. 2. & 6. contra Parmenianum.

At eadem eſt tùm doctrina, tùm agendi ratio Reformatorum. Ita Calvinus pluribus in locis; & recentiores Calviniani, tùm in Catechiſmo, tùm in ſuis Confeſſionibus. Quòd etiam nihil minus egerint adversùs Catholicos & eorum Eccleſias quàm Donatiſtæ, patet ex omnibus Hiſtoriis, ubi cædes, ſtrages, & ſacrilegia fusè narrantur.

Aeriani tria potiſſimùm docebant, teſte S.Epiphanio hæreſi 75. & S. Aug. hæreſi 53. 1. Nec orandum, nec pro mortuis oblationes offerendas. 2. Nec ſtatuta jejunia eſſe celebranda, ne fortè ſub Lege eſſe videamur. 3. Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni.

At eadem eſt doctrina noſtrorum Reformatorum. Ita Calvinus Lib.3. Inſtitutionis cap.5.n.6.& 7. ubi ex profeſſo impugnat orationem pro defunctis. Et Lib.4. cap.12. n. 20. impugnat jejunium quadrageſimale, quod ſuperſtitioſum vocat. Denique Lib.4.cap.3. n.8. oſtendit eandem eſſe Epiſcoporum & Presbyterorum functionem & provinciam. Ipſi Magdeburgenſes in Hiſtoria ſua, Centuria 4. cap.5. cùm in aliorum Hæreticorum erroribus enumerandis omittere ſoleant eos, quos etiam ſuos eſſe agnoſcebant, cùm ad Aerium venerunt, treſque illos prædictos à SS. Auguſtino & Epiphanio obſervatos eſſe animadverterint, ab iis referendis abſtinere nón auſi ſunt: verùm ubi eos recenſuerunt, ſtatim addiderunt; Si nihil aliud ſit, eos non videri errores, ſed contrariam potius doctrinam erroneam eſſe. Fatentur ergo has tres ſententias ſibi cum Aerio communes eſſe: at meminiſſe deberent eas à veteri Eccleſia velut hæreſes fuiſſe proſcriptas.

Patet 2. doctrinam Proteſtantium non eſſe ſanctam, quia adverſatur ſanctæ morum diſciplinæ quæ vigebat etiam puriſſimis & ſanctiſſimis Eccleſiæ temporibus. Duo tantùm referemus: alterum de invocatione Sanctorum; alterum de cœlibatu Miniſtrorum Eccleſiæ.

Non diffitentur noſtri Reformatores, invocationem Sanctorum in uſu fuiſſe apud SS. Baſilium, Gregorium Nazianzenum & Nyſſenum, Ephrem, Theodoretum, Chryſoſtomum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Patres ſexcentos Conc. Chalcedonenſis, S. Ambroſium, Hieronymum. Non diffitentur etiam, Cælibatum ſaltem quarto ſæculo ab Eccleſia frequentiſſimè ſuis Canonibus ſancitum: In Conc. Chalcedonenſi excommunicantur Diaconiſſæ, Virgines & Monachi, qui matrimonia contrahunt poſt ſuam Deo factam conſecrationem. Norunt omnes quàm ſæpè ejuſmodi matrimonia velut adulteria damnaverit Eccleſia; & tamen contradicunt noſtri Reformatores; tam ſanctas leges ſpernunt & irrident; ex officina ſatanæ prodiiſſe talia figmenta paſſim inverecundè effutiunt: unde neceſſe eſt alterutrum ſequi; nempè, aut graviſſimis erroribus implicatos fuiſſe primorum ſæculorum Doctores, eoſque immeritò ut viros ſanctos & religioſos à Catholicis habitos fuiſſe, qui potius fuiſſent Dei inimici, idololatriæ, impudicitiæ & aliorum criminum rei: cùm doceant Proteſtantes, atque inter alios Claudius in defenſione Reformationis, nunquam potuiſſe à quoquam doceri *Sanctorum invocationem, ſine diſpendio veræ fidei & pietatis; & legem Cœlibatus* p.335. *iniquam eſſe & verbo Dei contrariam*. Aut ſaltem doctrinam Reformatorum

diſci-

diſciplinæ tam ſanctis legibus conſtitutæ & approbatæ refragari, adeoque erroris & temeritatis non eſſe immunem.

Secunda pars, nempè principia doctrinæ moralis Proteſtantium ad ſanctitatem non ducere.

Probatur 1. Quia viam omnibus vitiis aperiunt, virtutibus autem præcludunt. In ſententia quippè Proteſtantium, ſola incredulitas poteſt damnare: quibuſcunque tandem aliquis ſerviat cupiditatibus; adulterii, homicidii, aut cujuſvis alterius criminis ſit reus, modò credat ſe electum eſſe à Deo, gratiam nunquam amittere poteſt; quia etſi timorem Dei amittat, fidem tamen juſtificantem non amittet. Ita paſſim docent Lutherus Lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptiſmo. Calvinus Lib. 3. Inſtitutionis cap. 13. Beza in Confeſſione cap. 4. articulo 20.

2. Juxta principia Proteſtantium, nullæ Leges humanæ, ſeu principum ſpiritualium ſeu temporalium, conſcientiam fidelium alligant. Ita Lutherus Lib. de Captivitate Babylonica. Calvinus Lib. 3. Inſtit. cap. 19. nu. 14. *Omnium hominum poteſtate*, inquit, *exemptas eſſe conſcientias conſtituimus*. P. 305. Danæus in Antibellarmino Lib. de Baptiſmo, VittaKerus in Lib. adverſùs Campianum. Hujus autem doctrinæ moralis principia ſemper deteſtata eſt Catholica Eccleſia. Quid enim tranquillitatem publicam certiùs turbare & evertere poteſt, quàm doctrina quæ contemnit leges Eccleſiæ, Principum, Magiſtratuum, & harum obſervatione conſcientiam fidelium non alligari docet?

Tertia pars, nempè auctores prætenſæ Reformatæ Religionis, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam &c. ſanctos non fuiſſe, facilè hìc probari poſſet deductis in apertam lucem eorum vitiis & exceſſibus: ſed charitate potius quàm exprobratione invitandi ſunt fratres noſtri, ut ad communis matris Eccleſiæ ſinum unde receſſerunt, ſeſe recipiant.

ARTICULUS QUARTUS.

De Catholicitate Eccleſiæ.

QUid ſit eſſe Catholicum exponit Vincentius Lyrinenſis in ſuo adverſùs prophanas Hæreticorum novitates Commonitorio cap. 3. his verbis. *In ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè proprièque Catholicum; quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem univerſitatem hoc modo: Si hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque, ſi in ipſa vetuſtate, omnium, vel certè penè omnium, Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.* Bibl. PP. T. 7. pag. 250.

Et ante ipſum Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 18. *Catholica vocatur Eccleſia*, inquit, *quia per univerſum ſit orbem terrarum diffuſa, à finibus terræ uſque ad extrema; & quia docet Catholicè, hoc eſt, univerſaliter, & ſine ullo defectu vel differentia omnia dogmata.* Pagina 226. D.

Idem & docuerat S. Auguſtinus Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 38. & Epiſtola 52. aliàs 170. ad Severinum, ubi ait *Catholicam appellari Eccleſiam, quòd per totum orbem terrarum diffunditur*. Idem ait Optatus Lib. 2. contra Parmenianum.

To. 2. p. 119. B.

Ex quibus patet per Catholicitatem Eccleſiæ nihil aliud intelligi, quàm ejuſdem univerſitatem; hoc eſt, ejus diffuſionem per omnia loca, per omnia tempora, per omnia hominum genera, ſive gentes, populos, ac nationes.

Catholica igitur eſt ac dicitur Eccleſia: 1. ab univerſitate loci. 2. ab univerſitate doctrinæ. 3. ab univerſitate temporis. 4. ab univerſitate hominum ad eam confluentium. Hac in idea Catholicitatis hìc ſiſtemus: neque conſenſionem ejus doctrinæ examinabimus, cùm ad unitatem ejus propriè pertineat. Nihil dicemus etiam de ejus antiquitate, cùm in quarta nota, quæ eſt Apoſtolicitas, includatur.

Voſſius in Lib. de tribus Symbolis, exiſtimat vocem, *Catholica*, ſeriùs fuiſſe Symbolo appoſitam, nempè tertio Eccleſiæ ſæculo, contra Novatianos qui pacem Eccleſiæ tunc turbabant. Verùm Catholicæ nomen Eccleſiæ Chriſti adhæſit etiam iis temporibus quæ Apoſtolis viciniora erant. Nam in Epiſtola fratrum Smyrnæorum de martyrio B. Polycarpi apud Euſebium Lib. 4. cap. 15. in ipſa ſalutatione mentio fit *Eccleſiæ Catholicæ*. In eadem etiam Epiſtola narrant Smyrnæi Polycarpum jam moriturum in precibus ſuis meminiſſe totius per univerſum terrarum orbem diffuſæ *Eccleſiæ Catholicæ*. Imò ante Polycarpum S. Ignatius idem cognomentum Eccleſiæ Dei diſertè tribuit in Epiſtola ad Smyrnæos: *Ubi fuerit*, inquit, *Jeſus Chriſtus, ibi eſt Catholica Eccleſia.*

Pagina 125. A. Pagina 131. A. Ed. Cotel. pa. 874. E.

Rectè igitur Valeſius in Notis in Librum ſeptimum Hiſtoriæ Euſebii cap. 10. ait, *videri hoc cognomen Eccleſiæ inditum eſſe circa primam Apoſtolorum ſucceſſionem, cùm hæreſes multis in locis exortæ, veram Chriſti fidem & Apoſtolorum Traditionem ſubvertere conarentur. Tunc enim ut vera & germana Chriſti Eccleſia ab adulterinis hæreticorum Cœtibus diſtingueretur, Catholicæ cognomen ſoli Orthodoxorum Eccleſiæ attributum eſt.*

Pagina 146. col. 2. C. D.

His poſitis, tria hìc ſunt demonſtranda.

I. Eccleſiam Chriſti verè Catholicam eſſe.

II. Catholicitatem eſſe propriam & ſingularem Eccleſiæ notam.

III. Eccleſiam Romanam verè eſſe Catholicam, non verò ſocietatem Proteſtantium.

PRIMA CONCLUSIO.

Eccleſia Chriſti verè Catholica eſt.

Iſtud ex profeſſo demonſtrat S. Auguſtinus adversùs Donatiſtas Lib. de unitate Eccleſiæ à cap. 6. uſque ad 17. quinque potiſſimum argumentis: ſcilicet ex Lege, ex Prophetis, ex Pſalmis, ex Evangelio, ex Actis Apoſtolicis.

To. 9. p. 344. & ſeq.

I. Ex Lege in qua promiſſiones factæ ſunt Abrahæ: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Gen. 22. v. 18. Et Iſaac, Gen. 26. v. 4. Et Jacob, Gen. 28. v. 14. Hoc autem ſemine Chriſtum intelligi docet Apoſtolus Galat. 3. v. 16. Quibus omnibus Legis teſtimoniis allatis, ſic concludit S. Auguſtinus in fine capitis 6. *Date mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt: oſtendite*

Ibid. p. 346.

vos

vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc ſemine benedici. Date hanc, aut furore depoſito accipite, non à me, ſed ab illo ipſo, in quo benedicuntur omnes gentes.

II. Probat cap.7. ex Prophetis. *Quid in Prophetis*, inquit, *quàm multa & quàm manifeſta ſunt teſtimonia Eccleſiæ per omnes gentes toto terrarum orbe diffuſæ? Unde pauca commemorabo.* Et poſteà refert quod dicit Iſaias cap.11. v.10. *Et erit in illa die radix Jeſſe, & qui exſurget principium habere in nationes, in eum gentes ſperabunt.* Et cap.27. v.6. *Germinabit & floreſcet Iſrael, & replebitur orbis terrarum fructu ejus.* Et cap.49. v.5. *Poſui te in teſtamentum generis in lucem gentium, ut ſis ſalus uſque ad fines terræ &c.* Quas quidem & alias ſimiles Iſaiæ prædictiones, in ipſa Eccleſia Chriſti, quæ totum in orbem diffuſa eſt, adimpletas eſſe oſtendit. *Ibidem.* *Ibid. F.* *Ibid. p. 347. D.*

III. Probat cap.8. ex Pſalmis, atque ex illis profert Pſal. 2. v.7. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* Et Pſal.21. v. 28. *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ; & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ patriæ gentium.* Et Pſal. 71. v.8. *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terræ.* Quæ quidem Pſalmiſtæ teſtimonia de Chriſti Eccleſia intelligenda eſſe probat ſanctus Doctor. Cùm verò Donatiſtæ his teſtimoniis reponerent, cœpiſſe quidem Eccleſiam creſcere per orbem terrarum; ſed cùm noluerint homines perſeverare, idcircò ex omnibus gentibus defeciſſe Chriſtianam Religionem, excepta parte Donati, ſic reſpondet S. Auguſtinus cap.9. *Quaſi verò neſcierit Spiritus Dei futuras hominum voluntates. Quis hoc inſaniſſimus dixerit? Cur ergo dictum Lucæ 24. v. 44. quòd oportebat adimpleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege & Prophetis, & Pſalmis?* *Ibid. p. 350. & 351.* *Ibid. p. 352. B.*

IV. Probat ex Evangelio & verbis ipſius Domini, Lucæ 24. v. 46. *Quoniam ſcriptum eſt*, (ait Chriſtus) *& ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jeruſalem.* Unde ſic concludit cap.10. *Teneamus ergo Eccleſiam ex ore Domini deſignatam, unde cæptura, & quò uſque perventura eſſet; cæptura ſcilicet ab Jeruſalem, & perventura in omnes gentes.* *Ibid. G* *Ibid. p. 353. G.*

V. Probat ex Actibus Apoſtolicis cap. 1. v. 8. ubi Chriſtum Apoſtolos ſuos ſic alloquentem refert S. Lucas. *Et eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria uſque in totam terram.* Tum ſubjungit ſanctus Doctor cap.11. *Quid ad hæc dicunt* (Donatiſtæ) *qui Chriſtianos ſe ſuperbiſſimè dicunt, & Chriſto apertiſſimè contradicunt? Nos hanc Eccleſiam tenemus, contra iſtas divinas voces nullas humanas criminationes admittimus.* Et poſteà percurrit quę de Eccleſiæ amplitudine obſervari poſſunt in Actis Apoſtolicis; ac tandem cap.19. concludit, *nullo interprete indigere* Canonicarum Scripturarum teſtimonia, quæ commendant Eccleſiam in totius orbis communione conſiſtere. Et poſteà iterum urgens Donatiſtas, *Aliquid ergo*, inquit, *proferte quod non contra vos veriùs interpretetur....... Tale aliquid proferte vel unum, quo apertiſſimè Africa declaretur, vel in reliquis ſola derelicta, vel ad principium renovandi & implendi orbis ſola ſervata.... Si autem non poteſtis quod tam juſtè à vobis flagitamus, oſtendere; credite veritati, conticeſcite, obdormiſcite.* *Ibid. p. 355. A.* *Ibid.* *Ibid. p. 374.* *Ibid. F. G.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Catholicitas vera eſt ac ſingularis Eccleſiæ nota.

Probatur. Quia ea nota propria eſt ac ſingularis Eccleſiæ, qua diſtinguitur à qualibet alia ſocietate, qua tanquam indubitato ſigno ſecernebantur olim fideles ab Hæreticis, & quam propriam eſſe Eccleſiæ notam paſſim aſſerunt SS. Doctores. Atqui talis eſt Catholicitas.

I. Per Catholicitatem Eccleſia diſtinguitur à qualibet alia ſocietate, & fideles olim ab Hæreticis ſecernebantur. Ita docent

Sanctus Auguſtinus Sermone 131. de tempore, nunc Sermone 242. in Append. Tomi 5. rejecto, ubi ait, idcircò appellari Eccleſiam Chriſti in
To.5.p. 398.C. Symbolo *Catholicam*, *quia toto orbe diffuſa eſt: diverſorum autem Hæreticorum Eccleſiæ ideò catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per ſuas quaſque Provincias continentur; hæc verò à Solis ortu uſque ad occaſum unius fidei ſplendore diffunditur.*

To.1.p. 752.D. E. Et Lib. de vera Religione cap. 7. n. 12. *Tenenda eſt nobis*, inquit, *Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio quæ Catholica eſt, & catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipſi quoque Hæretici & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quàm catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab univerſo orbe nuncupatur.*

S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos, *In illa*, inquit, *Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata uſque ad hunc diem durat. Sic ubi au-*
To.4.p. 2.p.306 *dieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Jeſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari; utpote Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſive Campitas; ſcito non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo quòd poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiavit. Nec ſibi blandiantur, ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt, cùm & diabolus de Scripturis aliqua ſit locutus, & Scripturæ non in legendo conſiſtant ſed in intelligendo.*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 18. *Quòd ſi fortè*, inquit, *vene-*
Pagina 122.B. *ris in civitates, non ſimpliciter interroga ubi ſit Dominicus, ſeu domus Domini: nam & reliquæ impiorum hæreſes Dominicos, quamvis pollutos, appellare non dubitant. Neque id tantùm quæras ſimpliciter, ubi ſit Eccleſia; ſed ubi Catholica Eccleſia. Hoc enim proprium nomen eſt ſanctæ hujus & matris omnium noſtrùm, quæ eſt ſponſa Domini noſtri Jeſu Chriſti unigeniti filii Dei.* Quaſi dicat, Si hoc petas, nullus Hæreticus ſuam Eccleſiam oſtendet.

Bibliot. S. Pacianus Epiſtola 1. ad Sympronianum Novatianum, quæ eſt de Ca-
PP. T. tholico nomine, obſervat ante ſubortas hæreſes Eccleſiam non vocatam
4.p.306 fuiſſe Catholicam, quippè quæ nomine Chriſtianæ Eccleſiæ ſatis à Synagoga Judæorum, à Scholis Philoſophorum, à variis Paganorum Religionibus diſtinguebatur: at poſtquam obortæ ſunt hæreſes, cùm multi ſeſe Chriſtianos vocarent, dicta fuit Catholica, ut fideles ab Hæreticis ſecernerentur.
Ibid. B. *Catholicum iſtud*, inquit, *nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum ſonat,*

Digitized by Google

nat, nec hæreticos ſumit auctores. Et poſtea : *Chriſtianus mihi nomen eſt, catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.* Ibid. C

S. Epiphanius hæreſi 68. n. 3. refert eos qui Meletio ſchiſmatis Alexandriæ orti auctori adhærebant, ut ſe ab iis qui Epiſcopum Alexandrinum ſequebantur diſtinguerent, ſuam Eccleſiam vocaſſe Eccleſiam Martyrum : alios verò, ſcilicet Petri ſucceſſores, penes quos veteres erant Eccleſiæ, retinuiſſe titulum & nomen Catholicæ Eccleſiæ. To.1.p. 719.

Ante ipſos S. Juſtinus Dial. cum Triphone. *Sunt*, inquit, *à nobis, ſub nomine eorum virorum, unde doctrina & ſententia qualibet extitit, denominati... Et ſunt eorum quidam qui vocantur Marcionitæ: quidam verò Valentiniani, Baſilidiani, Saturniani, & alii alio præditi nomine, à principe ſententiæ quiſque nomen obtinens.* Pagina 253.C. Ibid.D.

Idem aſſerebat S. Irenæus Lib. 1. cap. 23. aliàs 20. *Habent*, inquit, *& vocabulum, à principe impiiſſimæ ſententiæ Simone dicti Simoniani.* Pagina 100.n.4

Idem & S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ. *Eccleſia*, inquit, *Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit....ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latiùs expandit.* P.181.

II. Catholicitatem certiſſimam eſſe Eccleſiæ notam aſſerunt

S. Athanaſius cæterique Epiſcopi Ægypti, Thebaidis & Lybiæ in unum congregati, ad Imperatorem Jovinianum ſcribentes, ex hac Catholicitatis ſeu Univerſalitatis nota, veræ Eccleſiæ, veræ fidei poſſeſſionem ſe habere probant, teſte Theodoreto Lib. 4. cap. 3. To.3.p. 662.& ſeq.

S. Optatus Lib. 2. contra Parmenianum, propter innumerabiles populos & Provincias quibus cum communione jungebatur, apud ſe eſſe Eccleſiam concludit. Et poſteà : *Si apud vos tantummodo Eccleſiam eſſe vultis, apud nos non erit, nec in Hiſpania, in Italia, in Gallia, in Græcia, nec per tot innumerabiles Inſulas & cæteras Provincias, ubi vos non eſtis. Ubi ergo proprietas catholici nominis? cùm inde Eccleſia dicta ſit Catholica, quòd ſit ubique diffuſa.* Pa.26. Pa.32.

S. Aug. Lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. veræ Chriſti Eccleſiæ ita propriam eſſe hanc notam exiſtimavit, ut eam etiam recenſere non dubitet inter illa Chriſti nominis chariſſima vincula quæ rectè hominem tenent in Catholica Eccleſia. *Multa ſunt*, inquit, *alia quæ in ejus* (Catholicæ Eccleſiæ) *gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli....uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum : tenet poſtremò ipſum catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cùm omnes Heretici ſe catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.* To.8.p. 153.B.

Et Tract. 3. in Epiſt. Joan. vel ex ipſo Catholicitatis defectu probat Hæreticos ad veram Eccleſiam non pertinere. *Tenemus*, inquit, *hæreditatem Chriſti, illi eam non tenent: non enim communicant orbi terrarum, non communicant univerſitati redemptæ ſanguine Domini.* To.3.p. 2.p.846 F. G.

Tam perſuaſum erat apud omnes ac certum Catholicitatem eſſe propriam Eccleſiæ notam, ut Hæretici ex adverſo paucitatis caractere gloriarentur. De Donatiſtis id ſæpè teſtatur ſanctus Auguſtinus, adeò ut cùm Catholicitatis

argumentum adverſùs eos frequenter urgeret, nihil aliud eos reſpondiſſe To.9.p. 473.C. & 514. D. dicit, niſi iſtud: *In paucis frequenter eſt veritas; errare multorum eſt*. Id refert Lib.3. contra Creſconium cap.66.n.75. & Lib.4.cap.53.n.63. De Manichæis quoque idem habet Lib. contra Epiſt. fundamenti; & de Pelagianis Lib.2. contra Julianum circa finem. De Arianis idem narrat Socrates Lib.5. Hiſt. cap.10.

Donatiſtæ, ut vim argumentorum quibus premebantur, eliderent, effugia & diverticula, quod omnibus Hæreticis familiare eſt, quærebant.

I. Ajebant Eccleſiam Catholicam appellari non ex communione totius orbis, ſed ex obſervatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium To.2.p. 240.D. E. Sacramentorum. *Acutum aliquid tibi videris dicere*, dicebat Aug. alloquens Vincentium Rogatiſtam, Epiſt.93. aliàs 48. cap.7. n.23. *cùm Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris, ſed ex obſervatione præceptorum omnium divinorum, atque omnium Sacramentorum*. Eſto, reponebat Auguſtinus, aliquo ſenſu Catholica dici poſſit Eccleſia ex obſervatione omnium mandatorum, atque omnium Sacramentorum; at ita potiſſimum nuncupatur ab ejus per totum orbem diffuſione. Præterea verò Sacramenta ubique eadem & boni & mali percipiunt, quia mali hac in vita ſunt bonis permixti.

II. De ſua paucitate, quam Catholici ipſis exprobrabant, gloriabantur Donatiſtæ. *Ideò magis juſti ſumus*, dicebant illi, *quia pauci ſumus. In pau-* Ibid. p. 242.C. *cis*, inquiebat Creſconius apud Auguſtinum, *frequenter eſt veritas, errare* To.9.p. 514.D. *multorum eſt*. Quibus ſicut & Pelagianis feſtivè dicebat Auguſtinus Lib.2. Op. imperf. contra Jul. cap.3. T.10.p. 958.B. *Nolite de paucitate gloriari. Parricidæ, & pauci, & peſſimi ſunt. Non intelligentes* (Donatiſtæ) *quomodo à Domino dictum* S.Aug. Lib. 4. contra Creſc. cap.53. *ſit, paucos intrare per anguſtam portam: cùm & multos dixerit ab Oriente & Occidente recubituros cum Abraham, Iſaac & Jacob....qui profectò multi ſunt per ſe ipſos, & iidem ipſi pauci ſunt in comparatione longè plurium qui cum diabolo puniendi ſunt.*

To.9.p. 514.D. Lib.3. adverſùs eundem cap.66.n.75. idem verſans argumentum dixerat: Ibid. p. 473. E. *Ipſi boni verique Chriſtiani, qui per ſe ipſos multi ſunt, in comparatione malorum falſorumque itidem pauci ſunt. Sic multa grana quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.*

Denique Lib.4. cap.53. jam citato, argumentum illud à paucitate ductum, quo utebatur Creſconius, retorquet adverſùs ipſum à paritate Maximianenſium, Secta Donatiſtarũ. qui cùm numero pauciores forent Rogatiſtis, veram apud ſe Eccleſiam ſoli vendicare debebant. *Tibi*, ait ſanctus Doctor, *ad omnia nihil faciliùs quàm Maximianenſium cauſa reſpondet. Si enim in paucis frequenter eſt veritas, & errare multorum eſt, permitte ut Maximianenſes, quantò vo-* Ibid. p. 514. F. *bis ſunt impares paucitate, tantò vos ſuperent veritate. Non facis certè. Noli ergo in comparatione multitudinis gentium Catholicarum de veſtra paucitate gloriari, ſicut non vis ut Maximianenſes in comparatione multitudinis veſtræ de ſua paucitate glorientur.*

TERTIA CONCLUSIO.

Eccleſia Romana eſt Catholica; non autem ſocietas Proteſtantium.

Duæ ſunt Concluſionis partes. Prima pars probatur 1. Quia ut Eccleſia Romana ſit verè Catholica, ſatis eſt quòd illa fidelium ſocietas quæ Epiſcopo Romano ut Capiti ſuo adhæret, ſit verè univerſalis; hoc eſt, ſemper fuerit, & in omnem locum diffuſa; atqui talis eſt ea ſocietas quæ communionem habet cum Epiſcopo Romano.

Ac 1. quidem, ſemper fuit illa ſocietas: tùm quia Chriſtus ipſe hanc fundavit, cùm voluit primum inter Apoſtolos Petrum ſedere, ejuſque ſucceſſores primos eſſe inter Epiſcopos, ut poſteà ex profeſſo probabimus. Tùm quia ſemper & omnibus ſæculis ſpectata eſt illa communio cum Sede Romana, tanquam ſignum veræ ac Catholicæ fidei certiſſimum, ſicut patebit ex infrà dicendis ad ſextum hujus Quæſtionis Articulum.

Deinde in omnem locum diffuſa eſt illa ſocietas: tùm quia iidem SS. Patres qui declarant Eccleſiam Chriſti in totum terrarum orbem eſſe diffuſam, eandem cum Epiſcopo Romano communione conjunctam eſſe aſſeverant. Ita S. Irenæus ſecundo ſæculo. Tertullianus, S. Cyprianus, S. Optatus & S. Auguſtinus quarto ſæculo. Tùm quia revera ſocietas quæ Epiſcopum Romanum agnoſcit ut Caput ſuum, in omnes hujus orbis partes latè diffunditur. Eſt in Oriente apud Indos, apud Perſas, apud Sinenſes, Japonitas, Siamenſes, & in omnibus fermè Inſulis maris quod has Provincias alluit. In Occidente apud utriuſque Americæ incolas, & in tota Europa, in cujus majori parte florentiſſima eſt, quamquam in quibuſdam aliis partibus perſequutionem patiatur. In Meridie habuit olim illuſtriſſimas Sedes & notiſſimas frequenti Epiſcoporum numero Synodos; & licèt nunc à Barbaris occupentur hæ regiones, habet tamen & ſuos in iis fideles, qui hujus antiquæ fidei etiamnum ſunt cultores.

Secundò, ita verè Catholica eſt ſocietas quæ communionem ſervat cum R. Pontifice, ut ipſa ſola ſic ſemper vocata fuerit, & etiamnum ſic vocetur.

Quoad primum: certum eſt S. Auguſtinum & S. Hieronymum in ea fuiſſe ſocietate quæ communionem habet cum Pontifice Romano, ut patet ex teſtimoniis eorum ſuprà relatis. Atqui S. Auguſtinus ſæpius aſſerit contra Donatiſtas, eos deſeruiſſe veram Eccleſiam quæ eſt Catholica: contra Manichæos, vel ipſo Catholicæ nomine ſe in Eccleſia Catholicorum retineri; ergo, ſecundùm S. Auguſtinum, nec ſecta Donatiſtarum, quam impugnabat; nec Manichæorum, quam reliquerat, erat Catholica, ſed ſola illa Eccleſia, in cujus gremio poſt ſuam converſionem vivebat, & quam Lib. de unitate Eccleſiæ diffuſam eſſe probat ex Lege, Prophetis, Pſalmis, & Evangelio. Sic etiam ratiocinatur S. Hieronymus Dial. adverſùs Luciferianos.

Quoad ſecundum: unaquæque ſocietas nomen deſumit vel ab auctore ſuo, vel à ſua doctrina: ſic olim dicti ſunt Eutychiani, Neſtoriani, Macedoniani, Ariani, Valentiniani, ab auctoribus ſuis; & nunc Lutherani dicuntur

à Lu-

à Luthero, Calviniani à Calvino, Sociniani à Socino, Anabaptiſtæ, Sacramentarii, à ſuis quos defendunt erroribus: ſoli verò nunc vocantur Catholici, qui communionem habent cum Eccleſia Romana.

Tertiò, illa ſocietas verè eſt univerſalis quæ præter diffuſionem in omnia tempora & loca, habet etiam doctrinæ univerſalitatem; hoc eſt, quæ nullum docet errorem, nec veteres modò, ſed etiam recentiores Lutheranorum & Calviniſtarum errores unà cum priorum ſæculorum Eccleſia damnat: atqui talis eſt ſocietas noſtra quæ Epiſcopo Romano adhæret; ergo &c.

Secunda pars, nempè ſocietatem Proteſtantium non eſſe Catholicam.

Probatur I. Quia nec fuit ſemper, nec eſt ubique.

Non primum: Tùm quia ante exortam Calvini ſectam nobiſcum communicabant in eadem Sacramentorum & precum participatione, atque iiſdem Paſtoribus ſubjectione: tùm quia nequidem ratione doctrinæ, quam tunc profitebantur, eſt univerſalis; cùm illos omnes eorum articulos à noſtris diverſos, primitiva Eccleſia jam damnaverit in veteribus Hæreticis quorum errores ferè jam extinctos rurſus excitarunt ac renovarunt Lutherani & Calviniſtæ.

Non ſecundum: Neque enim præter Occidentem alias orbis partes niſi leviter infecerunt, quidquid in contrarium jactent adverſarii. Vix in Oriente cognoſcuntur Lutherani & Calviniſtæ; aut ſi de iis aliquid audierunt, ab iis habentur ut Hæretici partium Occidentalium: Eccleſia verò Catholicorum ubique nota eſt.

II. Quia fatentur ipſi Reformatores multitudinem credentium non eſſe ſemper notam veræ Chriſti Eccleſiæ, quam aliquando in paucis & prædeſtinatis conſervari volunt.

Solvuntur Objectiones.

Objicies I. cum Jurio & recentioribus Miniſtris. Univerſalitas ſeu diffuſio Eccleſiæ per totum orbem in Scripturis prænuntiata, non poteſt convenire ſocietati ſeu Eccleſiæ Romanæ, quæ ferè jam non eſt in Anglia, Scotia, Provinciis Fœderatis, Dania, Svecia, majori parte Germaniæ, Tranſilvania, Moldavia, Valachia, Ruſſia, Moſcovia, vixque occurrit eadem apud Græcos, Armenos, Ægyptios, Abiſſinos; ergo aut verè Catholica non eſt Romana Eccleſia, aut ſi eſt, neceſſe eſt aſſerere Eccleſiam Chriſti omnes ſocietates complecti, modò non errent in articulis fidei fundamentalibus.

Reſp. I. Illam diffuſionem Eccleſiæ in omnem orbem terrarum à Prophetis prædictam, non ſtrictè & in rigore metaphyſico, ſed moraliter ſumendam eſſe; hoc eſt, pro majori parte orbis terrarum & præcipuis mundi partibus. Quemadmodum enim cùm Scriptura Jeremiæ 34. v. I. & Danielis 2. v. 38. dicit Regem Nabuchodonoſorem occupaſſe omnia regna terræ. Et Danielis 2. v. 39. & cap. 8. v. 21. dicitur Alexander imperaturus univerſæ terræ, non eo ſenſu intelligenda eſt, quaſi alteruter Imperator in univerſo orbe regnaturus eſſet, cùm nunquam id contigerit: imò Alexander mediam ad ſummum partem Aſiæ ſubjecerit, in Europa autem & Africa longè minores Provincias occupaverit; ſed ſignificat tantùm utriuſque Imperatoris dominationem in plurimas terræ partes diffuſam fuiſſe.

II. Il-

II. Illam diffuſionem Eccleſiæ à Prophetis prænuntiatam non alio modo intellexerunt SS. Patres, atque inter alios S. Auguſtinus, qui docet Eccleſiam ſuo tempore nondum ubique conſtitutam, neque ad extremum terræ perventuram ante finem hujus mundi: has tamen Prophetias in Eccleſia ſui temporis eſſe adimpletas, fusè & invictè probat adversùs Donatiſtas. Vide S. Auguſtinum Epiſtola 93. aliàs 48. poſt medium, & 197. aliàs 78. poſt medium; & præſertim Epiſtola 199. aliàs 80. non longè à fine.

III. Triplicem diſtingui poſſe in vera Chriſti Eccleſia diffuſionem, aliam ſcilicet ſucceſſivam, qua nempè temporum ſucceſſu Evangelium omnibus annuntiari debet; hæc autem diffuſio omnem omninò terram complectitur, quia nulla erit pars in quam non perveniat fides Chriſti; atque hæc ſucceſſiva diffuſio ſoli Eccleſiæ Romanæ convenit, cùm ipſa ſola Chriſtum apud exteras nationes annuntiaverit: aliam permanentem, perpetuam & totam viſibilem; atque ut de illa intelligantur Prophetiæ, non ſumi debent in ſenſu metaphyſico, ſed morali: aliam denique permanentem, ſed partim viſibilem ſenſibus, partim inviſibilem; hæcque complectitur non tantùm omnes ſocietates quæ in Chriſtum credunt, & quæ communionem habent cum Epiſcopo Romano, ſed & eos omnes qui degunt inter Hæreticos, neque hæreſi eorum actu & explicitè participant.

Objicies 2. cum Crocio. Numquam legitur promiſſa diffuſio Eccleſiæ Romanæ; neque legitur præcepta à Chriſto vel ab Apoſtolis communicatio implicita vel explicita cum R. Pontifice.

Reſp. ad primum: Vel promiſſa eſt illa diffuſio Eccleſiæ quæ primis quingentis annis communicabat cum Epiſcopo Romano, vel alicui alteri: ſi primum, fruſtra dicit Crocius eam non eſſe actu diffuſam, quaſi divinæ promiſſiones non fuerint efficaces: fruſtra dicit non complecti omnia tempora, cùm eadem fuerit Eccleſia ſub Chriſto & Apoſtolis, quæ cum R. Pontifice primis quingentis annis communicavit. Si ſecundum, deſignet aliam cui facta ſit illa promiſſio. Certè S. Auguſtinus & Optatus promiſſiones illas Dei de Eccleſia in qua vivebant, & quæ communionem habebat cum Epiſcopo Romano, intelligendas eſſe exiſtimaverunt.

Ad ſecundum: Certum eſt Chriſtum & Apoſtolos præcepiſſe communionem tum implicitam, tùm explicitam inter fideles & Eccleſiæ Paſtores: atqui inter Paſtores Epiſcopum Romanum agnovit antiquitas, cum quo ordinariè communicabant fideles; imò communionem hanc veluti certiſſimum Catholicitatis argumentum habuerunt.

Objicies 3. Eccleſia quæ primis quingentis annis toto orbe diffuſa fuit, non habebat fidem communem cum Leone X. ſub quo ſucceſſio facta eſt, neque cum iis qui aliquot ſæculis eum anteceſſerunt; adeoque non receditur ab Eccleſia Catholica, licèt à communione Epiſcopi Romani diſcedatur.

Reſp. Quæſtio non eſt utrum Eccleſia quæ fuit primis illis temporibus hanc habuerit fidem; ſed quæritur an fuerit Eccleſia verè Catholica, tempore inchoatæ ſeceſſionis, quæ non communicaverit cum Epiſcopo Romano, aut ejus communionem neglexerit. Si nulla fuit; ergo illa quæ communionem cum ipſo ſervabat, erat verè Catholica vi promiſſionum Dei; ac proinde Reformatores noſtri qui hanc deſeruerunt, verè fuerunt ſchiſmatici.

Inſta-

Inſtabis 1. Tempore inchoatæ Reformationis, Eccleſia Catholica in multis membris externam communionem non habebat in fide cum R. Epiſcopo. Nam Africanæ, Græcæ, Syræ, & aliæ Orientales Eccleſiæ erant univerſæ Eccleſiæ membra, quæ tamen cum Epiſcopo Romano non communicabant; negabant etenim præcipuum Romanæ communionis fundamentum, ſcilicet poteſtatem Pontificis.

Reſp. perperam dici à noſtris Reformatoribus illas ſocietates membra fuiſſe univerſalis Eccleſiæ. Tùm quia juxta ipſos lapſæ ſunt in capitales errores; quod ſufficit ut non pertineant ad veram Eccleſiam, ſicut ipſimet fatentur. Tùm quia debet eſſe communio inter omnia membra univerſalis Eccleſiæ; adeoque ſi Eccleſiæ Orientales & Reformatæ ſint veræ Eccleſiæ membra, debet eſſe aliqua inter has & illas communicatio in fide, vel explicita vel implicita: neutram tamen probare poſſunt. Non explicitam, cùm nullum ſit vel Litteris, vel Congreſſibus, vel Legationibus inter ipſas commercium: non implicitam, cùm non eandem fidem teneant; nam in ſententia Reformatorum, Eccleſiæ Orientales lapſæ ſunt in errores fundamentales; & in ſententia Eccleſiarum Orientalium, doctrina Reformatorum in multis eſt hæretica.

Vallam. Lib. 5. de unit. Eccl. p. 108.

Inſtabis 2. Catholicorum eſt oſtendere, Eccleſiam univerſalem, tempore ſeparationis, in fide cum Epiſcopo Romano communicaſſe.

Reſp. Facile foret Catholicis iſtud probare: ſed cùm noſtram communionem deſeruerint Reformatores, ut à crimine ſchiſmatis ſe purgare poſſint, debent deſignare Eccleſiam quæ ſit membrum Eccleſiæ Catholicæ & univerſalis, & quæ non communicaverit cum R. Pontifice, cui ſeſe poſt ſeparationem adjunxerint. Quam autem deſignabunt? An fideles occultos qui in media Papiſtarum idololatria Deo fidelem & purum cultum exhibebant? At tam abſurdæ ipſis opiniones neceſſariò tribuendæ ſunt, ut meritò inferre debeant hoc prorſus commentitium eſſe. An ad Valdenſes, Henricianos, Albigenſes, Huſcitas, Vvicleſitas? At in multis capitibus diverſa ab iis ſentiebant; neque miſſionem ab iis, tanquam à legitima Eccleſia, accipere ſolliciti fuerunt. An ad Claudium Taurinenſem? Ubi ergo per trecentos annos, hoc eſt à duodecimo ſæculo ad nonum, cujus initio vivebat ille Claudius, deliteſcebat vera Chriſti Eccleſia? Et prætereà his temporibus invocationem Sanctorum, extremam unctionem & alia Romanæ fidei capita ubique in praxi fuiſſe, paſſim obſervant auctores illorum temporum: imò nec appellari poſſunt qui fuerint in contraria ſententia; cùm Dallæus ipſe in recenſenda eorum qui invocationem Sanctorum negavere, traditione, nullius mentionem faciat; ſed ſtatim à Valdenſibus ad Claudium Taurinenſem tranſeat, nullo citato auctore qui mediis his temporibus cultum & invocationem Sanctorum rejecerit.

Inſtabis 3. Etiamſi conſtaret omnes Eccleſias cum Romana ſocietate communionem ſervaſſe tempore Reformationis, nondum tamen conſtaret communionem illam fuiſſe perfectam; hoc eſt, in interna fidei profeſſione: imò veriſimile eſt, inquit Pleſſæus, omnes manſiſſe quidem in Cœtu Papiſtico, non in ſenſu; in Eccleſia, non in factione Eccleſiam premente; in communi veritatis profeſſione, non in opinionibus Doctorum.

Reſp. Qui fuerunt in externa communione Eccleſiæ Romano-Catholicæ, etiam

etiam præſumuntur fuiſſe in interiori fidei communione; niſi contrarium probetur; ideoque & præſumuntur conſenſiſſe in capitales articulos Eccleſiæ Romanæ. Fueritne conſenſus ille quoad nonnulla explicitus, vel implicitus, parum refert, modò illa explicitè tenuerint, quę ſunt omnibus neceſſaria: nunquam autem alligati fuerunt fideles aliquibus Doctorum opinionibus, quemadmodum nec tenentur nunc.

Objicies 4. cum Claudio in Defenſione Reformationis. Diffuſio illa Eccleſiæ non poteſt eſſe nota ſufficiens per quam cognoſcatur vera Eccleſia, cùm præſertim diſputatio eſt de doctrinæ veritate, neque enim ex multitudine præcisè poteſt inferri veritas; adeoque ſi valuit olim iſtud argumentum ab Auguſtino prolatum adversùs Donatiſtas, ut meritò valuiſſe dicendum eſt, non ideo præcisè concludebat, quia ſocietas Catholicorum erat univerſalis & diffuſa; ſed quia cùm Donatiſtæ neque erroris in fide, neque depravationis in cultu eam accuſarent, ideò eam eſſe veram Eccleſiam meritò inferebat S. Auguſtinus, quia ſcilicet in ipſa impletæ ſunt promiſſiones divinæ, non in parte Donati. Ergo etiamſi ſocietas Catholicorum eſſet diffuſa, puſillus autem grex Proteſtantium, nihil ex illa diffuſione concludi poterit, niſi ſupponatur eſſe in eadem ſocietate doctrina ab omni errore immunis, quod negant Proteſtantes.

Reſp. 1. Nec opponimus nos diffuſionem Eccleſiæ, aut univerſalem populorum conſenſum, veritati. Non dicimus ſolam ſufficere multitudinem, ubi non occurrit veritas: ſed dicimus eam doctrinam veram eſſe, quam per orbem univerſum diffuſa Eccleſia profitetur; & ideò cum ſancto Optato ad orbem terrarum provocamus, juxta promiſſiones divinas, orthodoxa fide in Chriſtum credentem. Ad eundem ſenſum provocabat S. Aug. diſputans contra Manichæos. Addimus nos cum ipſo, nihil eſſe apud Proteſtantes, quod nos invitet & teneat; ſola ibi perſonat veritatis pollicitatio. Tenet ergo nos multorum populorum conſenſus, adhæremus multitudini juxta promiſſiones divinas: Proteſtantes verò à multitudine receſſerunt, nec habent eam ad quam provocant, multitudinem.

II. Juxta principia Claudii, non poteſt ſocietas Orthodoxa per ſolam diffuſionem à Sectis Hæreticorum diſtingui; cùm in ipſius ſententia, poſſit Orthodoxa ſocietas vel intra unius Provinciæ limites includi: atqui tamen S. Auguſtinus hac ſola nota ſocietatem Orthodoxam à Sectis Hæreticorum diſtingui poſſe exiſtimavit, ut patet ex innumeris ipſius adversùs Donatiſtas teſtimoniis. Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 3. Lib. 3. contra Creſconium cap. 67. &c. Ergo alia eſt ſententia Claudii, alia S. Auguſtini; quæ verò tutior ſit, judicent ipſi Proteſtantes.

Et certè ſi intra limites alicujus Regionis veram Eccleſiam concludi poſſe exiſtimaſſet ſanctus Doctor; neque diffuſionem eſſe notam veræ Eccleſiæ, ubi quæſtio eſſet de doctrina, nonne Donatiſtis contendentibus exemplo Arianorum, Eccleſiam in majori orbis parte perire potuiſſe, reſpondiſſet, Eccleſiam tunc temporis intra paucos fideles ſervatam fuiſſe; atque immeritò iſtud à Donatiſtis exemplum proferri: atqui tamen non ita reſpondet S. Auguſtinus, nec cauſam Arianorum diſtinguit à cauſa Donatiſtarum. Imò probat etiam tempore Arianæ hæreſeos diffuſam ubique fuiſſe Eccleſiam, atque in ipſis Aſiæ Provinciis, de quibus præſertim agebatur, incolumem

ſtetiſ-

ſtetiſſe, tùm eorum teſtimonio, qui exiliis ſuis veritatem propugnabant; tùm ſimpliciorum ſententia, qui deluſi ab Arianis putabant hoc ab iis credi, quod ipſimet credebant; tùm aliorum ſuffragio, qui timore victi ſimu-
To.2.p. 244.C. latè conſenſerant. *Atque ita*, inquit, *Eccleſia quæ per omnes gentes creſcit, in frumentis Dominicis conſervata eſt*. Legenda Epiſt. 93. aliàs 48. n. 21. & ſeq. Eodem diffuſionis Eccleſiæ argumento uſi ſunt omnes Epiſcopi Africæ in Collatione Carthaginenſi, S. Hieronymus adversùs Luciferianos, S. Pacianus contra Novatianos, S. Optatus contra Donatiſtas: quod ſanè argumentum infirmum omninò fuiſſet nulliuſque momenti, ſi valeat Claudii reſponſio; & mirum eſt ab illis Hæreticis exploſum non fuiſſe: deerat ſcilicet tunc inter illos Claudius, qui arma ſubminiſtraret.

Objicies 5. Eccleſia Chriſti non fuit ſemper diffuſa: 1. Quia teſtatur S. Auguſtinus Epiſtola 199. aliàs 80. innumerabiles extitiſſe barbaros in Africa ſuo tempore, quibus nondum prædicatum fuerat Evangelium. 2. Tempore Arianorum adeò pauci erant veræ fidei cultores, ut S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos loquens de lapſu Patrum Ariminenſium, di-
To.4.p. 2. pag. 300. cat, *Tunc Uſiæ nomen abolitum eſt; tunc Nicenæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & ſe eſſe Arianum miratus eſt*. Et Epiſtola 38. aliàs 61. ſeu Libro adversùs errores Joannis Hieroſolymitani, dicit, hæreſim
Ibid. p. 308. Arianorum & Eunomianorum totum Orientem poſſediſſe, excepto Athanaſio & Paulino. S. Hilarius Lib. de Synodis adversùs Arianos n. 27. aſſerit
P.1186 D. neminem fuiſſe intra decem Provincias Aſiæ qui Deum cognoſceret, præter Epiſcopum Eleuſium, & paucos cum eo.

Reſp. ad primum: Jam diximus neceſſarium non eſſe ut Eccleſia Chriſti totum ſimul mundum occupet; vel ut diffuſior ſit omnibus Sectis ſimul ſumptis: ſatis eſt ſi qualibet Secta diffuſior ſit. Certum eſt enim Catholicam fuiſſe tempore ſancti Auguſtini, ut tam invictè probat adversùs Donatiſtas, licèt tunc non occuparet omnes terræ partes.

Id patet ex reſponſionibus S. Auguſtini ad objectiones Creſconii. *Quomo-*
To.9.p. 471.C. D. *do*, inquiebat Creſconius Lib. 3. cap. 63. *totus orbis communione veſtra plenus eſt, cùm multæ ſint gentes, quæ nondum in Chriſtum crediderunt*? Reſpondet S.
Ibidem. Auguſtinus cap. 64. *fructificare quotidiè Evangelium in gentibus, & fructificaturum donec prædicetur*.

Ibid. p. 473. B. Item, *Quomodo*, inquiebat rursùs cap. 66. *totus orbis communione veſtra plenus eſt, ubi tam multæ ſunt hæreſes, quarum nulla vobis communicat?* Reſ-
Ibidem. pondet S. Auguſtinus, *totum mundum plenum eſſe non tantùm Hæreticis, verùm etiam cæteris hominibus malis, & ſanctis ac fidelibus Dei ſervis, ſicut univerſum mare plenum eſt fluctibus amaris, & piſcibus dulcibus*.

Ibid. p. 474. E. At iterum inquiebat Creſconius cap. 67. *Non communicat Oriens Africæ, nec Africa Orienti*. Reſpondet S. Auguſtinus, *Orientem non communicare quidem*
Ibidem. *Africæ in paleis, id eſt in Hæreticis ab area Domini ſeparatis: communicare autem in frumentis, id eſt in Catholicis*.

Eccleſia Catholica tépore Arianorum. Ad ſecundum: Eccleſia fuit etiam Catholica temporibus Arianorum. I. Quia tunc Eccleſia cenſetur Catholica, cùm ejus fides in pluribus mundi partibus excipitur; præſertimque iis in locis in quibus fundatæ ſunt Eccleſiæ Apoſtolicæ: hanc enim Eccleſiæ ideam nobis ſubminiſtrant S. Irenæus, Tertullianus, Optatus, Auguſtinus. Atqui conſtat tempore Arianorum in Roma-

Digitized by Google

Romana Eccleſia fidem Catholicam floruiſſe : de Antiochia , fatetur Claudius; de Alexandrina, teſtatur S. Athanaſius. Imò refert S. Auguſtinus Ep. 93. aliàs 48. n. 22. iis temporibus fidem Catholicam prædicatam fuiſſe apud Perſos & Indos.

II. Licèt maximus fuerit Arianorum in Catholicos furor, ubique tamen iis perſecutionibus obſiſtebat fides Catholica. Erant tunc temporis defenſores ejus acerrimi, Julius, Athanaſius, Paulinus, Hilarius, Euſebius Vercellenſis, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & multi alii. Defenſa & propugnata fuerat in Concilio Nicæno an. 325. in Romano an. 341. in Mediolanenſi an. 345. in Sardicenſi an. 347. in Jeroſolymitano an. 350. quo glorioſus ac triumphans Alexandriam rediit ſanctus Athanaſius.

III. Longè plures fuiſſe in Orbe Catholicos quàm Arianos, demonſtrat invicta fortitudo qua populus fidelis Alexandriæ, Conſtantinopoli, Antiochiæ, Samoſatæ, Mediolani, Arianis conſtanter reſtitit, cùm ſuæ ſectæ Epiſcopos in illas Sedes intruſerunt. Demonſtrant innumeræ SS. Monachorum turbæ, qui Ægypti deſerta incolebant, quos impensè fovebat S. Athanaſius, ut fidei Nicænæ ſtrenuos defenſores. Demonſtrat enumeratio omnium Provinciarum, quæ in Nicænæ fidei profeſſione & Arianæ hæreſeos damnatione conſentiebant; qua de re audiendus eſt S. Athanaſius Epiſtola Synodica de fide ad Jovinianum Imperatorem, quam deſcribit Theodoretus Lib. 4. Hiſt. cap. 3. Idem conſtat ex Lucifero Calaritano, in Libro cui titulus, *Quòd moriendum ſit pro Filio Dei*. Ex Epiſtola Synodica Damaſi & aliorum Occidentalium ad Epiſcopos Illirici, quam refert Theodoretus Lib. 2. Hiſt. cap. 22. Legantur hæc teſtimonia.

Ad Concilium Ariminenſe,

Reſp. 1. Illud fuiſſe maximè Catholicum, quamdiu fuit liberum; ut patet ex Socrate, Theodoreto, Sozomeno & S. Athanaſio.

Tùm quia oblatam ab Urſatio & Valente tertiam formulam Syrmienſem, quæ Filium Patri ſimilem ſecundùm Scripturas dicebat, & quam ab omnibus ſubſcribendam nomine Imperatoris proponebant, unanimi conſenſu rejecerunt, ſolique fidei Nicænæ, quæ cum cæteris hæreſibus Arianam damnabat, adhærendum eſſe firmiter aſſeruerunt.

Tùm quia eos qui Nicænæ fidei contradicebant, ut Valentem, Urſatium, Germinium, Auxentium & Cajum, declarant hæreticos, & à communione Eccleſiæ ſeparatos.

Tùm quia Conſtantio ad ipſos ſcribenti, per otium non licuiſſe admittere ipſorum Legatos in conſpectum ſuum, quia expeditionem in Barbaros parabat, ut ſcilicet longiore mora fatigatos ad ſententiæ ſuæ revocationem compelleret, reſponderunt datis ad Imperatorem Litteris, nunquam ſe à priori propoſito & ſententia diſceſſuros; idemque ſe Legatis ſuis in mandatis dediſſe. Ita Socrates Lib. 2. cap. 37. Theodoretus Lib. 2. cap. 18. & 19. Sozomenus Lib. 4. cap. 16. & 17.

Reſp. 2. Concilium Ariminenſe etiam Catholicum fuiſſe eo tempore quo Patres illi Ariminenſes formulæ apud Nicæam Traciæ editæ ſubſcripſerunt.

Tùm quia per vim tantùm & neceſſitate compulſi conſenſerunt; ita ut cùm accepiſſent Legatos ſuos ſubſcripſiſſe, communionem ipſis denegaverint.

Tùm

Tùm quia poſt multas à Valente fidei ſuæ factas expoſitiones, quibus Filium Dei non eſſe creaturam, eſſe Deum ab æterno & ante omnia tempora ex Deo genitum profitebatur, ejuratis & anathematiſatis Arii erroribus, exiſtimaverunt nihil continere hanc fidei formulam contrarium Catholicæ doctrinæ, præſertim cùm ſpecie tenus Catholicum ſenſum præſeferret. Ita S. Hieron. in Dial. contra Luciferianos, & Sulpitius Severus Lib. 2. Hiſt. ſacræ.

Tùm quia ubi deluſos ſe ab Arianis agnoverunt, pravam iterum expoſitionem damnarunt & execrati ſunt. *Putavimus*, ajebant, *ſenſum congruere verbis; nec in Eccleſia Dei ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Non ſumus arbitrati Sacerdotes Chriſti adversùs Chriſtum pugnare..... Multaque alia quæ brevitatis ſtudio prætereo, flentes aſſerebant, parati & ſubſcriptionem priſtinam, & omnes Arianorum blaſphemias condemnare*. Ita S. Hieronymus loco citato.

Apud ſanctum Hieron. To. 4. p. 2. p. 301

Ad ſanctum Hieronymum: Miratus eſt orbis terrarum ſe eſſe Arianum, non quaſi crederent univerſi ſe invitos Arianam hæreſim complexos, quam adeò deteſtati erant; cùm nemo niſi volens fieri poſſit hæreticus: ſed tantùm hoc ſenſu, quòd in nova fidei regula, prætermiſſo ſubſtantię vocabulo, & eam ob rem patefacto Arianis aditu ad oppugnandam fidem Catholicam, ipſi viſi eſſent fidei Nicænæ proditores.

Porrò ab Arianis conclamatam fuiſſe fidei Nicænæ damnationem ait S. Hieronymus, non à Patribus Ariminenſibus. Scilicet Ariani poſt ſubſcriptionem formulæ Valentis, gloriabantur Catholicos ſuæ doctrinæ conſenſiſſe: at nequaquam ita erat. Hyperbolicè igitur locutus eſt S. Hieronymus cùm ipſe expreſsè aſſerat Patres Ariminenſes verè Arianos non fuiſſe; & hæc ipſius loquendi ratio, *Miratus eſt orbis terrarum ſe eſſe Arianum*, ſatis innuat, inſcios & doli ignaros Patres formulæ Arianæ ſubſcripſiſſe. Unde ſanctus Athanaſius Epiſtola ad Rufinianum, teſtatur illos nunquam defeciſſe ad impietatem Arianorum; ſed œconomia quadam, & ſtudio Eccleſiaſticæ pacis, formulæ oblatæ ſubſcripſiſſe.

Ad alium ſancti Hieronymi locum dicendum eſt, eo ſenſu totum Orientem, excepto Papa Athanaſio, atque Paulino, poſſediſſe Arianam hæreſim; quia in multis partibus Orientis graſſabatur, atque ab iis initium ſumpſerat, & præſidium maximè à multis Epiſcopis illarum Regionum acceperat, ſcilicet ab Urſatio, Valente, Euſebio Nicomedienſi & aliis, necnon ab Imperatoribus Conſtantio, Conſtante, & Valente. At anno 325 unanimi conſenſu approbata fuerat in Oriente à Patribus Nicænis, & poſteà egregiè propugnata à Baſilio, Gregorio utroque Nyſſeno & Nazianzeno, Cyrillo Hieroſolymitano, Euſtathio Antiocheno; cujus in odium, calumnias, depoſitionem, exilium ab Arianis paſſus eſt.

His omnibus adjungendi ſunt, juxta S. Athanaſium Epiſt. de Synodis nu. 41. ii omnes qui omnia Synodi Nicænæ Scripta recipiebant, & de ſolo conſubſtantiali ambigebant, quos *fratres* appellat ſanctus Doctor: Cum quibus, inquit, *diſputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem qua nos ſunt ſententia, ſolo nomine in controverſiam adducto*. Tales erant Baſilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Euſebius Samoſatenſis, Acacius Cæſarienſis, & multi alii Orientales.

Edit. nov. T. 1. p. 2. p. 755. E.

Ad

Ad ſanctum Hilarium reſpondit olim S. Auguſtinus Epiſtola 93. alias 48. n. 32. Primò, arguiſſe Hilarium decem Aſiæ Provinciarum zizania, non triticum. 2. Multos obſcuris Arianorum verbis fuiſſe deluſos 38. Non defuiſſe qui pro fide exularent, & in toto orbe latitarent. Verùm de facto Ariminenſis Concilii fuſiùs poſtea & ex profeſſo dicturi ſumus.

ARTICULUS QUINTUS.

De Apoſtolicitate Eccleſiæ.

Apoſtolica dicitur Eccleſia quæ ab Apoſtolis originem ducit, eandem cum ipſis doctrinam profitetur, & cujus Paſtores legitimam miſſionem & ſucceſſionem habent ab Apoſtolis non interruptam. Antiquitas igitur originis & doctrinæ, miſſio & ſucceſſio, ſunt veri & proprii caracteres Apoſtolicæ Eccleſiæ. Tria hìc in controverſiam veniunt.

Primum, utrum Eccleſia Chriſti verè ſit Apoſtolica, tùm propter originis & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ antiquitatem; tùm propter Paſtorum ſuorum legitimam miſſionem ac ſucceſſionem non interruptam.

Secundum, utrum ſocietas Catholicorum hoc ſenſu ſit verè Apoſtolica.

Tertium, utrum ſocietas Proteſtantium ſit Apoſtolica.

PRIMA CONCLUSIO.

Eccleſia Chriſti verè eſt Apoſtolica, tùm propter originis & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ antiquitatem, tùm propter Paſtorum ſuorum legitimam miſſionem ac ſucceſſionem non interruptam.

Primò: Eccleſiam ab Apoſtolis fundatam & ab ipſis originis ſuæ antiquitatem ducere, docent Veteres.

S. Irenæus Lib. 3. adversùs hæreſes cap. 3. *Traditionem*, inquit, *Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus qui vera velint videre: & habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos.* P. 175.

Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 20. *Apoſtoli*, inquit, *Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cæteræ, exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur ut Eccleſiæ fiant; ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.* Ibidem docet, non meliùs dignoſci poſſe doctrinæ veritatem, quàm ex Eccleſiis Apoſtolicis unde promanavit. *Conſtat proinde*, ait c. 21. *omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* P. 208. D. P. 209. A.B.

Idem argumentum pro veritate doctrinæ demonſtranda ductum ex antiquitate Apoſtolica, urget Lib. 4. adversùs Marcionem cap. 4. *Si conſtat*, inquit, P. 415. D.

quit,

quit, *id verius quod prius; id prius quod & ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.*

P. 215. A. Rurſus de Præſcriptionibus cap. 36. ad Eccleſias Apoſtolicas provocat Tertullianus, ut veritas tutò poſſit dignoſci. *Age jam,* inquit, *qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ Litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja; habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.*

Hæreticis idcirco novitatem exprobrant Eccleſiæ Doctores, eaque ratione Ibid. C. eos confutant. *Qui eſtis vos,* inquiebat Tertullianus eodem de Præſcriptionibus Lib. cap. 37. *quando, & unde veniſtis?* Et S. Hieronymus in Epiſtola ad To. 4. p. 2. p. 345. Pammachium & Oceanum. *Quiſquis,* inquit, *aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtolica voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antè neſcivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Uſque in hanc diem ſine iſta doctrina Chriſtianus mundus fuit.* Et Lib. contra Ibid. p. 306. Luciferianos in fine. *Ex hoc ipſo,* inquit, *quòd poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiavit.*

II. Eccleſia Chriſti Apoſtolica meritò dicitur, propter antiquitatem & conſpirationem doctrinæ ipſius cum doctrina Apoſtolorum: conſtat ex mox citatis teſtimoniis. Imò Tertullianus cap. 32. Lib. de Præſcriptionibus oſtendit, quòd etſi poſſent Hæretici de quadam apud ſe ſucceſſione gloriari, nondum tamen quidquam obtinerent; atque falſitatis redarguerentur ex contrarietate P. 213. C. & pugna doctrinæ ipſorum cum Apoſtolica. *Ipſa enim,* inquit, *doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diverſitate & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicujus auctoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent; niſi illi qui ab Apoſtolis didicerunt, aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licèt nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis, auctorem ſuum proferant, ut multò poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur; tamen in eadem fide conſpirantes, non minùs Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ.*

Idem argumentum urget adversùs ſui temporis Hæreticos S. Irenæus Lib. 3. P. 175. col. 1. cap. 3. *Habemus,* inquit, *annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab illis deliratur. Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valdè enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes: quibus emendatè agentibus fieret magna utilitas, lapſis autem ſumma calamitas.*

Ex conformitate doctrinæ cum Apoſtolica exortas in Eccleſia de Religione con-

controverſias dijudicabant Veteres. Sozomenus Lib. 7. Hiſt. cap. 12. laudat Theodoſium Imperatorem, quòd hac arte compeſcere tentaverit Hæreticos ſui temporis. Juſſit nimirum Sectarum principes convenire; deinde petiit, an exiſtimarent, antiquos Patres qui Eccleſiam rexerant ante diſſidium illud quod tunc de Religione ortum fuerat, rectè conſenſiſſe, & verè Sanctos & Apoſtolicos fuiſſe, quod cùm illi conceſſiſſent, voluit examinari doctrinam ad illorum Scripta; & ſi cum illis conſenſerit, retinendam; ſin minùs, abjiciendam.

III. Legitimam Paſtorum miſſionem neceſſariam eſſe ac veram Apoſtolicæ Eccleſiæ notam, certiſſimum eſt.

Tùm quia nec in veteri nec in novo Teſtamento ullus unquam fuit legitimus Paſtor, qui non fuerit à Deo miſſus. In veteri quidem, nullus, niſi qui foret ex ſtirpe Aaron, Sacris ſe immiſcere debebat; ac ſeverè punitus fuit quicunque extraneus thuribulo manum admovere auſus fuit, ut exemplis Dathan & Core, & Regis Oziæ compertum eſt. In novo etiam Teſtamento, S. Paulus Hebr. 5. v. 4. ſic pronuntiat. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Rom. 10. v. 14. & 15. *Quomodo ergo*, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Unde Epheſ. 4. v. 11. Chriſtus dicitur *dediſſe quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii.* Inde eſt quòd qui ſine miſſione honorem ſibi arrogare præſumpſerunt, ſchiſmatici habiti ſunt; atque ex iis ſunt de quibus dicit Deus apud Jeremiam cap. 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad illos, & ipſi prophetabant.* De iiſdem Chriſtus Joan. 10. v. 1. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* De iiſdem loquitur Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 37. *Qui eſtis?* inquit, *quandò, & unde veniſtis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure ſilvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos tranſvertis? Qua poteſtate, Apelles, limites meos commoves? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis auctoribus quorum fuit res.* Et S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ de Hæreticis loquens, *Hi ſunt*, inquit, *qui ſe ultro apud temerarios convenas, ſine divina diſpoſitione præficiunt; qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt; qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.* P. 215 C. P. 182.

Tùm quia Eccleſia non poteſt eſſe ſine Epiſcopo, judice S. Hieronymo Dial. adversùs Luciferianos. *Eccleſia*, inquit, *non eſt, quæ Sacerdotes non habet*: Ibidem ait ſectam cum Hilario interiiſſe, quoniam cùm tantùm Diaconus eſſet, alios mittere & ordinare non poterat. To. 4. p. 2. p. 302. Ibid.

Ita pariter S. Cyprianus Epiſtola 69. *Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens: Unde ſcire debes*, inquit, *Eccleſiam eſſe in Epiſcopo, & Epiſcopum in Eccleſia: & ſi qui cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.* Et Epiſtola 27. *Inde*, inquit, *per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit; ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur.* P. 118. P. 39.

IV. denique, ſucceſſionem Paſtorum ab Apoſtolis non interruptam eſſe Apoſtolicæ Eccleſiæ notam, & quidem Eccleſiæ Chriſti propriam, oſtendunt.

P. 213. B. Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 32. *Cæterum*, inquit, *ſi quæ* (hæreſes) *audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum: evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia, Polycarpum ab Joanne conlocatum refert. Sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt?*

S. Irenæus Lib. 3. cap. 3. jam citato, hanc etiam Epiſcoporum continuam ſucceſſionem Hæreticis opponit, atque Catalogum texit Epiſcoporum Romanorum qui à S. Petro uſque ad Eleutherium, qui ſuo ſedebat tempore, Romanam Eccleſiam gubernarunt. P. 175. col. 2. *Quoniam*, inquit, *valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem; per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.*

P. 262. Et Lib. 4. cap. 26. aliàs 43. n. 2. *Eis*, inquit, *qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis ſicut oſtendimus; qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colligunt, ſuſpectos habere, vel quaſi Hæreticos & malæ ſententiæ; vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes &c.*

Idem ab Hæreticis ſui temporis poſtulabat Optatus: *Vos*, inquiebat Lib. 2. P. 28. contra Parmenianum, *veſtræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Societas Catholicorum eſt verè Apoſtolica, tùm propter originis & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ antiquitatem; tùm propter Paſtorum ſuorum legitimam miſſionem; tùm denique propter eorundem Apoſtolicam ſucceſſionem.

Prima pars probatur.

Ac 1. Eccleſiam noſtram eandem eſſe cum Eccleſia quinque priorum ſæculorum, quam verè Apoſtolicam fuiſſe non diffitentur adverſarii, patet

tet tùm ex unione ipſius cum Papali Cathedra, quam ut teſſeram & centrum communionis Eccleſiaſticæ habuit tota antiquitas; tùm ex publica ipſius profeſſione, qua ſupremum Eccleſiæ univerſalis tribunal in cauſis fidei & Religionis dijudicandis agnoſcit: hæc enim duo potiſſimùm ſpectari debent in Eccleſia veteri; nempe unitas Capitis, & auctoritas Eccleſiæ, quam propugnant Catholici ut maximè neceſſariam ad fidei conſervationem.

Patet etiam ex eo quòd ſi à priori & Apoſtolica Eccleſia noſtra defeciſſet ſocietas; ſi facta fuiſſet in ea aliqua mutatio, certè aliqua ex iis quæ in omni inſigni mutatione obſervantur, demonſtrari poſſent, ſcilicet auctor hujus defectionis, vel novum aliquod dogma, vel tempus quo cœpit, vel locus ubi cœpit, vel quis eam initio oppugnaverit; vel denique exiguus ab initio cœtus ex quo cœperit, & unde paulatim aliorum acceſſu creverit: hæc enim omnia deprehendi poſſunt in illa celebri Eccleſiæ mutatione, cùm auctore Christo, à ſtatu veteris, tranſiit ad ſtatum novi Teſtamenti. Atqui defectionis hujus à priſtina Eccleſia, atque inſignis mutationis in noſtra ſocietate, nullum ex prædictis ſignis proferri poteſt ab adverſariis noſtris; ergo &c. *Bellar. de Notis c. 5.*

II. Societatem noſtram Apoſtolicam eſſe ratione doctrinæ ab Apoſtolis ad nos uſque derivatæ, duplici via oſtendi poteſt. 1. Comparando noſtræ fidei capita cum iis quæ quinque prioribus ſæculis vetus & Apoſtolica Eccleſia propugnavit, & oſtendendo eandem planè & illis & nobis eſſe fidem; quod exequuntur Catholici, ubi de ſingulis capitibus diſputant cum Novatoribus. 2. Poteſt oſtendi ex ipſis noſtris adverſariis, qui non diſſimulant ſe ab antiqua Eccleſia diſſentire in iis capitibus quæ fatentur nobiscum antiquis eſſe communia. Sic v. g. Calvinus Lib. 3. Inſtit. cap. 4. nu. 38. ait, *omnes ferè Veteres quorum Libri exiſtunt, ubi de ſatisfactione agitur, aut hac in parte lapſos fuiſſe, aut nimis aſperè & durè locutos.* Ibid. cap. 5. n. 10. dicit, *ante mille & trecentos annos uſu receptum fuiſſe, ut precationes fierent pro defunctis, ſed in errorem lapſos eſſe veteres.* Ita etiam loquitur circa cœlibatum Sacerdotum, circa pœnitentiam publicam quæ olim in Eccleſia vigebat, circa jejunium quadrageſimale; aitque veterum auſteritatem immodicam, & ſuperſtitionem circa hæc capita nullatenus excuſari poſſe; neque ipſi Auguſtinò parcendum exiſtimat, quem aliàs tamen tanti facere videbatur, quòd nempe votum matris de ſacrificio pro ſui memoria & requie offerendo, adimpleviſſet contra Scripturæ normam. Prætermittimus alia multa quæ paſſim occurrunt apud Calvinum & multos alios recentiores, imprimis Jurium, qui in ſuo veræ Eccleſiæ Syſtemate, loquens de ea Catholicorum opinione, quæ Eccleſiam Chriſti in unica & individuali communione includit, quamque crudeliſſimam & abſurdiſſimam vocat, fatentur ſumpſiſſe initium circa medium tertii ſæculi in Aſia, exinde in Africa ab Agrippino, Cypriano, Auguſtino & aliis propugnatam fuiſſe. *P. 237. P. 243. P. 243.*

III. SS. Patres hìc Concluſione prima laudati, de Eccleſia Romana loquuntur, cùm probant adversùs ſui temporis Hæreticos, veram Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, ut legenti patebit.

Secunda pars, Paſtores ſcilicet Romanæ communionis legitimam habere miſſionem.

Probatur: tùm quia legitima miſſio nihil aliud eſt quàm vocatio ſeu ordina-

tio ad Miniſterium Eccleſiaſticum facta per impoſitionem manuum Epiſcopalem; qualis legitur in Scripturis ab Apoſtolis uſurpata cùm Miniſtros ordinarunt. Act. 6. 2. ad Timoth. 1. 1. ad Timoth. 5. ad Titum 1. qualis etiam ſemper in Eccleſia fuit uſurpata, ut oſtendimus in Tractatu de Sacramento Ordinis. Tùm quia quoties in aliqua ſocietate perfecta eſt ſubordinatio Miniſtrorum & membrorum cum Capite, toties eſt legitima Paſtorum ejuſdem ſocietatis miſſio; ut enim hæc legitima ſit, ſatis eſt quòd fiat ab habentibus legitimam auctoritatem: atqui in ſocietate Catholicorum eſt perfecta ſubordinatio Miniſtrorum & membrorum cum Capite.

Tertia pars, nempe eſſe in ſocietate Romana ſucceſſionem non interruptam Paſtorum, præſertim verò Romanorum Pontificium, ex citatis Concluſione prima S. Irenæi & Tertulliani teſtimoniis manet abundè demonſtrata. Hinc S.
To. 8. p. 153. C. Aug. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Eccleſia ab*
To. 9. p. 7. E. *ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum*. Et in Pſalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte: ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

TERTIA CONCLUSIO.

Societas Proteſtantium non habet prædictos Eccleſiæ Apoſtolicæ caracteres.

Probatur: Quia nec habet antiquitatem doctrinæ & originis, nec legitimam miſſionem, & Apoſtolicam ſucceſſionem in ſuis Paſtoribus.

Ac I. non habet antiquitatem doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ: tùm quia eam propugnant & renovant Novatores doctrinam, quam vetus & Apoſtolica Eccleſia in antiquis Hæreticis Simonianis, Pelagianis, Novatianis, Donatiſtis, Aerianis jam dudum proſcripſit. Momentum hoc fusè pertractatum lege apud Coccium in Theſauro Lib. 8. de ſignis Eccleſiæ, art. 3. & Bellarminum de Notis Eccleſiæ Lib. 4. cap. 9. Tùm quia fatentur ipſi Reformatores, ut ex Calvino mox audivimus Concluſione ſecunda, ſe in multis ab antiqua quinque priorum ſæculorum Eccleſia diſſentire.

II. Non habet etiam ſocietas Proteſtantium antiquitatem originis, cujus ſcilicet & auctor, & tempus quo nata eſt, & locus, & dogmata conſignari facilè poſſunt; quod in omnibus Hæreticis & Novatoribus obſervari poſſe declarant SS. Juſtinus in Dial. cum Tryphone, Irenæus L. 1. c. 23. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos in fine, verba laudavimus ſuprà Concluſione ſecunda, ubi de Catholicitate veræ Chriſti Eccleſiæ.

Præterea, cùm fateantur noſtri reformatores, ſe in communione Catholicorum ante ſuam ſeparationem vixiſſe, neceſſe eſt etiam ut fateantur, aut illam ſocietatem fuiſſe veram Eccleſiam; & tunc ſchiſmatis rei arguentur, cùm ab ea ſocietate receſſerint: aut ſe novam inſtituiſſe; & tunc originis ſuæ novitatem demonſtrabunt: aut alicui tandem, quæ antiquior eſſet, ſe adjunxiſſe. At nullam aſſignare poſſunt, cum qua conſortium & ſocietatem habere ſolliciti fuerint, aut cui ea obſequia, quæ veræ Eccleſiæ debentur ab Hæreticis recens converſis, præſtiterint.

III. Non

III. Non habet ſocietas Proteſtantium legitimam in ſuis Paſtoribus miſſionem, nec ordinariam, nec extraordinariam.

Non habent ordinariam: tùm quia vel hanc miſſionem ordinariam accepiſſent ab Eccleſia Romana in cujus communione vivebant, vel ab aliqua alia Eccleſia in cujus ſocietatem admiſſi ſunt: atqui neutrum dici poteſt. Non primum; vel enim Eccleſia Romana tempore primorum Reformatorum fuit hæretica, vel non fuit: ſi fuit hæretica; ergo non fuit vera Eccleſia, adeoque nec habuit poteſtatem regendi & Miniſtros mittendi; ac proinde nec eam poteſtatem quam non habebat, potuit in primos Reformatores transferre; neque potuerunt fieri legitimi Miniſtri, qui nonniſi ab Hæreticis ordinati fuiſſent: certum enim eſt ex tota antiquitate, Hæreticos omni ſemper auctoritate & juriſdictione in Eccleſia Chriſti privatos fuiſſe. Si verò non fuit hæretica; ergo Reformatores noſtri & hæretici fuerunt & ſchiſmatici, cùm & ipſius ſocietatem deſeruerint, & dogmata ejus fidei contraria profeſſi fuerint; adeoque eo ipſo omni auctoritate regendi Eccleſias & legitimos Miniſtros conſtituendi exciderint, quamvis in Catholica Eccleſia fuiſſent ordinati Epiſcopi.

Secundum etiam dici non poteſt: nullam enim proferre poſſunt Novatores ſocietatem à qua ſacrum Miniſterium acceperint, imò cui adjuncti fuerint. Tum quia ſi vel doctrinæ ſuæ principiis ſtare velint Reformatores, neceſſariò ſtatuere debent Calvinum aliosque ex ſuis in Eccleſia Catholica baptiſatos, miſſionis ordinariæ capaces non fuiſſe; quod oſtendo ex domeſticis Reformatorum principiis, ſcilicet. Quicunque non eſt baptiſatus, vel cujus Baptiſmus eſt invalidus, miſſionis ordinariæ omnino eſt incapax: atqui Calvinus, ſi ſequamur doctrinam Reformationis, vel non eſt baptiſatus, vel ejus Baptiſmus eſt invalidus. Nam quicumque baptiſatur per eum qui nec vocationem habet nec miſſionem, is vel non eſt baptiſatus vel ejus Baptiſmus eſt invalidus: atqui Calvinus baptiſatus eſt per eum qui nec vocationem habuit, nec miſſionem; ergo &c.

Major propoſitio hujus ſyllogiſmi eſt ipſamet doctrina Reformatorum: docent enim Baptiſmum adminiſtratum ab eo qui non habet vocationem vel miſſionem, eſſe nullum. Ita in Confeſſione Gallica articulo 31. & in Diſciplica Gallica cap. 11. art. 1. & Concilium Nationale Middelburgenſe reſponſione ad interrogationem 74.

Minor eſt etiam ipſorum doctrina: nam eorum Diſciplina Gallica vult iterum ordinari illos Sacerdotes, qui à nobis ab ipſos tranſeunt, quia nec licitum eſt nec conveniens audire Prædicatores Eccleſiæ Romanæ; quia, inquiunt, nullam habent juriſdictionem Eccleſiaſticam, eorumque vocatio illegitima eſt. Ita Diſciplina Gallica cap. 1. art. 2. & cap. 14. art. 12. Ita & Confeſſio Scotica articulo 22.

Non habent etiam miſſionem extraordinariam: hoc enim miraculis confirmari debet, qualis fuit miſſio Moyſis, Prophetarum, Apoſtolorum, Chriſti ipſius; aut ſaltem debuit in Scripturis talis miſſionis futuræ mentio fieri, ut nempe hoc pacto diſtinguantur qui verè mittuntur à Deo, ab intruſis. Etenim tanti momenti ſunt ea ad quæ ſe miſſos aſſerere debent Reformatores, ut niſi miraculis miſſionem hanc confirment, ſeductores & falſi prophetæ habeantur neceſſe eſt. Quatuor ſcilicet involvit hæc tam inſolens &

extraordinaria miſſio. 1. eos à Deo immediatè cum omni Epiſcoporum antiquorum auctoritate inſtitutos fuiſſe. 2. accepiſſe auctoritatem ubique terrarum reformatam doctrinam annuntiandi; Paſtores, qui eam populis proponerent, inſtituendi, alioſque in quacunque tandem ſecta fuerint, deponendi. 3. miſſos fuiſſe ut omnes ab antiquis Conciliis latas definitiones expenderent; & ſi quæ viderentur injuſtæ, prorſus abolerent. 4. ſtatim atque viſi fuerunt, & ſuam Reformationem prædicaverunt, omnes Chriſtianos, ſeu Romanos, ſeu Græcos, ſeu Armenos, ſeu Jacobitas aut Neſtorianos, eam amplecti debuiſſe. Atqui niſi miraculis comprobetur tam extraordinaria vocatio, quis non intelligit neminem eſſe qui non debeat eam rejicere?

IV. Non habet ſocietas Proteſtantium ſucceſſionem Apoſtolicam in ſuis Paſtoribus. Ubi, quæſo, erat Calviniana ſecta ante Calvinum? Ubi Lutherana, ante Lutherum? Ipſis igitur meritò dici poteſt, quod ſui temporis Hæreticis dicebat Tertullianus antea laudatus: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum*. Vel quod S. Cyprianus Epiſt. 76. ad Magnum de Novatiano, *Novatianus*, inquiebat, *in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ortus eſt*. Et infrà: *Paſtor haberi quomodo poteſt, qui (manente vero Paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccidanea præſidente) nemini ſuccedens, & à ſe ipſo incipiens, alienus fit & profanus?* Et Epiſtola ad Antonianum de Cornelio S.P. ſic habet: *Cornelius Epiſcopus factus eſt . . . . cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate atque omnium noſtrum conſenſione firmato, quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt*.

P. 151. Ibid. P. 68.

Solvuntur Objectiones adversùs ſecundam & tertiam Concluſionem.

Objicies contra ſecundam Concluſionem: Antiquitas argumentum eſt rei deficientis, & ad interitum ſuum vergentis; ergo ex illa duci non debet veræ Eccleſiæ perpetuæ & indeficientis nota.

Reſp. Ita quidem eſſe in rebus naturalibus, vel hominum arte & induſtria conſtitutis, quæ ſorti rerum humanarum obnoxiæ ſunt: at in Eccleſia, quæ à Deo ipſo conſtituta eſt, ac Spiritu ſancto regente & docente animatur, quæ habet perennitatis ac perpetuæ durationis divinas promiſſiones, iſta locum non habent; ac puerile planè eſt iſtud argumentum, & riſu potius excipiendum quàm ſeriò refellendum.

Objicies 2. Miniſtri Romanæ Eccleſiæ v.g. Summus Pontifex, Epiſcopi, non videntur legitimam habere miſſionem: ſiquidem S. Pontifex eligitur à Cardinalibus, qui ſunt inſtitutionis humanæ; Epiſcopi à Regibus eliguntur, imò olim neceſſarius erat populi conſenſus &c.

Reſp. ordinationem ab electione diſtingui debere; eliguntur quidem SS. Pontifices à Cardinalibus, eliguntur Epiſcopi à Regibus, ſed ordinantur ab Epiſcopis qui juris ſunt divini. Modus electionis Miniſtrorum ad diſciplinam, modus verò ordinationis per impoſitionem manus Epiſcoporum, ad divinam pertinet inſtitutionem.

Objicies 3. Succeſſio in Paſtoribus etiam non interrupta, non poteſt eſſe nota quæ veram Chriſti Eccleſiam diſtinguat; triplex etenim poteſt diſtingui

qui ſucceſſio, vel ratione loci, vel ratione perſonarum, vel ratione doctrinæ: atqui nulla ex his poteſt probare veram Chriſti Eccleſiam.

Non prima; Nam Eccleſia Chriſti certis locis & regionibus non eſt alligata; in quo differt à Synagoga Judæorum, quæ Templo Jeroſolymitano erat addicta. Hinc veri Petri ſucceſſores non ſemper Romæ ſederunt, ſed in Galliis Avenioni pluſquàm 70. annis.

Non ſecunda: Nam hæc ſucceſſio communis eſt pluribus aliis ſocietatibus quæ veræ Chriſti Eccleſiæ non ſunt; quales ſunt ſocietates Græcorum, Syrorum, Armenorum & Æthiopum, qui ſuarum Eccleſiarum longiſſimas ſucceſſiones enumerant.

Non tertia: Hoc enim ipſum eſt de quo controvertitur. Quærimus enim ubi ſit vera doctrina; non poteſt igitur indicari Eccleſia per illam doctrinæ ſucceſſionem.

Reſp. nego ant.

Ad primam probationem, dico ſucceſſionem Epiſcoporum Romanorum minimè interruptam fuiſſe cùm eorum aliqui Avenioni ſederunt. Sive enim Romæ ſint, ſive alibi SS. Pontifices, ſemper ſunt Petri ſucceſſores: quemadmodum cùm Roma aberant alibi degentes, ſeu tempore Ethnicorum Imperatorum, ſeu Alarico Gothorum Rege Romam capiente cùm ſedebat Innocentius I. vel Genſerico Urbem poſtea ſubigente ac depopulante tempore Vigilii; vel ſævientibus Longobardis, quorum tyrannicum in Romanos agendi morem ſuis paſſim Epiſtolis perſtringit S. Gregorius; vel denique cùm ætate S. Bernardi in Gallias ſeſe receperunt, ut refert S. ille Doctor Epiſtola 243. ad populum Romanum, & 244. ad Conradum Imperatorem.

Ad ſecundam, dico 1. jam pridem defeciſſe legitimam Paſtorum ſucceſſionem in Eccleſia Orientali. In Syria ab anno 768. abrupta fuit, Antiochiam occupantibus Mahumetanis: Jeroſolymis quoque ab anno 636. Recuperata quidem eſt poſt quingentos annos Terra ſancta, ſed iterum cum omni Syria in poteſtatem Infidelium reducta eſt. 2. Antequam extincta eſſet perſonalis illa ſucceſſio, jam hæreſes iſtas invaſerant; & Græci præter Schiſma quod ab aliquot ſæculis foverunt, & cujus in tribus Conciliis, Lateranenſi ſcilicet, Lugdunenſi & Florentino, convicti ſunt, in apertum etiam errorem contra proceſſionem Spiritus ſancti à Filio lapſi ſunt.

3. Nec putamus neceſſe ut ii qui ad veram Eccleſiam pertinent, ſuorum Paſtorum particularium ſucceſſionem continuam oſtendant; ſed ſatis eſt ſi ſucceſſionem Epiſcoporum univerſalium, qui ſunt Romani Epiſcopi, exhibeant: atque hanc ob cauſam in una Pontificum Romanorum collectione ſiſtebant veteres Epiſcopi; de illa principali ſucceſſione ſollicitì magis, quàm de ſua. Hinc nec Irenæus Lugdunenſes Præſules quos fuerat ſecutus, nec Euſebius Cæſareenſes ſuos deceſſores, nec Epiphanius Salaminenſes, nec Optatus Milevitanos, nec Auguſtinus Hypponenſes in medium adducunt; ſed communi conſenſu in uno ſolo Romanorum Antiſtitum albo inſcribendo conſpirant: ſatis illis erat Eccleſiæ illius principalis, cujus ſe membra eſſe gloriabantur, & unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, continuam ſucceſſionem enumerare.

Addit

T. 1. p. 74. col. 1. F. Addit Bellarminus, de Notis Eccleſiæ Lib. 4. cap. 8. argumentum à ſucceſſione legitima præcipuè à nobis adduci, ad probandum non eſſe Eccleſiam ubi non eſt hæc ſucceſſio; quod quidem evidens eſt: ex quo tamen neceſſariò non colligitur, ibi eſſe Eccleſiam, ubi eſt ſucceſſio. Itaque hoc argumento probamus evidenter non eſſe Eccleſiam apud Lutheranos, apud quos nulla eſt Epiſcoporum ſucceſſio.

Ad tertiam, dico doctrinam ſanam à ſucceſſione legitima ſeparari non poſſe, imò & in ipſa includi: ubi enim aliquis legitima ordinatione ſuccedit, nec à communione & doctrina, in qua ordinatus fuit, recedit, tunc neceſſariò ſanam profitetur doctrinam, utpote qui unitatem ſervat. Neque tamen ſanam illam doctrinam, quæ perpetua eſt legitimæ ſucceſſionis comes, aſſignamus ut notam dignoſcendæ veræ Eccleſiæ idoneam, ſed ipſam Paſtorum ſuccedentium ſibi legitimam vocationem & ordinationem: doctrina enim ipſa non loquitur, ſed à Paſtoribus legitimis docetur, ſive illa apertè in Scripturis contineatur, ſive ex aliqua Scripturæ interpretatione petatur, ſive denique ex ſola Traditione accipiatur.

Objicies 4. Nonne periit in ſocietate noſtra legitima ſucceſſio Epiſcoporum Romanorum, cùm in hanc Sedem intruſi ſunt viri in moribus corrupti, non diffitente ipſomet Baronio ad annum Chriſti 897.?

Reſp. ſolere hìc Novatores aliquorum Pontificum flagitia in apertam lucem proferre, ut invidiam Romanæ Sedi concilient; ſed quid inde conſequuntur? Nihil profectò. Ipſa enim Sedes ſancta eſt, ſancta & legitima ſucceſſio, licèt aliqui flagitiosè interdum vixerint. Supra Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi; quæ docent, non quæ faciunt imitanda. Neque in hos nonnullorum Pontificum corruptos mores conjicere oculos debent Chriſtiani, niſi ut divinam admirentur ac laudent providentiam & ſingularem protectionem, qua Romanam Sedem, non obſtante illa aliquorum ex ipſius Pontificibus morum corruptela ac depravatione, incolumem ſemper ac firmam conſervavit.

Objicies contra tertiam Concluſionem.

I. cum Calvino in præfatione Inſtitutionis: Eccleſia Reformatorum non eſt nova, ſed antiquiſſima; imò eſt illa ipſa quam Chriſtus fundavit, licèt per multa ſæcula non apparuerit, ſed poſterioribus tantùm temporibus viſa fuerit.

Reſp. & urgeo contra Reformatores noſtros, illud idem argumentum quo utebatur olim S. Auguſtinus Lib. 3. de Baptiſmo cap. 2. Aut illa Eccleſia
T. 9. p. 109. quæ nunc apparuit, antè perierat; vel non perierat, ſed tantùm latebat: atqui neutrum dici poteſt. Non primum: tùm quia ſi periit mater, quomodo renaſci potuiſſent filii? tùm quia undenam ipſi ortum habeant exponere non poſſunt; tùm quia falſæ eſſent promiſſiones Chriſti Matth. 16. v. 18. Non ſecundum: vel enim illa Eccleſia tunc latens profitebatur fidem ſuam, vel non profitebatur: ſi profitebatur, ergo non erat latens, ſed manifeſta; ſi verò manifeſta, quomodo nullus advertebat? Si non profitebatur, ergo nulla tunc erat Eccleſia; cùm ipſi contendant confeſſionem fidei notam eſſe veræ Eccleſiæ eſſentialem. Deinde, ſi tamdiu delituit Eccleſia, ut Calvino placet, ea certè pejoris fuit conditionis, quàm quælibet Hæreticorum Secta, atque etiam ipſe Judæorum populus poſt everſionem Jeroſolymæ: nulla

enim

enim eſt Hæreticorum Secta quæ ſua non habuerit templa, ſuos Epiſcopos, ſua Sacramenta; imò Judæi poſt everſam Jeruſalem aliquas habuere ſparſas hinc & inde Synagogas.

Objicies 2. Ante reformationem Eccleſiæ factam à Proteſtantibus, adeo corruptus erat ubique ejus ſtatus, ut jure potuerint imò & debuerint, vocatione ordinaria minimè ſpectata, meliores & docti quique reformationem Eccleſiæ inſtituere; neque neceſſe erat eos habere extraordinariam vocationem propriè dictam.

Reſp. 1. tali reſponſione viam aperiri omnibus hæreſibus: nullus quippe erit Novator qui non fingat ita corruptum eſſe Eccleſiæ ſtatum, ut debeat abſque ulla vocatione ordinaria vel extraordinaria ipſius reformationem aggredi: & hoc etiam hodie contendunt fanatici quidam Galli in Angliam transfugæ, qui jam temeritatis ſuæ ac factæ populis illuſionis pœnas dederunt.

Reſp. 2. Recentiores quoſdam ita quidem conari effugere; at non ita antiqua eorum doctrina. Confeſſio enim Gallica, quam ſequi debent omnes Calviniani, ſic habet articulo 31. *Credimus nulli fas eſſe propria ſua auctoritate invadere Eccleſię gubernacula, ſed opus eſſe legitima electione quoad fieri poteſt, & quamdiu Dominus permittit. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut noſtris etiam temporibus interrupto Eccleſiæ ſtatu, neceſſe fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui Eccleſiæ collapſæ ruinas inſtaurarent.*

Inſtabis cum Calvino: Etſi fateamur, inquiunt, propter defectionem Paſtorum, miſſionem ordinariam interruptam fuiſſe, atque adeo ad extraordinariam eſſe confugiendum, non tamen inferri debet, quòd ſi deſierint Paſtores continuò perituram Eccleſiam: neque enim promiſſio Chriſti de perpetuitate Eccleſiæ, neceſſariò importat perpetuitatem Paſtorum.

Reſp. Benè eſt quòd ſupponat & fateatur Calvinus Eccleſiam nunquam poſſe intercidere: ſed figmentum eſt cùm in perpetuitate Eccleſiæ, Paſtorum quoque perpetuam ſucceſſionem non includi aſſerit. Repugnat enim Confeſſioni Helveticæ quæ docet articulo 18. *A tempore Chriſti huc uſque fuiſſe in Eccleſia Paſtores non interrupta ſucceſſione*. Confeſſioni Saxonicæ, quæ articulo 12. diſertis verbis docet, *Miniſterium Eccleſię eſſe perpetuum.* Quin repugnat ipſimet Calvino, qui Lib. 4. Inſtitutionis c. 3. dicit, Ex ordinatione Chriſti ſublato Miniſterio perire ædificationem Eccleſiæ. Et ad caput 4. Epiſtolæ ad Epheſios dicit, *Paſtoribus nunquam poſſe carere Eccleſiam.*

Objicies 3. Ut probetur miſſio ordinaria in Paſtoribus Reformatorum, ſatis eſt quòd Lutherus, Calvinus & Zuinglius ordinati fuerint ab Eccleſia Romana per impoſitionem manuum Presbyteri: atqui reipſa ſic ordinati ſunt; ergo &c.

Reſp. Si à Romana Eccleſia poteſtatem ſuam acceperunt, ergo nullam habent, cùm ſocietas lapſa in idololatriam nullam habeat poteſtatem quam dare poſſit: ſi autem vera erat Eccleſia, cur ergo eam deſeruerunt? cùm altare contra altare erigi non poſſit abſque ſchiſmate. Deinde, ſi tunc Eccleſia poteſtatem habuit dandi Sacerdotii, certè & habuit auferendæ jurìſdictionis: ac proinde acceptam illam poteſtatem amiſerunt, cùm ab Eccleſia excommunicati ſunt.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS SEXTUS.

An vera Chriſti Eccleſia ſit Romana.

DUo hìc diſtinguenda: doctrina fidei, & morum diſciplina. Hæc verò duplex eſt: una univerſalis, quæ per omnes Eccleſias pervaſit, & ab omnibus obſervatur, quæ maximè locum habet in publica & ſolemni Sacramentorum adminiſtratione. Tales ſunt v.g. Exorciſmi in Baptiſmo; Communio ſub unica ſpecie in Euchariſtia; in Ordinatione, cælibatus majorum Clericorum ſaltem apud omnes Occidentales Eccleſias, & aliæ Sacramentorum cæremoniæ. Alia verò eſt diſciplina particularis, quæ ſpectat proprios Eccleſiarum particularium mores, uſus, ritus, jura, privilegia, immunitates, libertates.

Catholica porrò Chriſti Eccleſia dicitur Romana, tùm à diſciplina illa generali, tùm maximè ab ipſa fide, quæ una eſſe debet cum Romana in omnibus & ſingulis Eccleſiis; non verò à diſciplina particulari, quæ ſalva fide diverſa eſſe poteſt ac diſcrepans: ſua etenim unicuique Provinciæ jura ſervanda eſſe ſtatuit Concilium Epheſinum Actione 7. *Placuit igitur ſanctæ & œcumenicæ Synodo, ut unicuique Provinciæ pura & inviolata, quæ jam inde ab initio habuit, ſua jura ſerventur, juxta veterem conſuetudinem.* (To. 3. Conc. p. 801.)

Et S. Hieronymus Epiſtola 52. aliàs 28. *Unaquæque Provincia*, inquit, *abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* (To. 4. part. 2. p. 579.)

Denique S. Gregorius Magnus Lib. 1. Epiſtola 43. aliàs 41. *In una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa.* (T. 2. p. 532. B.)

Eccleſia igitur Romana dicitur, tùm propter fidem quam Petrus & Paulus Romæ prædicarunt ac ſuo conſecrarunt ſanguine, quam conſtanter Romana retinuit Eccleſia, & omnes Catholici ſequi ac profiteri tenentur: tùm propter Sedis Romanæ ſingularem auctoritatem ac præeminentem dignitatem: tùm denique propter unitatem & Catholicam Communionem, cujus Sedes Romana origo eſt, centrum ac vinculum. Sit itaque

CONCLUSIO.

Eccleſia Chriſti Catholica verè Romana eſt, ac eſſe debet.

Probatur hoc duplici generatim momento.

Primo: Romana Eccleſia ab Apoſtolis Petro & Paulo fundata eſt ac eorum ſanguine conſecrata, fidemque ab ipſis annuntiatam conſtanter retinuit, quam ab ipſa cæteræ per orbem Eccleſiæ recepere. Inde fluxit ſingularis ipſius ſupra cæteras Eccleſias dignitatis & auctoritatis prærogativa; inde aliarum Eccleſiarum mater ac magiſtra dicta.

Secundo: Eccleſia Romana centrum eſt ac vinculum Catholicæ Communionis, atque apud Veteres conjunctio cum Sede Romana ſeu Apoſtolica, ſemper habita eſt pro nota veræ atque Catholicæ Eccleſiæ.

PRIMUM MOMENTUM.

Sedes Petri Roma.

Primò itaque conſtans eſt veterum Traditio, Petrum & Paulum veniſſe Romam, ibique fidem Chriſti diſſeminaſſe, quam proprio ſanguine obſignarunt. Ita

Tertullianus Libro de Præſcriptionibus cap. 36. *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adequatur.* Et Libro 4. adversùs Marcionem cap. 5. *Videamus .... quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum relinquerunt.* P. 215. A. P. 415. D.

S. Irenæus Lib. 3. adversùs hæreſes cap. 3. *Maxima*, inquit, *& antiquiſſima, & omnibus cognita, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſtituta Eccleſia.* Et cap. 1. dixerat: *Cùm Petrus & Paulus Romæ evangeliſarent.* P. 175. P. 174.

S. Cyprianus Epiſtola 52. ad Antonianum. *Factus eſt Cornelius Epiſcopus.... cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* P. 68.

Euſebius Lib. 3. Hiſt. cap. 4. *Linus primus poſt Petrum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum adeptus eſt.* P. 74. A.

Et in Chronico anni 44. à Chriſto nato. *Petrus*, inquit, *Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans 25. annis ejuſdem urbis Epiſcopus perſeverat.*

Idem Euſebius Lib. 2. Hiſt. cap. 25. *Paulus*, inquit, *Romæ truncatus, Petrus verò cruci ſuffixus fuiſſe, eodem* (Nerone) *regnante traduntur. Quam quidem narrationem abundè confirmant Petri Paulique nomine inſignita monumenta, quæ in urbis Romæ cæmeteriis etiamnum viſuntur. Sed & Caius quidem vir Catholicus qui Zephirini Romanæ urbis Epiſcopi temporibus floruit, in eo Libro quem ſcripſit adverſùs Proculum patronum ſectæ Cataphrygarum, de loco in quo prædictorum Apoſtolorum ſacra corpora depoſita ſunt, ita loquitur: Ego verò, inquit, Apoſtolorum trophæa poſſum oſtendere. Nam ſive Vaticanum, ſive ad Oſtienſem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum qui Eccleſiam illam fundarunt.* P. 67. C. D.

S. Hieronymus de Viris illuſtribus, de Petro. *Petrus ſecundo Claudii anno Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, uſque ad ultimum annum Neronis.* To. 4. Part. 2. p. 101.

S. Ambroſius Lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Petrus Apoſtolus*, inquit, *qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ.* T. 2. p. 363. B.

S. Auguſtinus Lib. 2. contra Litt. Petiliani c. 51. n. 118. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit?* T. 9. p. 254. G.

Optatus Milevitanus Lib. 2. adversùs Parmenianum n. 2. *Negare non potes*, inquit, *ſcire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatum, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus...... in qua una Cathedra, unitas ab omnibus ſervaretur. Ergo Cathedram unicam, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus: cui ſucceſſit Linus &c.* Et n. 9. *Probatum eſt nos* P. 18. P. 33.

Digitized by Google

eſſe in Eccleſia ſancta Catholica, apud quos & Symbolum Trinitatis eſt, & per Cathedram Petri quæ noſtra eſt.

Edit. Colon. p. 583. Oroſius Lib. 7. Hiſt. cap. 6. *Exordio Claudii Imperatoris, Petrus Apoſtolus Romam venit, & ſalutem cunctis fideli verbo docuit.*

Sulpitius Severus Lib. 2. Hiſt. ubi de prima Neronis perſecutione. *Eo tempore,* (Neronis) inquit, *divina apud urbem* (Romanam) *Religio invaluerat, Petro ibi Epiſcopatum gerente.*

Plura in rem apud omnes Catholicos certam & exploratam teſtimonia congerere ſuperfluum prorſus videtur.

Ex illa porrò fixa Petri Sede in urbe Roma promanavit ſingularis illa Eccleſiæ Romanæ ſupra cæteras Eccleſias honoris & juriſdictionis prærogativa: quam enim Petrus primatus præeminentiam in alios Apoſtolos à Chriſto acceperat, hanc ipſe Sedi ſuæ Romanæ ſuiſque in ea Succeſſoribus tranſmiſit & communicavit. Ita communi ſuffragio univerſa docet Eccleſiæ Traditio.

P. 59. S. Cyprianus Epiſtola 45. ad Cornelium ait, *Romanam Eccleſiam radicem eſſe ac matricem Eccleſiæ Catholicæ.*

P. 84. Et Epiſtola 55. ad eundem ait, *eam eſſe principalem Cathedram, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.... ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum.* Jam

P. 79. ſuprà dixerat, *non aliunde obortas hæreſes aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.*

P. 215. A. Tertullianus mox laudatus de Præſcript. cap. 36. ubi ait. *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis authoritas præſto eſt.*

S. Irenæus Lib. 3. adversùs hæreſes cap. 3. *Ad hanc Eccleſiam* (Romanam)

P. 175. *propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.*

T. 2. p. 91. E. S. Auguſtinus Epiſtola 43. aliàs 162. *Eccleſia Romana,* inquit, *in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.*

S. Proſper Lib. 2. de Vocat. gent. cap. 16. *Roma,* inquit, *per Apoſtolici Sa-*

P. 905. D. *cerdotii principatum amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio poteſtatis.*

T. 3. p. 989. C. Theodoretus Epiſtola 116. *Habet ſanctiſſima illa Sedes Eccleſiarum quæ in toto orbe ſunt principatum.*

S. Fulgentius Lib. de Incarn. & Grat. cap. 11. num. 21. ſic loquitur:

P. 298. *Quod duorum magnorum luminarium, Petri ſcilicet Paulique verbis, tanquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumque decorata corporibus Romana, quæ mundi cacumen eſt, tenet & docet Eccleſia, totùſque cum ea Chriſtianus orbis, & ad juſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri.*

Atque inde Romanis Pontificibus quàm multa, quàm gravia & immenſa incumbunt officiorum genera! Eorum eſt omnium Eccleſiarum curam & ſollicitudinem habere; invigilare Canonum executioni per ſingulas Eccleſias; ab iis, ſi neceſſitas & utilitas Eccleſiæ poſtulat, diſpenſare; de controverſiis fidei pronuntiare; reſpondere ad Epiſcoporum conſulta, eorum ſolvere dubia; majores eorum cauſas cognoſcere ac judicare; Conciliorum decreta confirmare; omnibus fidelibus fidei & morum regulam proponere.

Juvat

Juvat hìc referre egregium in laudem & commendationem Romanæ Sedis teſtimonium excerptum ex Epiſtola trium Africæ Conciliorum, Numidiæ Byzaceni, & Mauritaniæ, ad Theodorum Papam, quæ lecta fuit Seſſione, ſeu Secretario ſecundo Concilii Lateranenſis ſub Martino I. S. Pontifice an. 649. in cauſa Monothelitarum. *Magnum*, inquiunt, *& indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem, apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter, univerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum, cui etiam in honore beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino & ſollicitè debent, maximè verò juſtèque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico, cujus vetuſta ſollicitudo eſt tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo poſitis ageretur Provinciis, non priùs tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juxta quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta ſalutis.* To. 6. Conc. p. 128. B. C.

Joannes VIII. S. Pontifex in Epiſtola 75. ad Michaelem Regem Bulgarorum. *Credimus*, inquit, *quòd jam vos non lateat, nunquam Apoſtolicam B. Petri Sedem ab aliis Sedibus reprehenſam, cùm ipſa alias omnes, & præcipuè Conſtantinopolitanam ſepiſſimè reprehendens, aut ab errore liberaverit, aut certè in his qui reſipiſcere noluerunt, ſententiæ ſuæ judicio condemnaverit. Noli ergo ſequi Græcos, fili chariſſime, quia argumentis ſemper fallacibus ſtudent, ſemper doloſis intendunt verſutiis.* Et Epiſtola 76. loquens de S. Petro. *Ad hanc*, inquit, *Romanam urbem poſt Antiochiæ, quam in tranſitu viſitavit, fundatam Eccleſiam, tanquam ad mundi dominam properavit ..... Pro hac itaque puriſſima fide B. Petrus Romæ moratus, in hac ſtabilivit Eccleſiam, & Sede Apoſtolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis aſſumpſit: ſicque ſanctam Romanam Eccleſiam in hac fide fundatam proprio ſanguine ..... conſecravit, & dedicavit .... Sicut aqua nunquam poteſt alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, ſicut in Eccleſiæ noſtræ vivario.* To. 9. Conc. p. 60. C. Ib. p. 62. A. Ibid. B. Ibid. C.

Hincmarus Remenſis Lib. de prædeſt. cap. 24. *Piis, devotis atque Catholicis hoc poteſt & hoc debet ſufficere, quod omnium Eccleſiarum mater ſancta Catholica atque Apoſtolica docet Romana Eccleſia. Ipſa enim ut mater nos Chriſto genuit, nos religione nutrivit, nos doctrina inſtruxit: nos ſicut in ſancto Petro à Chriſto firma petra accepit, doctores inſtituit, & Catholico lacte nutritos, & ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informavit.* T. 1. p. 152.

S. Petrus Chryſologus Epiſt. ad Eutich. *Hortamur te, frater honorabilis, ut iis quæ à beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit & præſidet, preſtat quærentibus fidei veritatem.* Edit. Bonon. p. 25.

Denique, ut multos alios prætermittamus, S. Bernardus Epiſt. 190. *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri Apoſtolatum, pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquan-* To. 1. pa. 643. E.

Digitized by Google

quando dictum eſt, Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua?

Ex his omnibus intelligitis, opinor, Romanam ſeu Apoſtolicam Sedem, tanquam Caput cæteris Eccleſiis dignitate, auctoritate, fidei conſtantia præeminere; præcipuas Orientis Eccleſias variis hæreſeon procellis diu agitatas, tandem triſte in fide naufragium feciſſe, Romanam verò in ea, quam ab Apoſtolis Petro & Paulo accepit, firmiter ac conſtanter ad hanc uſque diem
P. 176. perduraſſe: *In qua*, dicebat Irenæus Lib. 3. contra hæreſes c. 3. *conſervata eſt ea quæ ab Apoſtolis eſt Traditio*. De qua Hieronymus Libro 3. adveſus Rufinum: *Scito*, inquit, *Romanam fidem, Apoſtolica voce laudatam, iſtiuſmodi præ-*
To. 4. part. 2. *ſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt*. Et
p. 449. Epiſtola 41. aliàs 65. ad Pammachium: *Quiſquis aſſertor novorum dogmatum,*
Ibid. p. 346. *quæſo te ut parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtoli voce laudata eſt*.
T. 14. Conc. p. 778. F. Conſtantem iſtam ac perpetuam Eccleſiæ traditionem intuebatur Synodus Tridentina ſeſſ. 7. de Baptiſmo Can. 3. ubi Romanam Eccleſiam vocat *matrem & magiſtram aliarum Eccleſiarum*.

SECUNDUM MOMENTUM.

Neceſſitas communionis cum Romana ſeu Apoſtolica Sede.

Cùm Romana ſeu Apoſtolica Sedes centrum ſit ac vinculum unitatis & communionis Catholicæ, nemo Catholicus haberi poteſt, niſi qui unitate fidei ac doctrinæ cum ea conjunctus fuerit.

Conjungi verò poteſt, vel interna ſimul & externa, vel tantùm externa unione. Utriuſque unionis vinculo cum ea colligantur, qui intùs & in animo eandem cum ipſa fidem ac doctrinam retinent, quam profitentur exteriùs: qui verò intus & animo ab ejus fide ac doctrina diſſentiunt, nec tamen ſcindunt unitatem, iiſdem externis Sacramentorum vinculis conſtricti, quales ſunt omnes hæretici occulti, ii externam dumtaxat ac ſenſibilem unionem retinent, non internam. Nomen quidem habent illi quòd vivant; ſed mor-
T. 9. p. 93. C. D. tui ſunt, ſpiritu vitæ interiùs deſtituti. *Semper ab illius Eccleſiæ quæ ſine macula & ruga eſt, unitate diviſus eſt*, ait S. Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. *etiam qui congregationi Sanctorum in carnali obduratione miſcetur*. Et verò ſicut ille qui injuſtè à corpore Eccleſiæ præciſus eſt, intus tamen fidem & charitatem ſervat, verè ad unitatem Eccleſiæ pertinet; ita ab ea diviſus eſt, qui internè propter diverſam fidem ac doctrinam ab ea disjungitur, tametſi exteriùs ſervet unitatem.

Eccleſia autem, quæ ſocietas eſt externa & ſenſibilis, de externa dumtaxat unione ſeu communione judicat, non de interna. Utraque verò unio cum Eccleſia Romana ſemper neceſſaria fuit, omnibuſque ſæculis ſpectata tanquam certiſſimum veræ fidei ac purioris doctrinæ ſignum & argumentum. Ita teſtantur

Tertullianus Lib. de Præſcript. cap. 30. de Marcione ac Valentino ſic loqui-
P. 212. C. tur. *Ubi tunc Marcion, Ponticus Nauclerus, Stoicæ ſtudioſus? Ubi Valentinus Platonicæ Sectator? Nam conſtat illos, neque adeo olim fuiſſe, Antonini ferè principatu, & in Catholicæ primò doctrinam crediſſe apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii*. Doctrinæ, quam primò profeſſi ſunt Marcion

& Va-

& Valentinus, veritatem inde oſtendit Tertullianus, quòd eam in Romana Eccleſia profeſſi fuerint.

S. Irenæus jam ſæpius hic laudatus Lib. 3. cap. 3. *Ad hanc Eccleſiam*, inquit, P.175. *propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.*

S. Cyprianus Epiſt. 45. ad Cornelium. *Placuit .... ut per omnes omnino iſtic* P.59. *poſitos Epiſcopos Litteræ fierent, ut te univerſi Collegæ noſtri & communicationem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ unitatem, pariter & charitatem probarent firmiter ac tenerent.* Idem eſt Cypriano unitatem Eccleſiæ Catholicæ ſervare, ac communione cum Cornelio tunc Pontifice Romano conjungi.

Et Epiſtola 52. ad Antonianum initio: *Scripſiſti etiam*, ait, *ut exemplum ea-* P.66. *rundem Litterarum ad Cornelium tranſmitterem, ut ſciret te ſecum, hoc eſt, cum Catholica Eccleſia communicare.* In mente S. Martyris, communicare cum Romano Epiſcopo idem eſt ac communicare cum Catholica Eccleſia.

S. Ambroſius Oratione ſeu Libro de exceſſu fratris ſui Satyri n.47. *Advocavit*, inquit, *ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit niſi vere fidei gratiam, per-* To.2.p. *contatuſque ex eo eſt utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana* 1127.E. *Eccleſia conveniret?* Adeo ſcilicet Catholicorum omnium animis altè inſederat hæc ſententia, ſocietatem & communionem cum Romana Eccleſia neceſſariam eſſe, ut quis Catholicus audiri poſſet.

S. Hieronymus Epiſtola 16. ad Damaſum S. Pontificem de hypoſtaſis nomine, an ſcilicet una, vel tres in Deo hypoſtaſes dicendæ ſint. *In tres partes*, inquit, *ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat .... Ego interim clamito, Si quis Ca-* To.4.P. *thedre Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe* 2.p.42. *dicunt, poſſem credere ſi hoc unus aſſereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.*

Et Epiſtola 14. ad eundem de eodem argumento dixerat: *Ego.... Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram, ædifi-* Ib.p.19. *catam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt .... Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Et in Epitaphio Marcellæ, ſcribit S. Athanaſium & ejus ſucceſſorem Petrum, Alexandrinos Epiſcopos, perſecutionem Arianæ hæreſeos declinantes, tanquam ad tutiſſimum ſuæ communionis portum, Romam confugiſſe.

S. Optatus Milevitanus Lib. 2. de Schiſmate Donatiſtarum: *Igitur negare* P.28. *non potes ſcire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus .... in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent ... Ergo Cathedram unam, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens... Damaſo Siricius, hodie qui noſter eſt ſocius; cum quo nobiſcum totus orbis commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat. Veſtre Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.*

Frequens erat apud Veteres illarum formatarum Litterarum uſus, quibus una conſtabat & declarabatur Eccleſiæ totius communio, per communionem ſcilicet Epiſcoporum cum Romano Pontifice. Omnes etenim fideles, ſicut obſervat Albaſpinæus in Notis ad Optatum, cum ſuis Paſtoribus in Miſſæ Sacrificio communicabant; Paſtores autem cum ſuis Epiſcopis, aut per Eulogias quæ ad eos mittebantur, aut per Diaconos, aut denique in Synodis commu-

nionem celebrabant ; Epiſcopi denique per Litteras communicatorias cum S. Pontifice commercium habebant. Quin & ſæpe Litteras etiam communicatorias ſibi invicem ſcribebant Epiſcopi, ut iis perfectior communio denotaretur; ita ut haberentur Schiſmatici, qui fidei ſuæ rationem his publicis teſtimoniis non confirmabant.

Ita S. Baſilius Epiſtola 75. cùm probare vellet, ſe Catholicæ Eccleſiæ membrum eſſe, non alio, quàm illarum Litterarum argumento id confirmabat. *Epiſcopi*, inquiebat, *totius orbis Litteras ad nos mittunt, & vi-*
Ed.vet. *ciſſim à nobis recipiunt : ex quibus cognoſcere poteſtis, quòd unanimes omnes*
To.2.p. 895.A. *eodemque ſenſu prædîti ſimus.*

B. Ita S. Auguſtinus Epiſtola 44. aliàs 163. refellens Fortunium quemdam Donatiſtam Epiſcopum, qui affirmabat communionem ſuam ubique terrarum diffuſam eſſe: *Quærebam*, inquiebat ſanctus Doctor, *ab eo, utrum Epiſtolas*
To.2.p. *communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet, quò vellem dare; & affirma-*
102.B. *bam, quod manifeſtum erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari poſſe quæſtionem. Parabam autem, ut ſi conſentiret, ad illas Eccleſias à nobis tales Litteræ mitterentur, quas in Apoſtolicis auctoritatibus pariter legeremus illo jam tempore fuiſſe fundatas.*

Et in Epiſtola 43. aliàs 162. docet vel hoc uno probari poſſe Cæcilianum, quem Donatiſtæ tam durè exagitabant, innocentem eſſe, nihilque timendum habere, quòd Romanæ Eccleſiæ cæteriſque per orbem Epiſcopis per Litteras communicatorias conjunctus foret; ipſos verò Donatiſtas, qui ab unitate Catholica receſſerant, hujuſmodi Litteras recipere ampliùs non poſſe. *Qui poſ-*
Ibid.p. *ſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum*, ajebat ſanctus Doctor,
91.D. E. *cùm ſe videret Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus . . . . per communicatorias Litteras eſſe conjunctum.*

To.9.p. Idem ſanctus Doctor in Pſalmo contra partem Donati ait: *Venite fratres,*
7.D. *ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt, cùm vos videamus præciſos ita jacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte: Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Sermone 2. in Pſal. 101. n. 8. *Deus unus eſt*, inquit, *Eccleſia unitas. Non reſ-*
To.4.p. 1105. *pondet uni niſi unitas.* Fieri autem non poteſt ut Eccleſia ſit una, niſi illi mul-
C. ti qui rectè credunt, in unitatem unius Eccleſiaſtici corporis coaleſcant. *Da enim unum*, ait rurſum Sermone 103. aliàs 26. de verbis Domini, *& populus*
To.5.p. *eſt: tolle unum, & turba eſt.* Hanc verò fidelium ſibi cohærentium unitatem
538.A. charitas facit, quæ hoc ipſo rumpitur, & corpus laceratur, quo membra pertinaciter incipiunt vel diverſa credere, vel eadem credendo ſeorſum ab illo toto ſeparata ſibi conventicula conſtituere. Illud hæreſim, quæ ſine ſchiſmate eſſe non poteſt; hoc propriè dictum ſchiſma facit. Unde utrique malo Apoſtolus mederi cupiens, *Obſecro*, inquit, *vos fratres, ut id ipſum dicatis om-*
1. Cor. 1.v.10. *nes*, docendo atque credendo, *& non ſint in vobis ſchiſmata.*

S. Leo Epiſtola 10. aliàs 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ: *Hujus muneris*, inquit, *ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium per-*
To.1.p. 428. *tinere voluit, ut in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocarit; & ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velit in corpus omne manare, ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.*

Theo-

Theodoretus Lib. 5. Hiſt. cap. 3. egregiè confirmat unionem fidei ac doctrinæ cum Pontifice Romano neceſſariam eſſe, ac verum ſignum doctrinæ purioris. Sic loquitur occaſione diſſidii quod erat inter Paulinum & Meletium circa regimen Eccleſiæ Antiochenæ. Affirmabat Paulinus ſe Damaſi partium eſſe . . . . *Flavianus verò ille ſapientiſſimus, qui in Presbyterorum adhuc numero cenſebatur, primò quidem ad Paulinum, Magiſtro audiente, ſic eſt locutus: Si Damaſi communionem amplecteris, ò amice, tuæ nobis & illius doctrinæ conſenſum apertè demonſtra . . . . Quare dogmatum oſtende concordiam, & Eccleſias ſecundùm legem capeſſe. Deinde . . . ad Apollinarem converſus, Demiror te, inquit, ò amice, tam impudenter repugnare veritati, idque cùm exploratum habeas Damaſum perfectam à Deo Verbo aſſumptam eſſe naturam noſtram profiteri . . . Quòd ſi hæc accuſatio noſtra falſa eſt, vel nunc ſaltem probatam abs te novitatem ejura, & Damaſi doctrinam amplectere; tum divinas ædes accipe.* Videtis hìc communionem cum Damaſo æſtimari ex conſenſione ejuſdem cum ipſo doctrinæ. Qui ergo à ſententia & doctrina Sedis Apoſtolicæ recedunt, ii communione Catholica ſaltem interna cum Apoſtolica Sede non fruuntur. To. 3. p. 707. C.

Accedit & auctoritas Concilii Conſtantinopolitani IV. an. 869. ſic loquitur Actione 1. *Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem & obſervantes ejus omnia conſtituta, ſperamus ut in una communione quam Sedes Apoſtolica prædicat eſſe mereamur, in qua eſt integra & vera Chriſtiana Religionis ſoliditas: promittentes etiam, ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria.* Videtis rurſum idem eſſe à communione Eccleſiæ Catholicæ extorrem fieri, ac non conſentire Sedi Apoſtolicæ. *His,* ait Bellarminus L. 4. de notis Eccleſiæ cap. 10. *adde experientiam. Videmus etiam omnes illas Eccleſias, quæ ab iſto Capite* (R. Pontifice) *ſe diviſerunt, tanquam ramos præciſos à radice continuò aruiſſe. Certè Eccleſiæ Aſiaticæ & Africanæ, quæ quondam ita florebant, ut numeroſiſſima Concilia celebrarent, & ſemper haberent multos homines, vel doctrina, vel ſanctitate, vel utroque Dei munere clariſſimos, ab eo tempore, quo à Romana Eccleſia ſchiſma fecerunt, nulla Concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines fama ſanctitatis aut doctrinæ toti orbi notos, & nunc in ſumma ignoratione verſantur.* Tom. 8. Conc. p. 989. C. To. 2. p. 79. col. 1. C.

Denique, cùm Eccleſia una ſit, atque res quælibet eò perfectior habeatur, quò propiùs tendit ad unitatem, neceſſe prorſus eſt unum aliquod in Eccleſia ſit commune centrum, in quo multitudo fidelium quaſi totidem lineæ colligantur & adunentur: aliàs declinari vix poterit periculum illius diſſenſionis ac ſchiſmatis, de quo conquerebatur Apoſtolus 1. Corinth. 1. v. 12. cùm varii, quiſque pro affectu ſuo, dicerent, *Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* Ut enim ſcitè omnino & appoſitè diſcurrit Barlaamus Hieracenſis apud Græcos Epiſcopus, in Epiſtolis quas verſùs annum 1303. de unione utriuſque Eccleſiæ ſcripſit: *Omnis multitudo ordine per ſe caret, niſi reducatur ad unum principium; pluralitas enim principiorum & carentia principii, ſimilis ſunt inordinationis. Hujus quidem gentis* (Romanæ) *univerſa multitudo ſub uno eſt ordinata principio, Eccleſia videlicet Romana & ejus Præſule, quem omnes honorant.* Epiſtola verò 2. oſtendit, rem quamlibet eò perfectiorem eſſe, quò magis ad unitatem accedit; & quæ longiùs à Bibl. PP. T. 26. p. 5. F.

Reſp. 1. Eo in caſu pertinent illi ad eam Eccleſiæ partem quæ nobilior eſt; animam ſcilicet, tametſi à corpore ſeu ſocietate fidelium viſibili excluſi ſint: de hujuſcemodi fidelibus audiendus eſt ſanctus Auguſtinus Lib. de vera Religione cap. 6. nu. 11. ubi ſic loquitur. *Sæpe etiam ſinit divina providentia, per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam ſuam cùm patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu & quanta ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus; aut ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis aut ſævior oriatur, tenent voluntatem conſulendi, etiam eis ipſis quorum motibus perturbationibuſque ceſſerunt, ſine ulla conventiculorum ſegregatione uſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juvantes eam fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt: imò plura ſunt quàm credi poteſt.* To. 1. p. 751. A.

Et Libro 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. *Semper ab illius Eccleſiæ, quæ ſine macula & ruga eſt, unitate diviſus eſt, etiam qui congregationi Sanctorum in carnali obduratione miſcetur. De nullo tamen deſperandum eſt, ſive qui intus talis apparet, ſive qui foris manifeſtiùs adverſatur. Spiritales autem ſive ad hoc ipſum pio ſtudio proficientes, non eunt foras: quia & cùm aliqua vel perverſitate vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm ſi intus permaneant, cùm adversùs Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida unitatis petra fortiſſimo charitatis robore radicantur.* To. 6. p. 93. C. D.

Dices 4. Cùm vacat Sedes Romana vel per mortem, vel per abſentiam Summi Pontificis aliò tranſmigrantis, vel per ſchiſma multorum de Pontificatu contendentium, qua ratione ſervari poteſt communio cum Eccleſia Romana?

Reſp. Ubicumque degat legitimus Romanus Pontifex, ibi Romana Sedes eſt & agnoſcenda. Eo autem mortuo, Sedes ſeu Cathedra principalis, Romana ſcilicet, remanet, in qua S. Petrus ſedem fixit, & à cujus communione recedere non licet. Cùm verò tempore ſchiſmatis dubius & incertus eſt legitimus Pontifex, Cathedræ Petri eo animo ita inherendum ſemper, ut paratus ſis futuro legitimo Pontifici obtemperare.

ARTICULUS VII.

De viſibilitate Eccleſiæ.

Obſervandum 1. Eccleſiam Chriſti duobus modis conſiderari poſſe. 1. ſecundùm ſuum ſtatum interiorem, ſeu ſecundùm eam partem quam nominamus animam Eccleſiæ, quatenus nempe dicit ſocietatem eorum qui veræ fidei in Chriſtum & ſinceræ charitatis vinculo inter ſe conjuncti ſunt: atque hoc ſenſu tota inviſibilis eſt, ac ſoli Sancti & juſti ad eam ut viva & vera membra pertinent. 2. ſecundùm ſuum ſtatum exteriorem, ſeu ſecundùm corpus, & quatenus ſocietas eſt eorum, qui publica ejuſdem fidei profeſſione, eorum-

dem Sacramentorum, & Paſtorum communione conjuncti ſunt: atque hoc ſenſu certum eſt viſibilem eſſe ac conſpicuam Eccleſiam.

Verùm quæſtio eſt utrum eſſentialiter ſit viſibilis & conſpicua, non tantùm eo ſenſu quòd oculis intuetium poſſit obſervari: hoc enim modo nulla eſt aut fuit unquam Hæreticorum ſecta, quæ aſpectabilis non fuerit; ſed ita ut etiam inter omnes alias ſocietates eminenti quadam, conſtanti & ſingulari claritate per totum orbem ſplendida ſemper & conſpicua fuerit: neque filiis dumtaxat & domeſticis, à quibus neceſſe eſt eam dignoſci; (ſiquidem eandem inter ſe fidem non poſſunt profiteri, niſi cognoſcant Eccleſiam in cujus ſinu eam profitentur) ſed etiam extraneis, & iis qui ſunt extra ejus ſinum & ſocietatem.

Obſervandum 2. non unam & eandem ſemper fuiſſe Reformatorum noſtrorum ſententiam circa perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem.

Primò, Lutherani viſibilem illam eſſe & quidem viſibilitate permanenti aſſeruerunt initio Reformationis, ut patet ex Confeſſione Auguſtana articulo 7. ubi profitentur *ſe credere unam ſanctam Eccleſiam, quæ in perpetuum duratura eſt, eamque eſſe ſocietatem Sanctorum, in qua rectè annuntiatur Evangelium, & adminiſtrantur Sacramenta.* Ubi certè doctrina per Paſtores perpetuò annuntiata, & Sacramenta rectè adminiſtrata eam efficiunt perpetuò viſibilem. Idem habetur in Apologia ejuſdem Confeſſionis, titulo de Eccleſia, ubi & hunc articulum explicat Melancthon, & addit, *illam Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis, ſeque non impugnare Eccleſiam Catholicam aut Romanam, aut errores ab ea proſcriptos defendere; verùm doctrinam Eccleſiæ Romanæ non eſſe eam quam approbant aut Papa, aut Cardinales, aut Sacerdotes & Monachi.* Idem docent in articulis Smalcaldenſibus, quibus ſubſcripſit univerſa Lutheranorum ſecta. Idem in Confeſſione Saxonica cap. de Eccleſia. Et in Confeſſione Vvittembergenſi cujus auctor fuit Joannes Brentius cap. de Eccleſia. Et in Confeſſione Bohemica quam approbavit ipſe Lutherus.

Tom. 2. Variat. p. 381.

Calviniſtæ idem quoque initio docuerunt, ut patet ex Confeſſione fidei Argentinenſi cap. 15. & 16. Ex Confeſſione Baſileenſi an. 1536. articulis 13. & 14. Ex Confeſſione Helvetica an. 1566.

Secundò, docuerunt viſibilitatem Eccleſiæ non eſſe perpetuam, ſed aliquando Eccleſiam eſſe inviſibilem; quia, ut obſervat Jurius in ſyſtemate Eccleſiæ pag. 226. cum urgerentur à Catholicis petentibus ubinam erat Eccleſia Reformatorum antè annos 150. (Si enim, inquiebant illi, vera Eccleſia eſt ſemper viſibilis, ſequitur Lutheranorum & Calviniſtarum ſocietatem non eſſe veram Eccleſiam, cùm tunc non eſſet viſibilis.) ex ea difficultate ut ſe ſe expedirent Novatores, aſſeruerunt eam quidem viſibilem eſſe, ſed ita tamen ut fermè extincta fuerit certis temporibus. Ita præſertim Calviniſtarum Eccleſiæ in Gallia, ut patet tùm ex eorum Catechiſmo Dominica 15. tùm ex Confeſſione art. 31. tùm ex ipſo Calvino in præfatione Inſtitutionis; tùm ex Claudio in defenſione Reformationis. Quamquam nec firmi ac conſtantes fuerint in illa ſententia, quorum variationes videri poſſunt apud illuſtriſſimum Boſſuetium Meldenſium Epiſcopum in Hiſtoria Variationum Lib. 15. Jurius ipſe Lib. 1. de vero ſyſtemate fidei, & vera fidei analyſi cap. 25. & ſeq. probat non tantùm Eccleſiam Chriſti eſſe eſſentialiter viſibilem; ſed etiam contra aliquos è ſuis, nunquam ita latuiſſe & obſcura-

tam

tam fuiſſe, ut per aliquod tempus fuerit ſine Miniſtris, ſine Sacramentis, ſine prædicatione veritatis. Probat ipſam perpetuò fuiſſe viſibilem & conſpicuam, etiam tempore Regum Iſraelitarum, quo magis vigebat idololatria; tempore perſecutionum & hæreſum, atque etiam furente Arianiſmo & per totum orbem graſſante.

Obſervandum 3. quòd etſi iiſdem ferè argumentis & ſimul ſoleant hìc Theologi probare Eccleſiam eſſe viſibilem ac perpetuam ſeu indefectibilem, nos in præſenti Articulo ea dumtaxat prolaturi ſumus argumenta, quæ Eccleſiæ viſibilitatem ſpectant; in ſequenti verò ea quæ ejus conſtantiam, firmitatem, perpetuitatem, & indefectibilitatem.

Duo igitur hic duplici Concluſione demonſtranda.

Primum, Eccleſiam Chriſti ſecundùm ſe & ex natura ſua ita eſſe viſibilem, ut ſemper oculis omnium fuerit conſpicua.

Secundum, hanc viſibilitatem perpetuam ſocietati Catholicorum convenire, non Proteſtantium.

PRIMA CONCLUSIO.

Eccleſia Chriſti ita eſt viſibilis ex natura ſua, ut ſemper oculis omnium conſpicua fuerit.

Probatur 1. ex Scripturis in quibus conſtantem hanc Eccleſiæ viſibilitatem prædixerunt Prophetæ, docuit Chriſtus, confirmaverunt Apoſtoli.

Prophetæ prædixerunt viſibilem Eccleſiam Iſaiæ 2. v. 2. Eccleſia montis nomine proponitur, qui obvius ſit omnibus, & ab omnibus poſſit conſpici. *Erit*, inquit, *in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad 'eum omnes gentes &c.* Quem montem S. Hieronymus in hunc locum explicat de Eccleſia. To. 3. p. 21. & 22.

Danielis 2. v. 34. & 35. Lapis qui percuſſit ſtatuam, dicitur *factus mons magnus, & impleviſſe univerſam terram.* Quem locum de Chriſto & Eccleſia intelligit pariter S. Hieronymus. Ibid. p. 1081.

Pſalmo 18. comparatur Soli. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Quod de Eccleſia interpretatur S. Auguſtinus Tract. 2. in Epiſt. S. Joann. To. 3. p. 2. pag. 838. C.

Chriſtus docuit viſibilem eſſe ſuam Eccleſiam. 1. parabolis quibus eam expreſſit, *area, agri, ſagenæ.* 2. Cùm in ea Paſtores inſtituit: Joan. 20. v. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Matth. 5. v. 13. 14. & 15. *Vos eſtis ſal terræ .... Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita ... Sic luceat lux veſtra &c.* Quæ Chriſti ad ſuos Apoſtolos exhortatio eo præſertim fundamento nititur, quòd Eccleſia non poſſit abſcondi; ideoque nec Paſtores, qui eam conſtituunt. Quæ verba explicantur à S. Auguſtino de Eccleſia, Lib. de unitate Eccleſiæ & paſſim alibi 3. Cùm ipſam *ſupra petram ædificandam* promiſit. Sive enim nomine petræ intelligatur aut Chriſtus, aut fidei confeſſio, aut ipſe Petrus, evidens eſt ipſum Eccleſiæ fundamentum eſſe viſibile; ac proinde Eccleſiam viſibilem eſſe, non minùs quàm ædificium ſuper petram. 4. Cùm jubet adiri Eccleſiam, hoc eſt, Superiores Eccleſiæ, ubi fraterna correctio privata ob contumaciam delinquentis nihil proficit. Matth. 18. v. 17. At quomodo adiri poteſt, ſi ſit inviſibilis?

Denique cùm in ea inſtituit Sacramenta viſibilia, quorum communi participatione, tanquam certiſſimo vinculo, inter ſe & cum Capite Chriſto colligantur fideles.

Apoſtoli idem docuerunt; atque inter alios S. Paulus Act. 20. v. 28. ubi advocatis ex Epheſo Presbyteris, eos hortatur ut vigilantes ſint in regenda Eccleſia & univerſo grege in quo Dominus poſuerat eos Epiſcopos: quis autem regere poteſt quod non novit? Et Epheſ. 4. v. 11. cùm dicit Chriſtum dediſſe Eccleſiæ ſuæ *Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti . . . . ut non circumferamur omni vento doctrinæ*. Quæ certè omnia perfici non poſſunt abſque mutuis inter Paſtores & oves officiis, & notitia qua ſe mutuò noverint. Et 1. ad Timoth. 3. v. 15. ubi eum monet *quomodo debeat converſari in domo Dei quæ eſt Eccleſia*. At nemo poteſt aſſequi modum quo ſe ſe in aliqua communitate gerat, quam neſcit.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus.

Edit. Origenes hom. 30. in Matth. *Eccleſia*, inquit, *plena eſt fulgore ab Oriente uſque ad Occidentem*.
Pariſ. *1609. p. 93. col. 1. A.*

S. Cyprianus de unitate Eccleſiæ: *Eccleſia*, inquit, *Domini luce perfuſa eſt, per orbem totum radios ſuos porrigit*.

p. 181. Edit. Pariſ. 1621. S. Chryſoſtomus hom. 4. in caput 6. Iſaiæ. *Facilius eſt*, ait, *Solem extingui, quàm Eccleſiam deleri*.

To. 3. p. 867. C. Denique S. Auguſtinus, ut alios omittam, paſſim contra Donatiſtas, qui Eccleſiam in ſolis Africæ plagis aſpectabilem eſſe volebant, toto orbe conſpicuam eſſe omnibus oſtendit. Tract. 1. in Ep. Joan. n. 13. ubi poſtquam ſingula propemodum Scripturarum teſtimonia mox adducta in unum collegit, ſic habet: *Nonne ille lapis crevit, & factus eſt mons magnus & implevit univerſum orbem terrarum? Numquid digito oſtendimus iſtum montem, quomodo oſtenditur hominibus tertia Luna? v.g. quando volunt homines videre Lunam novam, dicunt, Ecce Luna, ecce ubi eſt: & ſi ſunt ibi qui non valeant intendere aciem, & dicant, Ubi? Intenditur illis digitus ut videant . . . Numquid ſic oſtendimus Eccleſiam, fratres mei? Nonne aperta eſt? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promiſſum eſt Abrahæ, in ſemine ejus benedici omnes gentes? Ecce Mons implens univerſam faciem terræ: ecce Civitas de qua dictum eſt: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Non egent hæc ſancti Doctoris verba commentario, adeo ſunt per ſe manifeſta. Hic addi poſſent & innumera ejuſdem teſtimonia quibus adversùs Donatiſtas demonſtrat veram Eccleſiam eſſe apud Catholicos, non apud Donatiſtas: quod certè demonſtrare nunquam potuiſſet, niſi ſuppoſuiſſet tam certos, claros & perſpicuos eſſe veræ Eccleſiæ caracteres, ut ſoli Catholicorum ſocietati non verò Donatiſtarum convenire illi poſſint. *Non eſtis in civitate ſuper montem conſtituta*, dicebat ſanctus Doctor Lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 104. *quæ certum ſignum hoc habet, quòd abſcondi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus: pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; non eſt ergo ipſa*.

To. 3. p. 2. pag. 834. G. *To. 9. p. 293. G.*

Probatur 3. momentis & rationibus Theologicis.

I. Ut Eccleſia verè dicatur & ſit natura ſua viſibilis, ſatis eſt quòd una ex ipſius partibus eſſentialibus ſit viſibilis & conſpicua. Quemadmodum enim

enim homo non dicitur inviſibilis, licèt habeat animam, quæ ex natura ſua videri non poteſt: quia nempe conſtat ex corpore, ſeu ex iis partibus quæ cadunt ſub ſenſus; & aliunde anima ſe ſe ſuis externis operationibus prodit ac manifeſtat. Atqui Eccleſia Chriſti conſtat ex iis partibus quarum una viſibilis eſt & perſpicua, & altera licèt inviſibilis, ſe ſe tamen ſuis externis operationibus manifeſtat; conſtat enim ex fidelibus externa fidei profeſſione, iiſdem Sacramentis & iiſdem Paſtoribus inter ſe unitis: hæc pars viſibilis eſt, hos enim fideles ubique gentium diffuſos facilè quiſque conſpicere poteſt. Pars autem ejus interior & inviſibilis, ſuis etiam operationibus aſpectabilis eſt: licèt enim in privatis non ſint certiſſima ſinceræ fidei, pietatis & charitatis argumenta, utpote quæ vel in hypocritis occurrere poſſunt; certi tamen ſumus quòd in illa ſocietate, in qua ſunt fides in Chriſtum exterior, Sacramenta & Paſtores legitimi & Apoſtolici, ſit quoque charitas ſincera & fides, juxta promiſſum Chriſti, *Ero vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*.

II. Quia ad ſalutem æternam aſſequendam non tantùm Dei cultus interior, ſed etiam exterior neceſſarius eſt, præſertim per externam fidei profeſſionem, juxta illud Apoſtoli Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Unde S. Auguſtinus Lib. de fide & ſymbolo cap. 1. *Fides*, inquit, *à nobis officium exigit & cordis & linguæ.... nec ſalvi fieri poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus*. Exterior autem fidei profeſſio non poteſt eſſe ſine verbi prædicatione externa & ſenſibili. *T. 6. p. 151. A.*

III. Quia Eccleſia eo præſertim fine à Chriſto eſt inſtituta, ut ſit columna & firmamentum veritatis; pugnando nempe adversùs hæreſes, & eas, quantùm fieri poteſt deſtruendo. Deinde tenentur omnes ſub periculo æternæ damnationis adjungere ſe veræ Chriſti Eccleſiæ, & in ea uſque ad extremum ſpiritum perſeverare: at vix ea fieri poſſe intelligas in Eccleſia inviſibili. Denique, ſi poſſet Eccleſia per aliquod tempus omnino latere, poſſent etiam ceſſare omnia Miniſteria, propter quæ inſtituta eſt, quòd certè redderet ſalutem tunc temporis obtentu impoſſibilem, myſterium Crucis evacuaret, imò & ipſam Eccleſiam abſolutè everteret, ita ut nulla ſupereſſet omnino, ne quidem inviſibilis & electorum; cùm & ipſi carerent Sacramentis ſine quibus ſalus obtineri non poteſt.

Dices 1. Scriptura multis in locis videtur ſignificare Eccleſiam totam eſſe ſpiritualem ac omnino inviſibilem.

Jeremiæ 31. v. 33. *Dabo*, inquit Deus, *legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Quibus verbis diſtinguit Deus Eccleſiam veterem à nova, quòd illa fuerit cœtus quidam exterior & viſibilis, atque idcirco legem habuerit ſcriptam in tabulis exterioribus & lapideis; hæc autem ſit populus quidam interior, ideoque legem habeat ſcriptam in tabulis cordis.

Lucæ 17. v. 21. Interrogatus Chriſtus à Phariſæis, *Quando veniret regnum Dei*, reſpondet: *Non venit regnum Dei cum obſervatione: neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*

Joan. 4. v. 23. *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.*

He-

Hebræor. 12. v. 18. & 22. *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem .... ſed ad Sion montem & Civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in Cœlis.*

1. Petri 2. v. 5. *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias Deo.*

Reſp. nego antecedens.

Ad primam probationem ex cap. 31. Jeremiæ, dico non conferri Eccleſiam cum Synagoga, ſed tantùm vetus Teſtamentum cum novo; quæ duo maximè differunt: atque hoc unum ex citato loco colligi poſſe, ſcilicet novum Teſtamentum legem eſſe chatitatis & gratiæ, ſive charitatem ipſam & gratiam ſcriptam in cordibus hominum; & ut loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 3. v. 3. *in tabulis cordis carnalibus, non autem in tabulis lapideis*: vetus autem Teſtamentum per ſe legem terroris & extrinſecus inſonantem ſolùm continebat. At inde non ſequitur Eccleſiam novi Teſtamenti ſimpliciter eſſe inviſibilem; ſed tantùm in ea multa eſſe inviſibilia, ut fidem, charitatem & alia dona Spiritus ſancti, quæ ſunt etiam ita Eccleſiæ eſſentialia, ut ſine iis nec eſſe, nec concipi poſſit, licèt non conveniant omnibus Eccleſiæ membris.

Ad ſecundam ex cap. 17. S. Lucæ. Non agitur ibi de Eccleſia; ſed per regnum Dei intelligitur vel gratia Dei, per quam regnat Deus in cordibus hominum, quemadmodum exponit Theophilactus; & hoc ſenſu veriſſimè dicitur, *Regnum Dei intra vos eſt*. Vel intelligitur ipſe Chriſtus, ut alii exponunt, & quidem ad litteralem ſenſum magis accommodatè; agit enim eò loci Chriſtus de utroque ſuo adventu. Interrogaverant ſcilicet Phariſæi quando veniret regnum Dei, id eſt, regnum Meſſiæ, quo nempe glorioſus & coram omnibus dominaretur: cogitabant enim Judæi, ſicuti & nunc quoque, mundanum aliquod regnum, quo Deus per Chriſtum ſeu Meſſiam, & ipſi cum eo cæteris imperarent Nationibus. Reſpondet autem Dominus Meſſiam veniſſe, & rurſus venturum in die Judicii. De primo autem adventu dicit, *Regnum Dei non venit cum obſervatione*, id eſt, cum ſignis, ſeu pompa & apparatu quem expectabant Judæi. De ſecundo autem adventu ſubjungit: *Et dicent vobis, Ecce hic, & ecce illic: Nolite exire, neque ſectemini.*

Ad tertiam: Vult dumtaxat ſignificare Chriſtus, præcipuum Dei cultum in Eccleſia fore internum: atque hinc non ſequitur Eccleſiam ipſam fore inviſibilem, neque etiam omnem externum Dei cultum eſſe removendum, deſtruenda eſſe Templa, abrogandos ritus omnes cæteraſque cæremonias exteriores. Namque prædicta Chriſti verba referri poſſunt, vel ad locum, vel ad ritum & modum adorandi: atqui quocunque modo intelligantur, non favent adverſariis.

Non primo modo: Nam interroganti Samaritanæ ubinam adorare oporteret, an in monte Garizim, ut Samaritani; an in Templo Hieroſolymitano, ut Judæi, reſpondet Chriſtus veniſſe horam quando neque in monte, neque in Jeroſolymis adorabunt Patrem: quaſi diceret, nullo in loco certo aſtringendos fore ad adorandum; ſed ubicumque voluerint, liberum ipſis fore adorare & publico ritu ſacrificare. Adeoque mens Chriſti non eſt, veros Dei cultores non eſſe amplius adoraturos in Jeruſalem, vel in Samaria,

Digitized by Google

maria, cùm conſtet Petrum & Joannem poſt acceptum Spiritum ſanctum aſcendiſſe ad Templum, ut refertur Act. 5. ſed tantùm liberam fore quoad locum adorationem, nec uni potiùs, quàm alteri loco alligandam fore.

Non ſecundo modo: Nam ſi prædicta verba intelligantur de ritu adorandi, nihil aliud ſignificabunt, quàm in lege Evangelica Deum non eſſe adorandum, vel ritu Judæorum, vel ritu Samaritanorum, ſed ritu Chriſtianorum proprio, qui eſt adorare in ſpiritu & veritate. Quid ſit autem eò loci adorare in ſpiritu & veritate, variè exponunt Interpretes. Alii enim dicunt ſpiritum opponi carni, & veritatem figuris; ſicque adorationem ſive ſacrificium novi Teſtamenti, & totum cultum Chriſtianum opponi Judaico, qui totus carnalis erat & umbra futurorum; cui ſi quid ſpiritus aliquando conjunctum fuit, non ratione ſui, ſed veluti per accidens ex gratia Chriſti illud derivatum habebat: ſacrificium verò Chriſtianorum quamvis aliqua ſui parte ſit exterius & viſibile, præcipuè tamen internum eſt ac ſpirituale. Alii ita exponunt, ut adoratio in ſpiritu opponatur cultui Judæorum, qui erat carnalis; adoratio verò in veritate, cultui Samaritanorum, qui multis falſitatibus & erroribus admixtus erat: adeoque, juxta hanc expoſitionem, vult Chriſtus ſignificare, cultum Chriſtianorum debere eſſe ſpiritualem & verum.

Ad quartam: Cùm difficultas ſit de ſecunda parte comparationis ab Apoſtolo inſtitutæ, alii volunt, ut Theophilactus, Oecumenius &c. per *montem Sion & Civitatem Dei viventis*, non intelligi Eccleſiam militantem, ſed triumphantem, quæ ex beatis Spiritibus & Angelis conſtat: adeoque in illorum ſententia, confert Apoſtolus eò loci Synagogam cum Eccleſia; aitque homines veteris Teſtamenti acceſſiſſe ad montem Sina corporeum, & ibi per imagines corporeas aliquomodo vidiſſe Deum: homines verò novi Teſtamenti acceſſiſſe, non quidem re, ſed ſpiritu ad montem Sion, & ad Civitatem Dei viventis, id eſt, ad gloriam Beatorum, ubi Deus videtur facie ad faciem: unde & ibidem additur, *& multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in Cœlis*. Alii per montem Sion & Civitatem Dei viventis, intelligunt Eccleſiam modo quodam generaliori ſumptam, quatenus nempe militantem ac triumphantem ſimul complectitur. Hanc aliis præfert expoſitionem Eſtius. Ratio hæc ipſi eſt, quia *militantem Eccleſiam excludi non patitur antitheſis quæ eſt inter duo membra comparationis. Sicut enim*, inquit, *mons Sina allegoricè vetus Teſtamentum ſignificat ejuſque filios; ita mons Sion & Jeruſalem, quam continuò nominat*, (quæ cœleſtis ibidem appellatur propter originem & finem) *ſignificationem habet novi Teſtamenti & filiorum ejus, uti docet Apoſtolus Galat. 4. Hujus autem Teſtamenti filii partim militant in terra, partim regnant in Cœlo*. Suppoſita autem hujuſmodi explicatione, dicendum eſt, Eccleſiam novi Teſtamenti etiam ex parte qua militans eſt, comparatè ad Synagogam veteris legis, appellari montem Sion, ſeu montem ſpiritualem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem; non quidem eo ſenſu quòd ſit ita cœleſtis & ſpiritualis, ut nullo prorſus modo ſit etiam in terris conſpicua; ſed quòd eo fine ſit inſtituta, ut hominem provehat in Cœlum & ad bona ſpiritualia; quod certè veteri Synagogæ per ſe non conveniebat, cùm ipſa per ſe ad perfectum non adduceret, nec alias haberet repromiſſiones, quàm merè temporales.

Pag. 1074. col. 2.

Ad

Ad quintam: Reſpondeo cum eodem Eſtio ad hunc locum, Eccleſiam dici ſpiritualem domum à S. Petro, *non quòd ſecundùm ſe ſit occulta & inviſibilis.... ſed tùm ad differentiam domus materialis quæ ex materia merè corporali conſtat:* vult enim S. Petrus Eccleſiam non eſſe domum ex lapidibus & lignis ædificatam, ſed ex hominibus Deo dicatis & conſecratis. *Tùm etiam propter ſignificationem myſticam; quia v. g. per domum materialem & propriè dictam, quale fuit Templum Salomonis aut Tabernaculum Moyſis, fuit præfigurata.*

Pag. 1163. col. 1.

Dices 2. Quod eſt fidei objectum conſpici non poteſt: atqui Eccleſia eſt fidei objectum; ergo &c.

Præterea, juxta doctrinam Apoſtoli Rom. 12. v. 5. & 1. Corint. 12. v. 27. Ecclaſia eſt Corpus Chriſti myſticum: at corpus Chriſti myſticum eſt inviſibile, cùm ſolis conſtet prædeſtinatis.

Deinde forma Eccleſiæ, Fides, Spes & Charitas, eſt planè inviſibilis.

Denique, ita fuit aliquando afflicta & turbata Eccleſia, ſeu perſecutionibus, ſeu hæreſibus, ut certè tunc non videatur fuiſſe viſibilis.

Reſp. ad primum: Quod eſt fidei objectum conſpici non poteſt ſub ea ratione, ſub qua creditur; at poteſt ſub alia ratione conſpici. Sic v.g. Baptiſmus quatenus eſt ablutio exterior cernitur; quatenus verò Sacramentum, creditur. Hinc in Symbolo dicitur, Credo unum Baptiſma. Similiter Apoſtoli videbant humanitatem Chriſti; at eam hypoſtaticè Verbo divino conjunctam eſſe non videbant, ſed credebant. Ita pariter videmus eum hominum cętum, qui eſt Eccleſia, eumque cognitione ſenſibili dignoſcimus ex profeſſione fidei, cultu externo, & Sacramentorum participatione, & Paſtoribus ſubjectione: at quòd cętus ille hominum vera ſit Chriſti Eccleſia non videmus ſed credimus: vera enim Chriſti Eccleſia ea eſt quæ veram profitetur fidem.

Ad ſecundum: Nego 1. corpus Chriſti myſticum ex ſolis prædeſtinatis conſtare, ut poſtea oſtendemus. 2. Cùm Eccleſia duabus conſtet partibus, corpore, & anima; ſatis eſt quòd ratione unius partis appellatio corporis myſtici ipſi conveniat: ſic homo propriè dicitur ſubſtantia rationalis, licèt ratiocinandi vis ipſi non conveniat niſi ratione animæ. 3. Eccleſia ſpectari poteſt ut habens à Chriſto vitam ſpiritus per occultam & internam ſubminiſtrationem gratiæ ſanctificantis; & hoc modo dici poteſt corpus Chriſti myſticum: quæ denominatio ipſi non competit niſi ratione prædeſtinatorum & juſtorum, qui ſoli gratiæ vitam & ſpiritus habent; verùm eſt etiam corpus externum, in quo ſunt Miniſtri, Paſtores, Sacramenta, externa fidei profeſſio &c.

Ad tertium: Licèt forma hominis ſit inviſibilis, non ſequitur hominem eſſe inviſibilem. Ita de Eccleſia ſentiendum: quia nempe certas habet notas exteriores quibus diſtingui poteſt à qualibet alia ſocietate. Quamvis autem nos lateat in quibuſnam ejus membris ſit vera fides & charitas; ſatis eſt tamen quòd conſtet nobis eam eſſe in illa ſocietate, quæ eas notas & caracteres præfefert, quibus nemo eſt qui non poſſit facilè intelligere, eam veram eſſe Chriſti Eccleſiam.

Ad quartum: Semper viſibilis eſt & conſpicua Eccleſia, ſeu cùm floret ac triumphat, ſeu cùm affligitur & perturbatur: imò nunquam illuſtrior viſa eſt, quàm ubi vel perſecutionibus Ethnicorum, vel Hæreticorum diſputationi-

tioni-

tionibus impugnata fuit. Ejus triumphum in perſecutionibus expoſuerunt nobis antiqui Patres: inter alios Tertullianus Apologetici cap. 37. & Lib. ad Scapulam, ubi obſervat ſanguinem Martyrum fuiſſe ſemen Chriſtianorum. Origenes Lib. 1. contra Celſum. Clemens Alexandrinus Lib. 6. Stromatum in fine. Ambroſius Lib. 9. in Lucam. Gregorius Magnus Lib. 9. Moralium c. 7. Victoriam autem ejus contra hæreſes prædicit ipſe Chriſtus, cùm dixit portas inferi adversùs eam nunquam prævalituras. Obſervavit S. Hilarius Lib. 7. de Trinit. proprium eſſe Eccleſiæ Chriſti, tùm vincere cùm læditur; tùm obtinere cùm deſeritur. Ipſam vineæ, quæ ligata erigitur & præciſa augetur, comparat S. Ambroſius Lib. 9. in Lucam c. 10. & S. Auguſtinus Lib. 16. de Civitate Dei c. 2. Alias objectiones adversùs viſibilitatem Eccleſiæ perpetuam Articulo ſequente referemus ac diluemus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Prædicta viſibilitas quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt & ſingularis, convenit ſocietati Catholicorum, non verò Proteſtantium.

Duæ ſunt partes. Prima pars probatur: Quia viſibilitas quæ propria eſt & ſingularis Eccleſiæ Chriſti, ea eſt quæ eminenti quadam & permanenti claritate inter alias ſocietates per totum orbem omnibus conſpicua fuit: atqui talis eſt ſocietas Catholicorum; ergo &c. Tria in hac minori propoſitione continentur; ſcilicet, quòd viſibilitas ſocietatis Catholicorum fuerit eminens inter alias ſocietates; quòd fuerit permanens; quòd fuerit per totum orbem conſpicua: quæ tria paucis demonſtranda ſunt.

Primum quidem: tùm quia eminenter conſpicua fuit in ſuis Paſtoribus præſertim Romanis Pontificibus, ex quorum ſucceſſione non intermiſſa poſt Petrum, nec unquam deinceps intermittenda, SS. Patres veritatem & perennitatem Eccleſiæ demonſtrant. Tùm quia conſpicua fuit in ſuis Conciliis ſeu generalibus ſeu particularibus, in quibus & fidei controverſias compoſuit, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſtabilivit; ut videre eſt in quatuor primis Conciliis quæ ab adverſariis etiam tanquam legitima admittuntur. Tùm quia conſpicua fuit in debellandis Hæreticis, atque è ſinu ſuo ejiciendis iis qui monita ſua & definitiones contemnebant. Omnes enim quotquot hactenus viſi fuerunt Hæretici, ex ſocietate Catholicorum prodierunt, à qua priùs in Chriſto regenerati fuerant; imò nullus eſt qui originem ſuæ ſectæ aliis poſſit exponere, niſi priùs mentionem faciat ſocietatis Catholicorum quam deſeruit; adeo certum eſt etiam omnibus Hæreticis, viſibilem & conſpicuam fuiſſe.

Secundum, nempe permanentem fuiſſe viſibilitatem ſocietatis Catholicorum, patet, quia nullum, ut jam oſtendimus, aſſignari poteſt ab adverſariis tempus, in quo non fuerit viſibilis illa cum noſtro Capite Pontifice Romano communio.

Tertium pariter à nobis jam demonſtratum eſt.

Secunda pars Concluſionis probatur hoc uno argumento: ſcilicet, Illa ſocietas non eſt eminenter, continuò & ubique viſibilis, quæ ſuæ viſibilitatis argumenta nulla proferre poteſt iis temporibus quæ præceſſerunt Reformationem:

tionem: atqui talis eſt ſocietas Proteſtantium. Dicant enim nobis ubi erat hæc ſocietas ante Lutherum & Calvinum.

An proferent decimum vel undecimum ſæculum, cùm Berengarius ejuſque ſectatores errorem ſuum diſſeminarunt? At non ignorant eos ſtatim ab universa Eccleſia damnatos fuiſſe; atque eò adductum Berengarium, ut perverſam ſuam revocaret & damnaret doctrinam.

Variat. T. 1. p. 480.

An ad Petrobruſſianos qui duodecimo ſæculo in quibuſdam partibus Occitaniæ & Vaſconiæ degebant, provocabunt? At expreſsè teſtatur Petrus Cluniacenſis, in Libro quem adversùs ipſos ſcripſit, eos docuiſſe, inutilem eſſe parvulis Baptiſmum antequam pervenirent ad uſum rationis; non eſſe ædificanda Templa; frangendas & contumelioſè tractandas Cruces: at ea omnia non probant noſtri Reformatores.

Ann. 1040.

An ad Henricum Monachum Tholoſanum, & Arnaldum de Brixia, qui circa medium ſæculi undecimi vivebant? At primus tot criminum & errorum, quos improbant Calviniſtæ, à S. Bernardo accuſatur, ut mirum ſit quo pacto non pudeat Proteſtantes hunc ſuæ Sectæ appellare auctorem: alter verò Anabaptiſmi reus fuit, teſte Othone Friſingenſi.

An ad Valdenſes, qui ſic nominati ſunt à Petro Valdo cive Lugdunenſi, qui in Gallia vixit circa an. 1160.? At circa eos duo obſervare debent Proteſtantes, quæ ipſis non favent: primum eſt, eos ab ipſis propugnatos fuiſſe errores, quos rejiciunt Proteſtantes. Docebant ſcilicet, referente Reynero auctore coetaneo, nullum eſſe Sacramentum ab improbo Miniſtro collatum; nihil prodeſſe Baptiſmum infantium; communem eſſe Miniſtris Eccleſiæ & laicis etiam fæminis verbi prædicationem; omne juramentum eſſe mortale peccatum &c. Secundum: nunquam illi ante Lutherum negarunt præſentiam realem & tranſubſtantiationem; ut patet, tùm ex Petro Pilichdorf qui vivebat circa an. 1395. in Tractatu quem edidit adversùs Valdenſes cap. 25. Tùm ex Reynero qui vivebat circa ann. 1250. in Opere quod contra eos ſcripſit cap. 5. Tùm ex omnibus indicibus errorum quos docuerunt, qui habentur vel in Bibliotheca SS. Patrum, vel apud Inquiſitorem Emericum in Directorio Inquiſitionis parte 2. q. 14. quod laudat Illuſtriſſ. Boſſuetius Lib. 11. Variationum n. 96. Tùm ex Claudio Scyſſellio tempore Ludovici XII. & Franciſci I. ob publica ſua munera, & eruditionis famam celeberrimo Taurinenſi Epiſcopo, qui exactiſſimè in eorum errores inquiſivit: quia multi in Vallibus ſuæ Diœceſis tunc degebant; nec tamen eos unquam arguit negatæ præſentiæ realis.

Non ad Albigenſes, quorum hæreſis ex Italia in Gallias pervaſit circa an. 1017. haud dubiè originem ſuam revocabunt Proteſtantes. Puderet enim eos tales habere ſuæ doctrinæ patronos & auctores, qui ſtatim ac deprehenſi fuerunt Aureliis, in Concilio ibidem congregato, juſſu Chriſtianiſſimi Roberti, proſcripti & damnati fuerunt. Errorum capita præcipua hæc erant: Vetus & novum Teſtamentum rejiciebant; Chriſtum non eſſe natum ex Virgine, nec pro hominibus paſſum, nec à mortuis ſurrexiſſe; nullam eſſe in Baptiſmo remiſſionem peccatorum, aſſerebant. Hæcne portenta ferrent noſtri Reformatores?

Non etiam ad Vvicleſitas, quorum dux fuit Joannes Vviclef natione Anglus, profeſſione Monachus, & qui vivebat circa finem 14. ſæculi.

Ea

Ea quippe docebant illi, quæ rejiciuntur à noſtris Reformatoribus, ut patet ex ejus Trialogis in quibus negat certitudinem prædeſtinationis; ac docet adorandam eſſe Euchariſtiam, Matrimonium eſſe Sacramentum, Sanctos eſſe invocandos & honorandas eorum imagines, eſſe Purgatorium. At docuerat Papam eſſe Antichriſtum; & hoc ſatis eſt adverſariis ut inter ſuos eum annumerent.

Non ad Huſſitas: Namque omnes fermè articulos illi admittebant, quos rejiciunt Proteſtantes; ut patet, tùm ex Operibus Joannis Hus, in quibus disertè admittit neceſſitatem Confeſſionis, Sacrificium Miſſę, realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, Sanctorum invocationem: Tùm etiam teſtimonio Reformatorum: Miniſter enim de la Roque in ſua Hiſtoria Euchariſtiæ probat ex auctoribus Joanni Hus coetaneis, ex Diſcipulis, & Scriptis eum admiſiſſe tranſubſtantiationem, cæteroſque omnes Romanæ communionis articulos, præter illum qui ſpectat communionem ſub utraque ſpecie. Idem probat de Hieronymo Pragenſi. *Variat. Lib. 11. pag. 126*

Non denique ad fideles occultos, & in medio communionis Romanæ degentes: nam tot ſecum involvit abſurda hæc Claudii cogitatio, ut ſi paululum exponantur, ipſa ſtare non poſſit. Debebant ſcilicet occulta illa veræ Chriſti Eccleſiæ membra nullam ex iis opinionibus habere, quæ cum ſalute compati non poſſunt: hoc eſt, nullum cultum exhibere Sanctis; eos non invocare; ſanctam Euchariſtiam nunquam adorare: at quis hoc in animum ſuum inducat abſque ulla probatione certa & poſitiva? Aut ſaltem quis meritò non cogitabit illos omnes Claudii fideles hypocritas fuiſſe?

Deinde impoſſibile eſt fuiſſe ejuſmodi occultos fideles: Nam aut nunquam publicis Officiis intereſſe debebant, aut cùm Catholici adorabant genibus flexis hoſtiam, iſti ſtare debebant: nunquam vel Litaniis, vel Supplicationibus adeſſe; alioqui idololatriæ participes fuiſſent: nunquam ad ſacram Synaxim accedere, extremam Unctionem aut Viaticum accipere. At quis fingere poteſt id à Catholicis tunc toleratum fuiſſe? Denique, ſi occulti erant tunc temporis illi fideles Reformatorum noſtrorum anteceſſores, ergo vera eſt noſtra Concluſio, eorum nempe ſocietatem ſemper ac perpetuò viſibilem non fuiſſe. Meritò igitur ab ipſis poſtulare idem jam poſſumus, quod ipſimet ann. 1571. ab Anabaptiſtis poſtulabant, ubinam erat eorum ſocietas uſque ad annum 1522. quo primùm viſi ſunt eorum doctrinæ auctores?

ARTICULUS OCTAVUS.

De perpetuitate ſeu indefectibilitate Eccleſiæ.

INdefectibilitas Eccleſiæ conſiderari poteſt vel quoad durationem temporis, quæ permanentia dicitur; vel quoad fidei conſtantem profeſſionem, quæ ſolet appellari infallibilitas, ſeu inerrantia Eccleſiæ in fidei & morum doctrina ſancienda. De prima hìc dumtaxat dicemus. Dicturi ſubinde de altera ad ſequentem Quæſtionem.

De perpetuitate ſeu indefectibilitate Eccleſiæ quoad durationem temporis. An aliquando defecerit, vel ſit defectura.

Rectè hìc obſervat Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante cap. 13. quæſtionem non eſſe an poſſit abſolutè deficere Eccleſia; fatentur enim noſtri Reformatores eam abſolutè deficere non poſſe, ſeu omnino extingui & interire: ſed quæſtio eſt utrum viſibilis & conſpicua Chriſti Eccleſia ita ſit ex ſua conditione firma, ut nunquam omnino latuerit aut latere poſſit; qua in re non conſentiunt Novatores, ut Articulo ſuperiori oſtendimus. Aliqui enim perpetuò viſibilem, alii aliquando ita obſcuram ac ferè extinctam dicunt, ut viſibilis ampliùs non fuerit.

Donatiſtæ contendebant Eccleſiam Catholicam quæ primis temporibus toto orbe diſperſa fuerat, poſtea toto orbe periiſſe; & in ea dumtaxat remanſiſſe Africæ parte, quæ Donato adhærebat. Eò etiam temeritatis & impudentiæ prorupit Berengarius, teſte Ratramno in Opuſculo de Euchariſtia, ut diceret erraſſe ac periiſſe Eccleſiam. *In omnibus gentibus*, inquiebat, *credidit mundus, facta eſt Eccleſia, crevit, fructificavit; ſed imperitia ma'è intelligentium poſtea erravit & periit: in nobis ſolis, & iis qui nos ſequuntur, remanſit.* Itaque ſit

CONCLUSIO.

Eccleſia Chriſti viſibilis nunquam defecit, nec unquam eſt defectura.

Probatur 1. ex Scripturis. Perpetuam fore Eccleſiæ durationem prædixere Prophetæ, promiſit Chriſtus, Apoſtoli declararunt.

I. Prophetæ futuram hanc Eccleſiæ perennitatem prædixere.

Iſaiæ 61. (quod caput intelligi de Eccleſia novi Teſtamenti docuit Chriſtus Lucæ 4.) v. 8. & 9. dicitur: *Fœdus perpetuum feriam eis. Et ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Ecce fœdus perpetuum quod ſua cum Eccleſia viſibili nunquam interitura Deus paciſcitur.

Et cap. 60. v. 19. *Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.*

Et v. 21. *Populus tuus omnes juſti, in perpetuum hereditabunt terram.*

Danielis 2. v. 44. *In diebus regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.*

Oſee 2. v. 19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitia & judicio.... & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus.*

Micheæ 4. v. 1. & 5. *In noviſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles; & fluent ad eum populi... Nos autem ambulabimus in nomine Domini noſtri in æternum.*

Pſalmo 47. v. 9. *Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum.*

Et

Et Pſ.88.v.29. *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cæli.*

II. Eandem perpetuitatem ac permanentiam Eccleſiæ ſuæ promiſit Chriſtus, Matth. ultimo v.20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus verbis duo complectitur Chriſtus: primum, Apoſtolos ad conſummationem uſque ſæculi eſſe permanſuros, in eorum ſcilicet ſucceſſoribus nunquam defuturis: alterum, ſe ipſis, ſeu Eccleſiæ ſuæ ſemper adfuturum jugi Spiritus ſancti aſſiſtentia & influxu; atque ut ſtatim promiſſi fidem impleat, verbo de præſenti utitur: *Ecce ego vobiſcum ſum.* Eò tendit ſimilitudo petræ ſuper quam Matth.16. v.18. ait ſe ſuam *ædificaturum Eccleſiam*; ut ejus nimirum inconcuſſam firmitatem ac conſtantiam ſignificet; unde ſubjungit ſtatim, *Adversùs quam portæ inferi non prævalebunt.* Eodem pertinet ſimilitudo civitatis ſupra montem poſitæ quæ abſcondi non poteſt. Matth.5. v.15. Quapropter meritò Gamaliel Legis Doctor Act.5. Judæos ab impedienda prædicatione Evangelii hac ratione avocabat, *Quoniam*, inquiebat, *ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere.* Eccleſia verò à Deo fundata eſt.

Lucæ 1. v.32. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Et cap.21. v.32. *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

III. Apoſtoli eandem Eccleſiæ perennitatem declararunt. Epheſ.4 v.11. *Ipſe* (Chriſtus) *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Quis non videat eò loci declarare Apoſtolum Miniſterium Eccleſiaſticum quod per Paſtores exercetur, & quo ſtat Corpus Chriſti myſticum, id eſt Eccleſia, uſque ad conſummationem ſeculi perſeveraturum? Miniſterium autem illud haud dubiè viſibile eſt, quod in prædicatione ſeu doctrina, & in adminiſtratione Sacramentorum maximè poſitum eſt. *Euntes*, ait Chriſtus ad Apoſtolos Matth.28. v.19. *docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, &c.*

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Chryſoſtomus homilia, cùm de expulſione ejus ageretur. *Chriſti Eccleſia*, inquit, *nihil fortius; ſi quis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt: tale eſt enim velut ſi cælo bellum meditetur inferre. Homini ſi bellum inferas, fortaſſe vinces, aut fortè vinceris: Eccleſiam vincere nulla vis poterit. Deus eſt Eccleſia, qui eſt omnibus fortior &c.* To.3.p. 419.C. *Num vidiſti, trementem civitatem tuam quotidie ſtare fecit? Multò magis Eccleſiam ſuam trementem poterit confirmare: fortior enim Eccleſia multò quàm terra, imò & fortior cælo. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.... Quòd ſi non credis verbo, rebus ipſis & operibus crede. Quanti tyranni aggreſſi ſunt impugnare Eccleſiam Dei? Quanta tormenta, quantas cruces adhibuerunt?...& nihil agere potuerunt.* Ibid.D.

Idem argumentum tractat hom. de eo quod ſcripſit Iſaias, Factum eſt anno quo mortuus eſt Ozias. *Jactatur*, inquit, *navis, at non mergitur. Poterat quidem & in tranquillo navigare, verùm non paſſus eſt gubernator, quo ſimul & navigantium perſpicias tolerantiam, & gubernatoris prudentiam pleniùs co-* Edit. Pariſ. 1621. To.3.p. 866.D.

gnoſcat....A quàm multis oppugnata eſt Eccleſia, nec unquam tamen victa? Quot tyranni? quot Duces? quot Imperatores? Auguſtus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines litteris ornati, potentes, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non dejecerunt. Quin potius ii qui oppugnarunt, ſilentur oblivioni traditi; illa verò oppugnata cælum tranſcendit.

P.917. B.C. S.Hilarius Lib.7. de Trinit. n.4. *Magna*, inquit, *vis eſt veritatis, quæ cùm per ſe intelligi poſſit, per ea tamen ipſa quæ ei adverſantur, elucet: ut in natura ſua immobilis manens, firmitatem naturæ ſuæ quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim Eccleſiæ proprium eſt, ut tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligatur, cùm arguitur; tunc obtineat, cùm deſeritur.*

Edit. Pariſ. 1603.p. 1053.C S. Ambroſius Lib. de Salomone cap.4. *Navem*, inquit, *Eccleſiam debemus accipere, in ſalo mundi iſtius conſtitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, id eſt tentationum plagis & verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, id eſt hujus ſæculi poteſtas conatur ad ſaxa perducere. Quæ etſi undarum fluctibus aut procellis ſæpè vexatur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium, quia in arbore ejus, id eſt in Cruce, Chriſtus erigitur, in puppi Pater reſidet gubernator, proram Paracletus ſervat Spiritus. Hanc per anguſta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id eſt duodecim Apoſtoli &c.*

To.3.p. 45. S.Hieronymus ad caput 4. Iſaiæ. *Super petram fundata Eccleſia*, inquit, *nulla tempeſtate concutitur, nullo turbine ventiſque ſubvertetur.*

Ibid. p. 1453. Et ad caput 8. Amos ſic loquitur: *Poſtquam autem plantaverit eos, & firma in altum radice ſolidarit, non evellet ultrà de terra, quam dederat iis. Ex quo intelligimus Eccleſiam uſque ad finem mundi, concuti quidem perſecutionibus, ſed nequaquam poſſe ſubverti; tentari, non ſuperari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, ſive Dominus Deus ejus, id eſt, Eccleſiæ, ſe facturum eſſe pollicitus eſt: cujus promiſſio, lex naturæ eſt.*

S.Auguſtinus in Pſalm. 101. Concione 2. diſputans contra Donatiſtas, qui totam Eccleſiam viſibilem periiſſe dicebant, & in ſolis quibuſdam juſtis in Africa remanſiſſe, *Sed*, inquit, *illa Eccleſia quæ fuit omnium gentium,*
To.4.p. 1105.D *jam non eſt, periit. Hoc dicunt qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideò non ſis: nam illa erit, etſi tu non ſis. Hanc vocem abominabilem, deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam prævidit Spiritus Dei.* Et Epiſt.93.
To.2.p. 243.F. aliàs 48. ad Vincentium Rogatiſtam n.30. *Ipſa eſt*, inquit, (Eccleſia) *quæ aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum, quando peccatores intenderunt arcum, ut ſagittent in obſcura Luna rectos corde. Sed etiam in ſuis firmiſſimis eminet.*

Pagina 40. P. Ante illos Tertullianus in Apologetico Imperatores alloquens, *Nec quicquam*, inquiebat, *proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.*

Probatur denique hac ratione: Quia ſi Eccleſia aliquando defeciſſet aut defectura eſſet, via ſalutis, quæ nemini patere poteſt niſi per Eccleſiam viſibilem, eſſet tunc omninò impoſſibilis: nemo enim ingredi poteſt in aliquam ſocietatem quæ inviſibilis eſt, & quæ ignoratur quo loco ſit conſtituta. Inde colliges planè neceſſe eſſe ut perpetuò ſint in Eccleſia Epiſcopi qui

eam

Digitized by Google

eam regant, Presbyteri qui Sacramenta diſpenſent; uno verbo ut nunquam deficiat publicum Miniſterium, ſine quo ſalutis inſtrumenta & ipſa ſalus æterna obtineri non poſſunt. Idcircò Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Act. 20. v. 28. Idcircò Chriſtus Paſtores dedit ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii. Epheſ. 4. v. 11. eiſque ligandi atque ſolvendi auctoritatem conceſſit. Joan. 20. v. 23. *Singuli Eccleſiarum Epiſcopi*, ait S. Hieronymus Epiſt. 4. ad Ruſticum, *ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis Ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quamvis grandi exercitu unius ſignum expectatur.* Tota iſta ſancti Doctoris diſputatio, licèt eò tendat ut probet non eſſe aliquem ſuo arbitrio dimittendum; ſed qui in Monaſtica exercitatione vult proficere, eum vivere debere ſub unius diſciplina patris & conſortio multorum; eadem tamen univerſim demonſtrat neceſſarium eſſe non ſolùm ut unus ſit Eccleſiæ Catholicæ Rector, ſed maximè ut ſpiritales aliqui duces ſint, & Paſtores ſingulares, qui uniuſcujuſque ſaluti procurandæ propiùs invigilent.

Miniſterii & Miniſtrorum ſeu Paſtorum neceſſitas.

To. 3. p. 2. p. 775

Idem docet S. Chryſoſtomus hom. 34. in Epiſt. ad Hebræos. *Magiſtratum ducemque & rectorem non habere malum eſt, & eſt argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis & perturbationis ac confuſionis. Nam ſicut Chori coriphæum & ducem ſi ſuſtuleris, non erit amplius Chorus modo congruus & ordinatus: & ſi à phalange exercitus amoveris imperatorem, non erit amplius numeroſa & ordinata acies: & ſi navigio ademeris gubernatorem, navem demerges. Ita etiam ſi à grege paſtorem abſtuleris, omnia evertiſti & deleviſti.*

Pagina 1970.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Prædicitur in Scripturis fore tempus quo defectura omninò ſit Eccleſia.

Paralipomenon Lib. 2. cap. 15. Azarias ſic prædicit v. 3. *Tranſibunt multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote doctore, & abſque lege.*

Danielis 9. v. 27. *Deficiet & hoſtia & ſacrificium: & erit in Templo abominatio deſolationis; & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.*

Lucæ 18. v. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?*

2. Ad Theſſalonicenſes 2. v. 3. *Niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis*, id eſt Antichriſtus. Peribit ergo Eccleſia tempore Antichriſti.

Reſp. ad primum: Azariæ prophetiam intelligi debere de regno Iſraelico, non de Judaico. In illo vera Religio tandem univerſim extincta eſt: in iſto autem manſit uſque ad Chriſtum.

Ad ſecundum: Prophetia Danielis intelligenda eſt de everſione Jeruſalem & ceſſatione Legalium ac ſacrificiorum veteris Synagogæ, quibus Chriſtus morte ſua finem impoſuit. Ita prophetiam explicat Chriſtus Matth. 24. v. 15. *Cùm videritis*, inquit, *abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto; qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.* Et Lucæ 21. v. 20. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus &c.* Ita SS. Patres,

Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophilactus in caput 24. S.Matthæi: Julius Africanus apud S.Hieronymum in caput 9. Danielis. Tertullianus Lib. contra Judæos cap.5. Clemens Alexandrinus Lib.1. Stromatum. Euſebius Lib. 8. Demonſtrationis Evangelicæ cap.2. Auguſtinus Epiſtola 199. aliàs 80.

Ad tertium: Loquitur ibi Chriſtus vel de quadam eximia fide, quæ montes transferre valeat, quæ quidem in pauciſſimis occurret ultimis diebus; vel de fide formata per charitatem, ita ut hoc dictum ſit propter iniquorum abundantiam & bonorum paucitatem, juxta illud Chriſti Domini Mat. 24. *Quoniam abundavit iniquitas, frigeſcet charitas multorum*. Ita exponunt SS. Hieronymus in Dial. adversùs Luciferianos, Auguſtinus Lib. de unitate Eccleſiæ, & ſerm.36. de verbis Domini nunc 115. Juxta quas expoſitiones evidens eſt prædictis Chriſti verbis ſignificari, apud multos quidem extinguendam fidem, ſed non apud omnes ſimpliciter & abſolutè. Hac enim loquendi ratione, *Putas, Filius hominis veniens inveniet fidem?* inquit Theophilactus, *Chriſtus fidei raritatem ſignificat, non totalem interitum.*

Ad quartum: Per diſceſſionem, de qua loquitur ibi Apoſtolus, vel intelligitur ipſe antichriſtus, qui eò loci vocatur diſceſſio, per figuram metonymiæ; quia nimirum erit cauſa cur multi diſcedant à Chriſto: quo ſenſu exponunt S.Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius & alii Græci, quibus accedit S.Auguſtinus Lib.20. de Civitate Dei c.19. Vel intelligitur defectio ab Imperio Romano, quam idcircò diſertè exprimere noluiſſe Apoſtolum ajunt, ne offenderet Romanos, quibus perſuaſum erat conſtans ac perpetuum fore ſuum Imperium. Ita inter alios S. Hieronymus Epiſtola 151. ad Algaſiam q.11. & plurimi alii. Vide Eſtium in hunc locum. Vel denique defectio à fide, quæ poteſt eſſe vel generalis & omnium fidelium, vel particularis tantùm & aliquarum perſonarum.

To.4.p.1.p.209

Porrò duæ primæ expoſitiones adverſariis non favent; ſola tertia ſuffragari ipſis poteſt. Si verò intelligatur defectio generalis à fide, planè falſa eſt expoſitio, non ſolùm in noſtra, ſed etiam in adverſariorum ſententia: illi etenim docent jam veniſſe Antichriſtum, quem per putidiſſimam fabulam, ajunt eſſe Romanum Pontificem; & tamen non fatentur omnes fideles à fide defeciſſe, cùm & ipſi ſuo judicio fideles ſint. De ſola igitur multorum à fide defectione tempore Antichriſti futura, debet citatus textus intelligi.

Objicies 2. Reipſa ſæpiùs defecit & ita obſcurata fuit Eccleſia, ut planè fuerit inviſibilis.

I. Defecit Eccleſia initio mundi, cùm Adam & Eva peccando fidem amiſerunt. Ita docent S. Ambroſius Lib.3. de paradiſo cap.6. S. Auguſtinus Enchiridii ad Laurentium cap.45.

II. Tempore Noe, cùm *cuncta cogitatio cordis eſſet intenta ad malum, & multa malitia eſſet hominum ſuper terram*. Gen.6.

III. Tempore Moſis, cùm Aaron ſummus Sacerdos propoſuit vitulum adorandum, & omnis populus clamavit: *Hi ſunt dii tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti*. Exod.32.

IV. Temporibus Judicum poſt obitum ſeniorum qui Joſue viderant. *Surrexerunt enim alii, qui non noverant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael. Feceruntque filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim, ac dimiſerunt Deum patrum ſuorum*. Judicum 2.

V. Tem-

V. Tempore Captivitatis Babilonicæ videtur penitus intermiſſa Judæorum Religio.

VI. Tempore Heliæ. 3. Regum cap.19. *Dereliquerunt*, inquit, *pactum tuum filii Iſrael. Altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.*

VII. Tempore Iſaiæ. Unde ipſe Dominus Iſaiæ dicebat: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Iſai.1.

VIII. Tempore impiorum Regum Achas & Manaſſe: tunc enim nulla fuerunt publica Miniſteria, nulli Conventus, nulla Sacramenta. Neque enim hæc habebant decem Tribus quæ idololatriam apertè profitebantur, & in regiones Aſſyriorum diſperſæ erant: nec etiam aliæ duæ Tribus, cùm tunc falſorum deorum cultus in Templum uſque Jeroſolymitanum irrepſiſſet.

IX. Tempore Jeremiæ, cùm dicebat Deus: *Omnes me dereliquiſtis.* Jeremiæ 2.

X. Tempore Achab Regis Iſrael, qui adductis coram Joſaphat Rege Juda quadringentis Prophetis, ab ipſis omnibus deceptus eſt, unuſque Michęas legitur ab errore immunis. 3. Regum 22.

XI. Tempore nativitatis Chriſti, quando tantùm Maria & Joſeph, Zacharias & Eliſabeth, paſtores, Simeon, Anna & pauci alii credebant; quando tota Judæorum natio à Chriſto defecit. Denique cùm Apoſtoli moriente Chriſto ab ejus fide defecerunt; de quibus ipſe Chriſtus Matth. 26. dicebat: *Omnes ſcandalum patiemini in me iſta nocte.*

Reſp. 1. Quæcunque ex veteri Teſtamento hìc adducuntur exempla, ut probetur Eccleſiam ſeu Synagogam Judæorum aliquando defeciſſe, non videri ad rem noſtram præſentem accommodata. Agimus enim de Eccleſia novi Teſtamenti poſt Chriſtum, non de Eccleſia veteri ante Chriſtum: neque ſi defeciſſe probaretur vetus Eccleſia, conſequens foret novam pariter deficere poſſe. Ratio diſcriminis eſt, quia promiſſa eſt à Chriſto ſuæ Eccleſiæ perpetuitas indeficiens, cùm dixit, *adverſùs eam portas inferi nunquam prævalituras, & ſe ſemper ipſi adſuturum.* Nihil autem tale promiſſum uſquam fuit veteri Synagogæ. Alia diſcriminis ratio eſt, quòd extra Eccleſiam Chriſti nulli ſalus patere poſſit; unde neceſſe eſt eam perpetuò conſpicuam eſſe: at extra Synagogam ſalvi nonnulli facti ſunt, ut Melchiſedech, Job & alii.

Reſp. 2. ad ſingula teſtimonia.

Ad primum: Si ex peccato primorum parentum inferri poſſet Eccleſiam defeciſſe, ſequeretur non tantùm viſibilem, ſed etiam inviſibilem defeciſſe, quod eſt contra adverſarios. Deinde, nondum erat tunc temporis formata & conſtituta Eccleſia, quæ initium habuit in Abel, ut antea docuimus. Denique, Eccleſia omninò extingui non poteſt niſi per peccatum infidelitatis: at peccatum Adami non fuit contra fidem, ſed contra præceptum obedientiæ; neque aliud volunt laudati in objectione SS. Patres.

Ad ſecundum: Tempore Noe, etſi ferè, non tamen ad unum omnes à Deo defecerunt. Quinquennio ante diluvium obiit Lamech pater Noe: ipſo anno diluvii Mathuſale, & procul dubio non pauci alii pii mortui ſunt. Sem & Japhet egregii pietatis cultores erant: de eorumdem uxoribus nullum eſt dubium. Hi omnes viſibilem conſtituebant Eccleſiam: licèt non fuerit adeo

numeroſa, extitit tamen aliqua, habuit quippè Eccleſia initia ſua & incrementa. Scriptura verò phraſi conſueta, ut magnam ſignificet hominum depravationem, ita generatim loquitur, quaſi nulli omninò fuiſſent juſti, quamquam aliquos extitiſſe certiſſimum ſit.

Ad tertium: Tempore Moſis etſi graviter peccarunt Aaron vitulum conflando, & populus eum adorando, non tamen ad unum omnes in eo conſenſerunt. Moſes enim, qui omnium erat Caput, & omnes Levitæ à tali flagitio liberi & immunes fuerunt; & filii Levi, quorum manus Domino conſecratas tunc fuiſſe aſſerit Moyſes Exodi 32. v. 29. eodem jubente viginti tria hominum millia in vindictam hujus criminis interfecerunt. Et S. Paulus ad hocce crimen reſpiciens 1. Corinth. 10. v. 7. ſignificat, aliquorum dumtaxat, non planè omnium Judæorum hoc ſcelus fuiſſe.

Ad quartum: Quòd, tempore Judicum, poſt deceſſum Joſue Iſraelitæ aliquando à vero Dei cultu ad idola defeciſſe leguntur, eadem ſynecdoche pro aliquibus accipiendum eſt, non pro omnibus. Qua ratione multa Scripturæ loca interpretanda ſunt: v. g. Exodi 9. v. 6. *Mortua ſunt omnia animantia Ægyptiorum*. Iſaiæ 2. v. 2. *Et fluent ad eum omnes gentes*. Philipp. 2. v. 21. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt*. Joan. 3. v. 32. *Et teſtimonium ejus nemo accipit*. Quibus in locis, *omnia*, *omnes*, non ſimpliciter & abſolutè omnes & ſinguli ſignificantur, ſed multi dumtaxat.

Ad quintum: In Captivitate Babylonica non eo Judæi premebantur ſervitutis jugo, ut à veri Numinis cultu avocarentur; imò legem ſervabant ſuam. Stabat in eis Concilium Sanedrim, ritusque ſuos religioſos exercebant, ſacrificiis demptis, quæ alibi agere non licebat, quàm in Templo Jeroſolymitano: imò ab aliis nationibus facilè diſtinguebantur, juxta illa verba Aman ad Regem Aſſuerum Lib. Eſther ca. 3. v. 8. *Eſt populus per omnes Provincias Regni tui diſperſus & à ſe mutuò ſeparatus, novis utens legibus & cæremoniis.*

Ad ſextum: Vel illa corruptio Religionis Judaicæ, quam Reformatores noſtri dicunt contigiſſe temporibus Eliæ, ſpectat univerſam Judæorum gentem, vel ſolummodò decem Tribus Iſrael: atqui neutro modo dici poteſt ita corruptam fuiſſe his temporibus Judæorum Religionem, ut planè extincta fuerit & inviſibilis.

De facto Eliæ.

Non quidem primo modo; tùm quia ex quo decem Tribus à Roboam filio Salomonis ſeceſſerunt, & in Regem elegerunt Jeroboam, conſtantiſſimè & fideliter adhæſerunt Roboam legitimo Regi Tribus Juda & Benjamin, quibus ſe adjunxit & integra Tribus Levitarum cum multis aliis ſingularum Tribuum, qui tempore hujus ſeparationis, ut vero Deo liberè ſacrificare poſſent, Jeroſolymam confugerant. Hæc conſtant ex Libro 2. Paralipomenon cap. 11. adeoque ſemper remanſit vera Religio in Jeruſalem; in Templo ſemper oblata ſacrificia; ibi ſucceſſio Davidis, ex quo naſciturus erat Chriſtus; ibi S. Pontifex, atque omnes Sacerdotum & Levitarum familia, quæ univerſam Eccleſiam Dei tunc repræſentabant: atque hæc Religionis in Tribu Juda præ aliis conſervatio olim ab ipſo Davide prædicta fuerat Pſal. 77. v. 67. & 68. *Et repulit*, inquit, *tabernaculum Joſeph, & Tribum Ephraim non elegit: ſed elegit Tribum Juda, montem Sion quem dilexit*. Per Tribum enim Ephraim, ut obſervat S. Hieron. in caput 31. Jeremiæ, intelligitur Regnum Iſrael; quia ſcilicet qui primus ei imperavit Jeroboam, erat ex Tribu Ephraim.

Ean-

Eandem etiam poſteà prædixit Ezechiel cap.37. v.16. Hinc etiam in hiſtoria Tobiæ cap.1. v.5. notatur quòd in Tribu Nephtali, aliis vitulos aureos adorantibus, pergebat Tobias in Jeruſalem ad Templum Domini. Hinc Joan.4. v.22. Chriſtus alloquens Samaritanam affirmat *ſalutem ex Judæis eſſe*. Et S. Paulus Rom.11. v.1. loquens de ſua origine, diſertè ait ſe eſſe *ex Tribu Benjamin*, ut nempè ſignificaret ſe communicaſſe cum Juda, nec ſeparatum fuiſſe à Templo, ſicut obſervat S. Auguſtinus.

Tùm quia eo ipſo tempore quo deſolatam & obſcuratam fuiſſe Eccleſiam conqueri videtur Elias, nunquam majori cum gloria, ſplendore & ornatu floruit vera Religio. Tunc enim temporis tertium ſui Imperii annum evolvebat Joſaphat, de quo dicitur Lib.2. Paralip. cap.17. v.3. *Fuit Dominus cum Joſaphat, quia ambulavit in viis David patris ſui primi*. Juſſit autem pius ille ac religioſus Princeps, inſtitui celeberrimam illam per Doctores, qui cunctas urbes circuibant & erudiebant populum, viſitationem. Legendum caput 17. Lib.2. Paralip. ubi numerus præliatorum dicitur fuiſſe plus quàm decies centum mille hominum, abſque univerſa Tribu Levi, quæ tamen 48. urbes occupare ſolebat. Quis porrò in tanta hominum verum Deum colentium multitudine inviſibilem fuiſſe Eccleſiam aſſerere audeat?

Non ſecundo modo; hoc eſt, ita corruptam in decem reliquis Tribubus fuiſſe Religionem, ut planè tunc extincta fuerit & inviſibilis.

Tùm quia aſſeri certò non poteſt interdictum fuiſſe ab Achab Religionis Judaicæ exercitium: prohibuerat quidem, ſicut Jeroboam, ne Iſraelitæ pergerent Jeruſalem ad ſacrificandum, non quidem odio Religionis Judaicæ, ſed rebellionis metu; adeoque liberè populus Iſrael verum Deum poterat adorare; atque etſi ſacrificare non poſſet, nihil oberat tamen quominus cæteris Religionis ſuæ exercitiis vacaret.

Tùm quia obſervat ſacer Contextus Lib.3. Regum cap.18. Diſpenſatorem domus Achab timuiſſe Dominum valdè; & cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini, ſervaſſe centum, & in ſpeluncis abſconditos pane & aqua ſuſtentaſſe.

Tùm quia eodem capite v.40. refertur quòd cùm Elias coram univerſo Iſraele ſuper montem Carmeli jubente Achab congregato, ſtupendum illud ſui Dei potentiæ argumentum dediſſet, fruſtra Deum ſuum invocantibus Sacerdotibus & Prophetis Baal; ubi hoc miraculum vidit populus, cecidit ſubitò ſuper faciem, & ait: *Dominus ipſe eſt Deus*. Ac poſteà jubente Elia, & Rege conſentiente, quadringentos quinquaginta Prophetas interfecit. Atque anteà v.21. alloquens Elias univerſum populum, dixerat: *Uſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum*. Quibus verbis non ſignificatur Iſraelitas ſimul coluiſſe & Deum & Baal: longè enim aliud innuit Scriptura, ubi mentionem facit de iis qui hos cultus ſimul jungebant, ut videre eſt Lib. 4. Reg. cap.17. v.27. & ſequentibus uſque ad finem capitis; ſed his verbis innuit, valdè dubium & ancipitem fuiſſe populum hunc circa cultum quem amplecteretur, an veri Dei, an Baal: quibus certè patet liberum ipſi fuiſſe alterutrum profiteri.

Tùm quia hæc Prophetarum veri Dei perſecutio diu non duravit, cùm plurimos, vivente adhuc Jezabele, liberum ad Regis Aulam acceſſum ha-

bere videamus; filios Prophetarum in Bethel & Jericho commorantes legamus Lib.4. Reg.cap.2. atque eorum numerum ita creviſſe, ut qui cum Eliſeo erant, ipſum rogaverint, ut habitationem commodiorem circa Jordanem eligeret. Quibus omnibus manifeſtum eſt, non ita obſcuratam & extinctam fuiſſe tempore Eliæ veram Religionem in Regno Iſraelitarum, ut inviſibilis & minimè conſpicua fuerit.

Cùm ergo dicit Elias, *Filios Iſrael pactum Dei reliquiſſe, & ſe relictum eſſe ſolum*; non eo ſenſu intelligendus eſt, quaſi ſolus fuerit juſtus in univerſo Iſrael: Deus enim hoc ipſo cap.19. Lib. 3. Reg. v. 18. ait: *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Sed hoc ſenſu, quòd ſolus Propheta fuiſſet derelictus, ut ipſe ait Lib.3.Reg. cap.18.v.21. quòd nempè alii omnes Prophetæ aut occiſi fuiſſent à Jezabel, ut ipſe putabat Elias; aut in captivitate detenti cauſam veri Dei non poſſent defendere. Nec mirum quòd ignoraverit Elias tam multos fuiſſe in Iſrael veri Dei cultores, cùm jam ipſe præ metu in ſpelunca montis Oreb, quadraginta dierum ſpatio diſtantis à Samaria, quæ erat Sedes Regum Iſrael, profugus deliteſceret.

Ad ſeptimum & nonum eadem eſt quæ ad quartum reſponſio.

Ad octavum: Neque etiam his temporibus inviſibilis erat Eccleſia, aut defuerunt veri Dei publici adoratores. Tùm quia licèt in Templum idolorum cultum introduxiſſent illi Reges, nunquam tamen veri Dei adorandi libertatem ademerunt. Tùm quia legitur de Achas, quòd ſuper illud altare juxta ſimilitudinem Damaſceni extructum Deo offerrentur ſacrificia juxta legem Moyſi. Id colligi poteſt ex Lib.4. Reg. cap.16.v.15. Nec prætereà cultum veri Dei omninò deſeruiſſe videtur, cùm altare æreum ſibi reſervaverit ad conſulendum Deum per Urim & Thumin; neque legatur in Templo aliquem falſis diis cultum exhibuiſſe, ſed tantùm immolaſſe victimas in excelſis & collibus. Major quidem fuit impietas Regis Manaſſe, quàm Achaz, cùm extruxerit Aras univerſæ militiæ cœli in domo Domini, & poſuerit idolum Luci in Templo Domini; non tamen legimus in hiſtoria planè interdictum ab eo fuiſſe cultum veri Dei in Jeruſalem: imò disertè notat Scriptura, in duobus atriis Templi extructa fuiſſe altaria; ut hinc intelligeremus non eò audaciæ ejus impietatem proceſſiſſe, ut ipſum Sanctuarium & locum ſanctiſſimum, ubi erant Arca Dei, Altare Thimiamatum, Candelabrum aureum & Menſa panum propoſitionis, prophanaret.

Si verò dicatur noluiſſe tunc Iſraelitas in Templo ſacrificare; dici ſimiliter poterit, eos aliis in locis ſacrificium obtuliſſe, quemadmodum legimus de Gedeone, de Elia, Eliſæo, omnibuſque aliis Iſraelitis tempore ſchiſmatis decem Tribuum, ſuper altaria ſacrificantibus extra Templum, quæ ab Elia vocantur Altaria Dei.

Addi poteſt cum Cardinali Perronio in Reſponſione ad Regem Angliæ cap. 88. ne tunc etiam inviſibilem fuiſſe Eccleſiam Dei, etiamſi nulli Cœtus publici haberentur; & ſanguinem illum innoxium, quem fudit Manaſſes, inſigne fuiſſe per Martyres ſuos triumphantis Eccleſiæ argumentum. p.628.

Decimum quod dicitur de Achab, non adverſatur: tùm quia hoc contigit in Regno Iſrael, non in Juda ubi erat Sedes Eccleſiæ Judaicæ: tùm quia iſti Prophetæ non erant ex collegio Prophetarum Dei, ſed Baal, & iis ſimiles,

de

de quibus antea dixerat Elias Lib.3. Reg.cap.18. v.40. *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis*. Et poſteà Eliſæus ad Joram filium Achab Lib.4. Reg.cap.3. v.13. *Quid mihi & tibi eſt? Vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ.*

Ad ultimum: I. Tempore quo Chriſtus naſcebatur exigua erat Eccleſia orthodoxa, quæ Chriſtum puerum recens natum agnoſcebat & colebat: erat tamen aliqua in Maria & Joſepho, Zacharia, & Eliſabeth, Anna propheteſſa, Simeone juſto, paſtoribus & pluribus aliis qui expectabant redemptionem Iſrael. Horum cœtus erat viſibilis; ergo tunc viſibilis erat Eccleſia.

II. Tempore mortis Chriſti periit cum omnibus ſuis cæremoniis Judaica Religio, quia eò uſque durare tantùm debebat. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, ait Chriſtus Lucæ 16. v 16. Et Apoſtolus Rom. 11. v. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret.*

III. Puſillanimitas mera fuit in Apoſtolis, & defectus conſtantiæ ac fortitudinis, non fidei. Quamquam enim paulò tardior in ipſis fuerit fides circa reſurrectionem Chriſti, putabant enim Chriſtum figuratè loqui, *nec intelligebant quę dicebantur*, ſicut obſervat S.Lucas cap.18. non tamen planè fuit in ipſis extincta. Deinde tunc temporis nondum Apoſtoli Epiſcopi fuerant conſtituti, nondum uberiori Spiritus ſancti gratia confirmati; non ergo mirum ſi quid humani paſſi ſunt.

Objicies 3. Cùm moritur R. Pontifex, qui Caput eſt viſibile Eccleſiæ, ac per aliquod tempus vacat Sedes Romana, nonne tunc deficit Eccleſia? Capite enim corporis præciſo, perit corpus.

Reſp. Romanum Pontificem eſſe Caput morale Eccleſiæ; porrò non tanta eſt capitis moralis, quàm naturalis neceſſitas; reſecto capite naturali, ne uno quidem momento corpus vivere poteſt; at verò non perit corpus civile deficiente rectore; imò nec ſtatum ſuum propriè amittit; mortuo enim Imperatore vel Rege, non ſtatim deſinit Monarchia. Ita pariter non perit Eccleſia, per mortem Pontificis: Sedes enim ipſa Romana ſemper perſeverat; ſemper & ſubſiſtit fidelium ſocietas ſub legitimo Paſtorum regimine.

Verùm, quamquam hæc omnia Novatoribus gratis concederemus, non minùs tamen firma ſtaret noſtra Concluſio, quæ non de Judaica, ſed de Eccleſia Chriſtiana loquitur.

Objicies denique: Quo tempore per orbem univerſum graſſabatur hæreſis Ariana, ac furebat in Catholicos Conſtantii perſecutio, lapſis in errorem Epiſcopis ferè ſexcentis Conciliorum Ariminenſis & Seleucienſis, nonne inviſibilis facta eſt vera Eccleſia ac propè extincta?

Reſp. nego propoſitionem de qua ex profeſſo poſteà dicturi ſumus. Interim juvat hic referre quod ad iſtam tritam & obſoletam Novatorum objectionem reſpondet Janſenius Iprenſis in Libro cui titulus *Spongia notarum &c.* adversùs Voetium Sylvæducenſem Miniſtrum. Sic loquitur cap. 76. *Cùm vel maximè ſæviret illa* (Conſtantii) *perſecutio, veriſſimum fuit illud Auguſtini, quod eccleſia* in ſuis firmiſſimis, *tanquam columnis ædificii immobiliter ſtantibus* eminebat. *Lovanii an. 1666. p. 197.*

Tunc enim non ſolùm Athanaſius, ſed fideliſſimi cooperatores ejus Caius, Ammonius, Agathodemon, Adelphius, Marcus, Paphnutius, aliique tam Africæ quàm Ægypti Antiſtites partim in deſerta relegati, partim ſpontanea fuga

durante

durante tempeſtate dilapſi fortiſſimè perſtiterunt. Tunc Gregorius ille Hiſpaniarum Epiſcopus, & Philo decus Lybię, quos Hieronymus nunquam Arianę impietati mixtos dicit, Dracontius, quem S. Hilarion exulantem viſit, Serapion Tmuenſis ſub Conſtantio confeſſione celeberrimus, & S. Antonii hęres, Euſebius Samoſatenus ipſi Conſtantio prę conſtantię generoſitate mirabilis, Cymatius Epiſcopus Celeſyrię, & Carterius quos pro fide exulaſſe teſtis eſt Athanaſius, Catholica confeſſione clariſſimi eluxerunt. Et ut nihil de Epiſcopis inferioris notę dicam, quos Arianus furor, dum celebrioribus ſubvertendis incumberet, in ſuis Sedibus intactos relinquebat, ſtatim à morte Conſtantii integra Concilia Catholicorum Epiſcoporum in Oriente celebrata ſunt, in quibus de lapſorum Antiſtitum receptione tractaretur. Teſtatur enim Epiſtola Synodalis ex Concilio Alexandrino ſcripta, multos præclaros Epiſcopos ex Italia, Ægypto, & Lybia hac de cauſa confluxiſſe. Quòd ſi verò ad Occidentem nos convertamus, Eccleſia Catholioa non obſtante quacumque Conſtantii immanitate velut tabernaculum Domini in Sole poſitum radios ſuos in Orientem uſque fundebat. Nam ut admirandos illos Epiſcopos S. Euſebium Vercellenſem, Hilarium, Dionyſium Mediolanenſem pro fide exules prætermittam, idem ille Hilarius, quem pro Catholico nomine depreſſo citas, (alloquitur Voetium) *conſtantiam Epiſcoporum Germaniæ primæ & ſecundæ, Belgicæ primæ & ſecundæ, Lugdunenſis primæ & ſecundæ, Provinciæ Aquitanicæ, & Novempopulanæ, & Narbonenſis, & Provinciarum Britanniæ miris laudibus prædicat: uſque adeò ut eos dicat, miſſam ex Syrmienſi oppido infidelis fidei impietatem non modò non ſuſcepiße, ſed etiam nuntiatam ſignificatamque damnaße; manſiße & permanſiſſe ibi innocentem inviolatamque Religionem; fidei imperturbatæ inconcuſſæque famam quoſdam etiam Orientalium Epiſcopos commoviſſe. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quàm falſum ſit, quod dicis, Arianos applaudente toto terrarum orbe audiviße Catholicos.*

In Catalog. Script.

Ad iſtud verò Hieronymi dictum, *Miratus eſt univerſus orbis ſe eſſe Arianum*, ſic reponit: Hieronymus *ſignificat*, inquit, *Epiſcopos illos, cùm ſibi non eſſent conſcii Arianæ perfidiæ, ingemuiſſe de impoſtura perduellium, & miratos eſſe, quòd, ut infrà explicat, ſine conſcientia hæretici ferebantur. Nam, ut ibidem ex ipſis actis Concilii Ariminenſis refert, Catholici illi Epiſcopi non ſolùm generatim, ſed etiam nominatim ſingulos Arianæ hæreſis articulos ab Urſatio & Valente abiurari fecerant.* Hæc Janſenius.

Pagina 199.

QUÆSTIO TERTIA.

De auctoritate Eccleſiæ in rebus ad Religionem pertinentibus.

MUlta eaque graviſſimi momenti diſcutienda hìc ſe ſe nobis offerunt.

I. An & quis ſit ſupremus Judex controverſiarum fidei.

II. Qua via, quibuſve modis Eccleſia ſuam in rebus fidei & Religionis dijudicandis auctoritatem exercuerit.

III. An Eccleſia poſſit aliquando errare in cauſis fidei & morum definiendis.

IV. An major Epiſcoporum Summo Pontifici adhærentium numerus; paucis

paucis admodum ex adverſo reclamantibus, in fide errare poſſit, & aliquando aberraverit.

V. An & quæ unanimitas ſuffragiorum in Epiſcopis neceſſaria ſit, ad firmam & inconcuſſam ferendæ, vel latæ definitionis auctoritatem.

VI. Quale ſit à Chriſto Domino inſtitutum regimen Eccleſiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quis ſit ſupremus Judex controverſiarum fidei.

Status controverſiæ cum Hæreticis.

TAnti momenti eſt præſens de Judice controverſiarum quæſtio, ut omnibus, quas cum Hæreticis habemus diſſolvendis ac terminandis controverſiis una ſufficere debeat, ex qua omnes tanquam à communi radice ac fundamento pendent. Quippè ſi Eccleſia infallibilis eſt controverſiarum fidei Judex à Chriſto Domino inſtitutus, procul dubio ejus ſupremo judicio atque ſententiæ ſtandum eſt & obſequendum; atque vel ipſo pronuntiante Chriſto, *ſicut Ethnicus & Publicanus* habendus, *qui Eccleſiam non audierit.* *Matth. 15. v. 17.* Eò tendit integer & egregius Tertulliani de Præſcriptionibus Liber: eò reſpiciebat S. Hieronymus, cùm diſputans adversùs Luciferianos dicebat, *Poteram omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ Sole ſiccare.* Unde appoſitè omninò S. Auguſtinus, Lib. de quantitate animæ cap.7. n.12. *T.4.2.p. p.306.* *Auctoritati credere magnum compendium eſt & nullus labor.* Quia ſcilicet facile eſt deprehendere in Scripturis ſupremam illam Eccleſiæ in cauſis fidei tractandis ac definiendis auctoritatem, atque ita parcere immenſo & implicato labori diſcuſſionis & examinis, cujus prorſus incapaces ſunt *To.1.p. 406. F.* rudes ac imperiti fideles, *quos fides ſalvos facit, non exercitatio Scripturarum*, ait egregiè Tertullianus, Lib. de Præſcript. cap.14. *Pagina 207. B.*

Novatoribus Lutheranis & Calviniſtis ſemper maximè cordi fuit præſens controverſia. Probè quippè intellexerunt, certam & omninò conclamatam eſſe ſuæ, ac cujuſcunque alterius Hæreticorum ſectæ ruinam, ex illa ſuprema & infallibili Eccleſiæ in cauſis fidei dijudicandis auctoritate, qua unico quaſi ictu omnes errores ſimul confodiuntur ac convelluntur. Quapropter vires omnes ſuas ac conatus ad eam impugnandam converterunt: in odium & invidiam noſtris Catholicis objecere, malle illos in cauſis Religionis homines audire ac ſequi, quàm verbum Dei, quo tamen uno, inquiunt, ſtare debet ac concludi omnis de Religione ſententia.

Verùm ludunt illi in æquivoco; ac, ut ſimplices decipiant, duo maximè confundunt, quæ cautè diſtinguunt Orthodoxi; nempè Judicem, qui ſententiam inter litigantes pronuntiat, & legem ſeu regulam ad cujus præſcriptum pronuntiare ille tenetur. Agnoſcunt quidem omnes Catholici, Eccleſiam eſſe Judicem controverſiæ, Scripturam verò eſſe legem, regulam ſeu normam veritatis, ad quam controverſia dirimi debet; quam quidem regulam Eccleſia ſemper conſulit ac certiſſimè ſine ullo erroris periculo ſequitur. Unde auctoritas definitionis Eccleſiæ, nec ſimpliciter divina dicenda eſt, nec ſimpliciter humana, ſed humana divinitùs inſpirata. Non ſimpliciter divi-

divina, quia Deus immediatè per ſemetipſum non docet nos, ſed per Eccleſiæ ſuæ Miniſtros ac Paſtores: nec etiam ſimpliciter humana, quia certiſſima eſt & erroris neſcia; ergo eſt humana divinitùs inſpirata. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, ajunt Apoſtoli & ſeniores in Concilio Jeroſolymitano. *Act.15. v.28.*

Unde duplex diſtinguitur fidei noſtræ regula: una formalis ac movens, Dei ſcilicet revelatio in Scripturis expreſſa; altera dirigens, ac proponens quæ ſunt à Deo revelata, nempè Eccleſia. Cùm enim Scriptura ſit, ut vocant, regula mortua, ſeipſam exponere non poteſt, nec conſequenter lites circa varium ipſius ſenſum excitatas componere.

Quæſtio igitur inter nos & Novatores non eſt, utrum admittendus ſit aliquis Judex controverſiarum, neque utrum Scriptura ſit fidei noſtræ regula; utrumque omnes agnoſcimus: neque etiam utrum Scripturæ privato uniuſcujuſque ſenſu ac ſpiritu interpretandæ ſint; ſenſum hunc ſugillant illi, ac per calumniam ſibi à nobis affictum fuiſſe conqueruntur, qui apertè declarant, exiſtimare ſe Scripturas eo ſenſu eſſe intelligendas, quo factæ ſunt, hoc eſt ſenſu Spiritus ſancti.

Tota igitur quæſtio in eo poſita eſt, utrum ſola Scriptura, quam illi per ſe claram & perſpicuam eſſe affirmant, ſit controverſiarum Judex; & ubi ſit Spiritus ille divinus verus Scripturarum interpres, ubinam officium illud interpretis exerceat.

Mat.28. v.20. Catholici omnes ſentiunt Spiritum illum certò in Eccleſia eſſe; *Vobiſcum ſum omnibus diebus*.

Novatores Lutherani & Calviniſtæ è contra negant illum Epiſcopis, ſeu Eccleſiæ, vel ulli hominum generi alligatum eſſe, ideoque contendunt unumquemque judicem eſſe debere, ſive ſpiritum ſuum ſequendo, ſi ipſe donum intèrpretationis habeat; ſive alicui alteri, maximè verò electis & *To.1.p. 57.col. 1.* prædeſtinatis, quos unctio interiùs docet, adhærendo, quos eodem dono præditos viderit. Vide Bellarminum Lib.3. de verbo Dei cap.3. ubi verba refert Lurheri, Philippi, Brentii &c.

Uno verbo, in ſententia Novatorum, non privatus uniuſcujuſque hominis ſpiritus, ſed Spiritus Dei qui eſt in privatis hominibus, Scripturarum eſt interpres, ac Judex controverſiarum. Egregium verò diſcrimen! quaſi uterque ille explicandi modus non eadem incommoda & abſurda involveret, & phanatiſmo perinde ac cujuslibet Religionis tolerantiæ æqualiter non faveret, ſicut ex mox dicendis patebit. Rei abſurditatem ſenſerunt vel ipſi Novatores; quare incerti ubi pedem figerent, aliquando ſpiritum illum privatum, aliquando Eccleſiam, interdum ipſoſmet Principes Judices appellarunt controverſiarum fidei.

Cùm verò Eccleſia duas in partes dividi poſſit, in Paſtores ſcilicet qui docent, & plebem Chriſtianam quam regunt & docent, Eccleſiæ nomen hìc non collectivè ſeu adæquatè ſumimus, prout Paſtores ſimul & populum complectitur, ſed pro ea ſola Eccleſiæ parte cui docendi officium & miniſterium publicum commiſſum à Chriſto fuit, ſeu pro Paſtoribus quibus à Chriſto dictum, *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. His præmiſſis ſit *Mat.28. v.19. Joan.20 v.23.*

CON-

CONCLUSIO.

Neque ſola Scriptura, neque privatus ſpiritus, neque Princeps ſæcularis, ſed ſola Eccleſia Chriſti ſupremus ac infallibilis eſt controverſiarum fidei Judex.

Singulæ Concluſionis partes ſigillatim probandæ ſunt.

Probatur primò, ſolam Scripturam non eſſe Judicem controverſiarum fidei.

Multiplici argumento demonſtratur. 1. ab obſcuritate Scripturæ. 2. ab ejus inſufficientia ad omnia fidei capita comprobanda. 3. à natura & officio Judicis. 4. ex uſu & praxi Scripturæ.

I. Lex obſcura & ad intelligendum difficilis, quæ in varios & contrarios ſenſus trahi poteſt ac revera trahitur, non poteſt ſola abſque interprete ac Judice infallibili ſubnaſcentes de fide ac Religione controverſias terminare ac definire: atqui Scriptura ſacra obſcura eſt & ad intelligendum difficilis, quæ varios in ſenſus trahi poteſt ac de facto trahitur; ergo &c. [Primũ argumentũ ab obſcuritate Scripturæ]

Major propoſitio per ſe ſe manifeſta eſt. Nemo quippè neſcit omnibus Hæreticis id commune eſſe, ut errores ſuos ex Scripturis, quas aſſiduè verſant, confirment, eaſque in pravos ſenſus detorqueant. *Neque enim*, ait S. Auguſtinus Lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 9. n. 13. *non omnes Hæretici Scripturas Catholicas legunt; nec ob aliud ſunt Hæretici, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt.* [To. 3. p. 1. pag. 215. G.]

Et Vincentius Lirinenſis Commonitorii cap. 2. *Hìc forſitan requiret aliquis,* ait, *cùm ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ fungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt; ſed ejuſdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur, ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius &c. exponit .... Atque idcircò multùm neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.* [Biblioт. PP. T. 7. Part. 250. D.]

Minor propoſitio facilè demonſtratur.

I. Teſtimonio ipſius Scripturæ. S. Petrus 2. Epiſtolæ cap. 3. v. 16. loquens de Epiſtolis ſancti Pauli: ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Ubi notandum eſt;* ait Bellarminus Lib. 3. de verbo Dei, *Apoſtolum Petrum non dixiſſe, eſſe quædam difficilia indoctis & inſtabilibus, ut Hæretici exponunt, ſed difficilia abſolutè.* Et verò ſi tam clara & perſpicua foret Scriptura, qui fieri poſſet ut indocti eam tam facilè in ſuam perditionem depravarent? [To. 1. p. 52. H.]

Patet & confirmatur exemplis quæ Scriptura ſuppeditat. Diſcipuli euntes in Emaus non intellexerunt Scripturas, niſi eas ipſis exponente Chriſto. Lucæ 24. v. 27. Eunuchus Reginæ Æthiopum rogatus à Philippo an intel-

intelligeret Iſaiam Prophetam quem legebat, reſpondit: *Quomodo poſſum ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Act. 8. v. 31. Apoſtoli multa eorum, quæ à Chriſto dicebantur, non intelligebant. Matth. 13. v. 36. Acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus dicentes: *Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et cap. 16. v. 11. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* Et Lucæ 18. v. 34. *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis.*

II. Ex conſenſu Interpretum etiam Catholicorum, imò & Novatorum ipſorum. Quippè ſi tam clara & perſpicua eſt Scriptura, ad quid tot interpretationes? Unde inter Novatores ipſos tanta circa nonnulla Scripturæ loca exponenda diſſenſio? Numerantur apud ipſos 80. interpretationes varię iſtorum Chriſti verborum, *Hoc eſt Corpus meum*. Clara iſta videntur Luthero, ad ſtabiliendam realem & ſubſtantialem Chriſti in Euchariſtia præſentiam; ex adverſo clara videntur Calvino ad eam rejiciendam, & ſolam virtutis præſentiam comprobandam. Quis litem hanc inter illos componet? Scriptura? At de illius ſenſu controvertitur, & quiſque eam ad ſe inflectere nititur. Quotquot ergo extant, (extant autem penè infinita Interpretum Scripturæ volumina) totidem ſunt aperta obſcuritatis Scripturæ argumenta.

At, inquiunt, quæ obſcura ſunt, ex aliis locis clarioribus illuſtrari & exponi debent. Fatemur: methodum hanc vel ipſi Sociniani ultrò amplectuntur. Verùm, ſi de illa prætenſa majori aliorum teſtimoniorum claritate, diſcordia, ut ſæpè fit, excitetur, quis Judex erit? In dubio ac in ſuſpenſo fidem tunc hærere neceſſe eſt.

Regerunt iterum, ea fidei capita fundamentalia quæ ſunt ad ſalutem omninò neceſſaria, clara eſſe & manifeſta in Scripturis. Verùm jam anteà monuimus, vanam ac gratis omninò fictam eſſe diſtinctionem articulorum fundamentalium & non fundamentalium; ac neceſſe eſt, quamvis non eodem neceſſitatis gradu, credere quæcunque ſunt à Chriſto Domino revelata, & ab Eccleſia declarata. Deinde verò, an non unitas eſſentiæ in tribus diſtinctis perſonis, divinitas Chriſti, ſubſtantialis & hypoſtatica divinitatis cum humanitate conjunctio &c. ſunt articuli fundamentales fidei noſtræ? Attamen non ita clarè ac nitidè in Scripturis expreſſi viſi ſunt Arianis, Sabellianis, Neſtorianis, Socinianis, quin ab iis protervè impugnati fuerint.

III. Ex ſententia SS. Patrum. Ita

S. Irenæus Lib. 2. contra hæreſes cap. 28. aliàs 47. ubi poſtquam in rebus creatis & naturalibus plurima nos latere dixit, multa etiam in Scripturis obſcura eſſe docet, quorum intelligentiam petere à Deo debemus.

Origenes Lib. 7. contra Celſum. *Alii quoque cordati viri*, ait, *ſcrutando*
Edit. *Scripturam intellectum ejus invenire potuerunt, licèt revera ſit multis locis obſcura.*
Pariſ. S. Ambroſius Epiſtola 2. aliàs 44. ad Conſtantium. *Mare*, inquit, *eſt*
1619. p. *Scriptura divina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem propheticorum*
508.
To. 2. p. *ænigmatum.*
755. C. Sanctus denique Auguſtinus Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 6. *Multis,*
D. inquit, *& multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui te-*
To. 3. p. *merè legunt aliud pro alio ſentientes; quibuſdam autem locis, qui vel falsò ſuſ-*
1. pag. *picentur non inveniunt, ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obdu-*
21. C. *cunt.*

cunt. Quod totum proviſum divinitùs eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt.

Et Lib. de fide & operibus cap. 15. & 16. fatetur, ſibi difficillimum eſſe intellectu locum illum 1. Cor. 3. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum &c.* & dicit hunc eſſe unum ex illis locis quæ B. Petrus monuit eſſe difficilia intellectu. To. 6. p. 178. D.

Origo autem & cauſa obſcuritatis Scripturarum eſt, tùm ſublimitas humanæ menti inacceſſa Myſteriorum quæ continet; tùm corruptio & infirmitas hominis: *Animalis quippè homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* Tùm denique loquendi modus Scripturarum obſcurus, figuratus, ambiguus. 1. Cor. 2. v. 14.

Circa illam ambiguitatem iſtam regulam tradit S. Auguſtinus Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 2. n. 2. *Cùm*, inquit, *verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primò videndum eſt, ne malè diſtinxerimus, aut pronuntiaverimus. Cùm ergo adhibita intentio incertum eſſe perviderit, quomodo diſtinguendum aut quomodo pronuntiandum ſit, conſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis & Eccleſiæ auctoritate percepit. Quòd ſi ambæ vel etiam omnes, ſi plures fuerint partes, ambiguitatem ſecundùm fidem ſonuerint, textus ipſe ſermonis à præcedentibus & conſequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio poſuerunt, reſtat conſulendus, ut videamus cuinam ſententiæ, de pluribus quæ ſe oſtendunt, ferat ſuffragium, eamque ſibi contexi patiatur.* To. 3. p. 1. pag. 45. A. Ibid. B.

Et Lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 21. n. 41. *Cùm divinos Libros legimus*, inquit, *in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & ſanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potiſſimum deligamus, quod certum apparuerit eum ſenſiſſe quem legimus: ſi autem hoc latet, id certè quod circumſtantia Scripturæ non impedit, & cum ſana fide concordat: ſi autem & Scripturæ circumſtantia pertractari ac diſcuti non poteſt, ſaltem id ſolum quod fides ſana preſcribit. Aliud eſt enim quid potiſſimùm Scriptor ſenſerit non dignoſcere, aliud autem à regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfectè ſe habet fructus legentis: ſi verò utrumque vitari non poteſt, etiamſi voluntas Scriptoris incerta ſit, ſane fidei congruam non inutile eſt eruiſſe ſententiam.* Pagina 131. B.

IV. Denique, Scripturam obſcuram eſſe declarat ipſe Pſaltes Regius cùm ejus interpretationem ac notitiam ſupplex à Deo efflagitat, Pſal. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Ibidem: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Ibidem: *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.*

Secundum argumentum quo demonſtratur Scripturam ſolam ſupremum non eſſe controverſiarum Judicem, petitur ex ipſa Scripturæ inſufficientia ad omnes diſſolvendas fidei controverſias. Secundũ argumentum ex inſufficientia Scripturæ.

I. Duo in Scriptura ſpectanda ſunt; textus ipſe ſeu littera, & ſenſus.

Circa textum, quot controverſiæ? An textus, quem præ manibus habemus, & vocamus Scripturam, genuinum ſit Dei verbum? An Autographis Prophetarum & Apoſtolorum conformis? An purus & integer ad nos defluxerit; vel Judæorum aut Hæreticorum fraudibus depravatus & corruptus? An hujus textus verſiones qua par eſt fide, legitimum primigenii Autographi ſeu Exemplaris ſenſum referant? An denique hi vel illi Libri Canonici

nonici ſint, vel non? Ignorat nemo de his omnibus Hæreticos litem moviſſe. Scribit Euſebius Baſilidem fuiſſe quemdam Hæreticum, qui Libros neſcio quos Prophetarum, præter eos, qui in ſacro Volumine ſunt, comminiſceretur. Opinionem verò iſtam quomodo ex ſolius Scripturæ teſtimonio refelleres? Item S. Auguſtinus auctor eſt, nonnullos omnia rejeciſſe Evangelia. Neque defuerunt, teſte jam citato Euſebio, quibus omnes Epiſtolæ divi Pauli improbarentur. De multis quoque aliis Libris ſæpè fuit in Eccleſia diſputatum: an Canonici eſſent, cùm vel tales aliqui falsò à quibuſdam eſſe negarentur; vel alii importunè ementito nomine Apoſtolorum, fidelibus obtruderentur. Nonne Lutherani & Calviniſtæ negant Canonicos eſſe Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici & Machabæorum? Imò nec ipſi inter ſe de nonnullis Libris conſentiunt. Lutherus è Canone rejicit Epiſtolam ad Hebræos, & illam quæ S. Jacobi eſt, & Apocalypſim; quos Libros admittit Calvinus. Attamen magnis laudibus à Calvino & Beza effertur Lutherus, tanquam vir Apoſtolicus & electus. Neceſſe tamen eſt alterutrum, aut Calvinum, aut Lutherum, interiori illa ſpiritus unctione quæ veritatem docet, fuiſſe deſtitutum, quandoquidem unus eos Libros velut Canonicos & divinos admittit, quos alter negat & rejicit. Quis, quæſo, Judex erit inter illos? Quæ ipſis certa regula veritatem illam dignoſcendi? Nulla. An confugient ad illos tam conſpicuos divinitatis radios, quos in genuinis Scripturis ſplendeſcere affirmant, ac radios illos non deprehendit Lutherus: non ergo ita fulgidi ſunt & perſpicui? At Calvino videntur. An ad interiorem unctionem ſpiritus, qui modeſtos & humiles docet, non alios? ergo vel Luthero, vel Calvino ea defuit animi modeſtia & demiſſio quæ neceſſaria eſt ut concilietur & advocetur interior ſpiritus unctio. An denique provocabunt ad Traditionem & Canonem Judæorum, ut reſciant quinam veteris Inſtrumenti Libri pro Canonicis habendi ſunt, vel non? Ergo alium in hac cauſa Judicem, quàm Scripturam agnoſcunt? Canonem ſcilicet & Traditionem Judæorum. Res profectò mira & lepida! Pluris illi Judæos faciunt, quàm Chriſtianos; & cùm ipſi Chriſtiani eſſe ac videri velint, Chriſti & Apoſtolorum Traditionibus ac Eccleſiæ auctoritati infenſiſſimi ſunt. Cur non dicunt cum Auguſtino Lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. *Machabæorum Libros non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*? Et cum Iſidoro Lib. Proœmiorum de Libris veteris ac novi Teſtamenti, *Machabæorum Libri duo licèt non habeantur in Canone Hebræorum; tamen ab Eccleſia inter divinorum voluminum annumerantur Hiſtorias*. Et ſuprà: *Conſtat hunc Librum* (Eccleſiaſticus) *inter reliquos ſanctarum Scripturarum Libros pari habitum veneratione*.

(Lib. 2. Retractat. c. 16. — Lib. 3. Hiſt. c. 27. — To. 7. p. 519. D. Edit. Pariſ. 1601. p. 410. col. 2. — P. 407. col. 2. A.)

Ergo controverſiæ quæ circa textum ipſum Scripturæ naſcuntur, ſola Scriptura judice diſſolvi ac terminari non poſſunt.

Multò minùs eæ quæ ſenſum illius legitimum ſpectant. De ſenſu enim & intelligentia Scripturarum potiſſimum controvertitur. *Littera quippè occidit, ſpiritus autem vivificat*. *Heretici ſimilia loquentes fidelibus, non ſolùm diſſimilia ſapiunt, ſed & contraria*, ait S. Irenæus. S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 70. obſervat Priſcillianiſtas Manichæis verſutiores in eo fuiſſe, *quòd nihil Scripturarum Canonicarum repudient, ſed in ſuos ſenſus allegorizando verſant quidquid in Libris ſanctis eſt, quod eorum evertat errorem*. Quod omnibus Hæreticis commune ſemper fuit, iſtud & in noſtris

(2. Cor. 3. v. 6. — To 8. p. 22. G.)

noſtris quoque poſterioris ævi Novatoribus deprehenditur; Scripturam in varios & contrarios ſenſus diſtrahunt: v.g. verba iſta, *Hoc eſt Corpus meum*, Lutherani ad præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia; Calviniſtæ è contra ad abſentiam realem, & ſolam præſentiam metaphoricam & figuratam inflectunt. Hæc pariter, *Ego & Pater unum ſumus*, Calvinus Comment. in Joan. intepretatur de unione dumtaxat morali affectus & voluntatis, aſſeritque Patres Nicænos perperam ex iis verbis unionem ſubſtantialem collegiſſe. Attamen interpretationem hanc vulgò rejiciunt Calvini diſcipuli, tanquam falſam & periculoſam; imprimis Joannes Meſtrezat Pariſienſis Eccleſiæ Reformatæ Pſeudoadminiſter Tractatu Gallicè ſcripto de Scriptura ſacra. Denique, ut alia penè infinita hujuſce generis omittamus, ſolemnia iſta Chriſti verba Joan. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, quibus Catholici omnes adversùs Arianos tùm veteres tùm recentiores invictè demonſtrant Chriſtum quantùm ad divinitatem præextitiſſe, antequam ex Maria Virgine naſceretur; verba, inquam, iſta nonnulli ex Calvini diſcipulis explicant de præexiſtentia quantùm ad deſtinationem, ſeu decretum Dei, eo ipſo ſenſu quo Chriſtus dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*: non quidem quoad realem ſanguinis effuſionem, ſed quoad deſtinationem, pretium, & applicationem meritorum ſanguinis Chriſti, qui definito tempore pro ſalute hominum effundendus erat. Ita Calvinus, Theodorus Beza &c. quibus accedit Grotius. En quò ducat præceps illa licentia interpretandi Scripturas ad privatum uniuſcujuſque ſenſum, ſecluſa Eccleſiæ auctoritate, quæ ſola tanquam Judex & Magiſtra audiri debet. Scriptura quippe, lex eſt muta ſeu mortua, quæ ſilet cùm in varios ac contrarios ſenſus torquetur; ergo neceſſe eſt confugere ad vivam quamdam ac ſpirantem regulam, quæ verum ac legitimum Scripturarum ſenſum aperiat & figat, lites ac diſſenſiones circa varios illos ſenſus excitatas ſupremo ſuo Judicio componat ac finiat: aliàs, æternis ac infinitis inter ſe diſſidiis Chriſtiani miſerè diſcerpentur ac vexabuntur. Appoſitè omnino Tertullianus Lib. de Præſcript. cap. 17. dicebat: *Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas; & ſi quas recipit, non recipit integras...... Et ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus.* Unde cap. 19. concludit: *Ergo non ad Scripturas provocandum eſt; nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incertæ?*

Joa. 10. v. 30. — Lib. 4. c. 9. 48. — Pag. 208. A. — Ibid. C. D.

II. Multa ex fide credere tenemur, quæ tamen in Scripturis expreſſa non ſunt; ergo ſola Scriptura non ſufficit omnibus de fide controverſiis diſſolvendis ac finiendis. Nullibi ſcriptum eſt validum eſſe Baptiſmi Sacramentum collatum ab Hæreticis. *Quam conſuetudinem*, (rebaptiſandi Hæreticos) inquit S. Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. *credo ex Apoſtolica Traditione venientem: ſicut multa quæ non inveniuntur in Litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* T. 9. p. 102. F.

Similiter credimus Patrem eſſe ingenitum, nec tamen in Scripturis legimus. *Patrem*, ait idem ſanctus Doctor Epiſt. 238. aliàs 174. n. 6. *in illis Libris* (Scripturis) *nuſquam ingenitum legimus, & tamen dicendum eſſe defenditur.* T. 2. p. 855. A.

Libro 2. contra Maximinum Arianum c. 3. Maximino querenti, *Da teſtimo-*

T. 8. p. 693. G. *nia ubi adoratur Spiritus ſanctus.* Reſpondet S. Doctor: *Quaſi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legiſti Patrem Deum ingenitum vel innatum? Et tamen verum eſt.*

Item Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 23. n. 31. *Sunt multa,* inquit, T. 9. p. 156. F. *quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.*

Ante Auguſtinum jam dixerat Tertullianus Lib. de Corona cap. 4. *Harum &* Pag. 102. A. B. *aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.*

Licèt autem de variis diſciplinæ capitibus hæc ſcripſerit Tertullianus, certò tamen conſtat, aliqua pertinere ad fidem, quorum nulla in Scripturis mentio: v. g. beatam Virginem perpetuò virginem permanſiſſe; infantes Baptiſmi capaces eſſe, ac baptiſandos; Paſcha die Dominica celebrandum eſſe, contra hæreticos Quartodecimanos &c.

Cùm igitur S. Paulus 2. ad Timot. 3. v. 16. ait, *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus;* ſenſus non eſt, ſicut Novatoribus videtur, Scripturam ſolam abſque adminiculo alterius regulæ ſufficere ut homo ſit perfectè eruditus in omni opere bono. (Loquitur enim Apoſtolus de omni & quilibet Scripturæ parte: at certum eſt in qualibet Scripturæ parte non omnem, quæ ad fidem pertinet, veritatem contineri.) Senſus igitur Apoſtoli eſt, Scripturam integram, & quamlibet ejus partem, quantùm ad ea quæ continet, ad promovendam ſalutem valere, ac ſingulis prodeſſe poſſe.

Tertiū argumentū ex natura & officio Judicis.

Tertium argumentum petitur ex natura & officio Judicis. In omni ſcilicet Republica benè inſtituta & ordinata, Lex & Judex, ut initio hujuſce diſputationis diximus, duæ ſunt res diſtinctæ ac diſtinguendæ. Lex enim docet quid ſit agendum: Judex verò ex præſcripto legis pronuntiat. Lex dirigit ſubditos, declarando ipſis quæ facienda ſunt, vel omittenda; Judex autem illos cogit ut faciant vel omittant, ac reos pro natura delicti punit. Scriptura eſt quidem lex, norma & regula fidei & morum, at non poteſt eſſe Judex, ut contendunt Novatores. Namque qui Judex eſt inter duos litigantes, debet ita pronuntiare ſententiam, ut uterque litigantium clarè intelligat quænam ſit Judicis ſententia; & alter eorum fateatur illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe: niſi ita fuerit, à lite non deſiſtent, & interminabilis evadet controverſia. Atqui non poteſt ſola Scriptura id præſtare. Litigant Lutherani & Calviniſtæ tùm inter ſe, tùm nobiſcum: hactenus tamen ex ſola Scriptura finiri ac terminari non potuit controverſia, & quiſque in priori ſua ſententia immotus perſiſtit.

Confirmatur vis hujus argumenti ex his duobus quæ tam Lutherani quàm Calviniſtæ fatentur. Primum, ſe non alium Judicem agnoſcere, quàm ſolam Scripturam: alterum, hanc ipſam Scripturam eſſe claram, perſpicuam, & ad omnes controverſias ſopiendas per ſe ſufficientem, nec ullam falſitatem ſubeſſe illi poſſe. Atqui tamen litigare non ceſſant tùm inter ſe, tùm nobiſcum, nec hactenus ex illa regula tam clara & perſpicua potuit diſcordia componi: neceſſe igitur eſt alterutrum ſequi, vel Scripturam hactenus non

pro-

pronuntiaſſe claram, perſpicuam, & ſufficientem ſententiam; vel certè ſi pronuntiavit, Lutheranos & Calviniſtas pervicaces eſſe, qui claræ, perſpicuæ, ac ſufficienti regulæ non acquieſcunt.

Quartum denique argumentum ducimus ex uſu & praxi Scripturæ tùm veteris, tùm novi fœderis.

Quartum argumentum ex uſu & praxi Scripturæ. Primò ex veteri Teſtamento. Exodi 18. v. 18.

Primò, quotquot inter Judæos excitabantur circa legem, præcepta, cæremonias &c. controverſiæ, non una Scriptura, ſed judicio atque ſententia Sacerdotum qui erant ad hoc miniſterium inſtituti, diſſolvebantur. Duplex verò apud ipſos Tribunal ſeu Concilium fuit: unum minus, quod Moſes ſuadente Jethro inſtituit. Quippe cùm ſolus Moſes ſederet de manè uſque ad veſperam judicans populum, nec tanto labore ferendo par foret, *Stulto labore conſumeris*, dicebat ei Jethro, *ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea atque conſilia, & erit Deus tecum. . . Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas; & qui oderint avaritiam: & conſtitue ex iis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo judicent.* Conſilio cognati ſui Jethro acquievit Moyſes, ac conſtituit in omni civitate Judices illos inferiores.

Alterum verò Concilium ſeu Tribunal majus, quod Sanedrin, vel Concilium ſeniorum vocabatur, Deus juſſit inſtitui Numer. 11. v. 16. & ſeq. *Dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint ac magiſtri, & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis; ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Fecit Moyſes quod Deus ei præceperat. Ad iſtud porrò ſuperius Tribunal ſeu Concilium ſeniorum deferenda erat, ſi quæ oriebatur, majoris momenti de Lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus controverſia. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris,...* ait Deus Deut. 17. v. 8. & ſeq. *ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.*

Lib. 2. Paral. 19. v. 10.

Inter majus autem & minus Concilium Judæorum multiplex diſcrimen fuit: 1. quia majus tantùm erat in Jeruſalem; minus in ſingulis civitatibus. 2. in majori dijudicabantur majores controverſiæ; in minori faciliores. 3. in majori præſidebat Pontifex; non item in minori. 4. à minori licebat appellare ad majus; non contra à majori ad minus. 5. in majori erant ſeptuaginta viri præter Pontificem; in minori viginti tres. 6. majus vocabatur Sanedrin; vel Synedrion, vel Concilium ſeniorum; minus non ita. 7. denique, ſeptuaginta ſeniores à Moyſe ſelecti, acceperunt ſpiritum prophetiæ in ipſa electione: *Auferam de ſpiritu tuo*, ait Deus alloquens Moyſen, *tradamque eis*; non alii per civitates conſtituti Judices. *Num.* 11. v. 17

Digitized by Google

Neque verò eſt quod excipiant Novatores: Judices illos ſuperiores de cauſis dumtaxat aut civilibus, aut merè ceremonialibus ſeu legalibus, non de iis quæ ad fidem pertinent, judicaſſe. Conſtat enim ex Lib. 2. Paralipom. c. 19. v. 10. delatas ad eos fuiſſe cauſas *de lege*, *de mandato*, *de ceremoniis*, *de juſtificationibus*. Inter mandata autem & juſtificationes, numquid fides in venturum Meſſiam includebatur? Nonne ibidem v. 11. dicitur: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit?* At controverſiæ de fide & Religione ad Deum pertinent.

Confirmatur exemplo. Namque inter controverſias fidei erat una præcipua de Meſſia: at hæc ipſa, quando dubitatum fuit tempore Herodis, an Meſſias jam natus eſſet, deferebatur ad Concilium Sacerdotum, in quo Pontifex præſidebat, ut patet ex Evangelio Matth. 2. v. 3. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Iſrael.* Ubi tria notanda ſunt: 1. Regem Herodem totumque Hebræorum populum dubitaſſe de loco, in quo Meſſias eſſet naſciturus. 2. Dubitationem hanc non auſos illos fuiſſe per ſe diſcutere ac ſolvere, ſed detuliſſe ad ordinarium Concilium Sacerdotum. 3. Sacerdotes ex officio illam diſſolviſſe ex Scriptura, tanquam norma & regula quam in dubiis conſulebant ac ſequebantur.

II. Idem uſus manifeſtus eſt in novo Teſtamento. Solemne eſt ac peremptorium exemplum controverſiæ de obſervandis Legalibus, quæ tempore Apoſtolorum excitata fuit, de qua *magna conquiſitio* facta narratur Act. 15. ſcilicet, an qui è Gentilibus ad fidem Chriſti convertebantur, jugo Circumciſionis ſubjiciendi forent, vel ab eo liberandi. Affirmabant aliqui, negabant alii. At qua via terminata & finita fuit illa controverſia? An ad ſolam Scripturam, ex qua pro utraque parte affirmante vel negante, produci teſtimonia poterant, tanquam ad communem Judicem delata eſt? Nullatenus: ſed potius ex conſenſu utriuſque partis delecti ſunt aliqui, qui Jeroſolymam irent ad Apoſtolos, ut ipſi in ſolemni Concilio de re tota cognoſcerent ac pronuntiarent; quod reipſa factum eſt. Quamquam enim Paulus & Barnabas, qui ambo erant Apoſtoli, Prophetæ, & Doctores, ambo à Spiritu ſancto ſpeciatim delecti ut Evangelium Gentibus prædicarent, & etiam illud revera prædicaverint, quæſtionem illam infallibili Judicio finire potuiſſent, neuter tamen officium illud voluit in ſe ſuſcipere, ſed ad Concilium Apoſtolorum potius deferre, ut ſuo exemplo docerent, hujuſmodi controverſias, quæ fidem ac Religionem ſpectant, ad ordinarios Eccleſiæ Prælatos, vel, ad Concilia Prælatorum deferri oportere. Hæc verò fuit ſolemnis Apoſtolorum in Concilio Jeroſolymitano definitio: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.*

Act. 13. v. 1.

Ibi. 15. v. 28.

Pro-

Probatur ſecundò, privatum ſpiritum non poſſe aſſignari tanquam Judicem controverſiarum fidei.

I. In omni Republica benè ordinata & conſtituta neceſſe eſt ſedere aliquos Judices, qui legem Principis interpretentur, ac civiles ſubditorum cauſas dirimant: ſi enim privato cuilibet id licitum foret, quanta inde rerum perturbatio? quanta in civili ſocietate confuſio? Ita prorſus evenit in Eccleſia. Non ſatis ejus ſecuritati ac tranquillitati proviſum à Deo fuiſſet, niſi eſſet regula quædam viva & ſpirans, quæ natas de fide ac Religione controverſias ſupremo Judicio definiret. Quò tandem evaderet fidei unitas & firmitas, ſi privatorum examini, judicio & interpretationi permitteretur? Quiſque ad libitum ſibi fidei dogmata effingeret; nullus unquam futurus eſſet controverſiarum ac diſcordiarum finis; anceps & dubius ſemper hæreret fidelium animus, ac tandem patentiſſima via pandetur ad indifferentiam & tolerantiam omnium Religionum. Quis verò in mentem ſuam facilè induxerit, tam malè à Chriſto Eccleſiæ ſuæ, quam dilexit, & proprio ſuo ſanguine acquiſivit, proſpectum fuiſſe?

II. Lex fidei debet eſſe publica & nota, pro natura Eccleſiæ quæ ſocietas eſt viſibilis & conſpicua: debet eſſe una, non multiplex; non varia, neque contraria ſed ſimplex, conſtans & uniformis: atqui quàm longè ab his conditionibus diſtat ſpiritus ille privatus Novatorum, ſeu ſpiritus revelans unicuique privato homini quæ ſunt ex fide credenda vel agenda! Occultus ille eſt ac latens: non videtur, non auditur, ſicuti videri debet & audiri à partibus litigantibus Judex qui ſententiam pronuntiat: Varius eſt, multiplex, contrarius; patet ex jam dictis. Spiritus quippe ille privatus Luthero ſuggeſſit aliquos è Canone Eccleſiaſtico Libros expungendos eſſe, quos tamen admitti debere idem ſpiritus Calvino inſpiravit. Pariter verba iſta, *Hoc eſt Corpus meum*, ad ſenſum præſentiæ realis Luthero, è contra Calvino ad ſenſum præſentiæ ſpiritualis dumtaxat & figuratæ interpretanda eſſe, prætenſus ille ſpiritus privatus ſuggeſſit. Item verba iſta, *Ego & Pater unum ſumus*, de unione morali & affectiva Calvinus intelligit; ſicut & iſta, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, de præexiſtentia tantùm in decreto Dei, non vera & reali, contra unanimem omnium Catholicorum ſententiam adverſùs Socinianos.

Et verò nunquam ſatis intelleximus, qua ratione Lutherani & Calviniſtæ, è quorum ſinu prodiere Sociniani, iiſdem cum ipſis innutriti & innixi principiis, qua, inquam, ratione ab iſtorum laqueis una tantùm judice Scriptura, ſeſe extricare & expedire poſſint? Nihil etenim juris habent Lutherani & Calviniſtæ ad Scripturam in ſenſus figuratos & metaphoricos detorquendam, quod ſibi pariter vendicare non poſſint Sociniani, ubi contendunt Chriſtum ſenſu figurato Deum appellari, ab auctoritate ſcilicet, quomodo Judices Dii etiam nuncupantur. Quam diſparitatem afferent? Scripturæ claritatem? Hanc in cauſa ſua laudabunt & ipſi Sociniani. Spiritum privatum ejuſque internam unctionem? Et de iſta pariter illi gloriabuntur. Collationem unius vel plurium locorum Scripturæ, cum aliis? At in iſta plurimùm & ipſi confidunt. Traditionem? At iſtam communi ſuffragio

Novatores rejiciunt. Ergo, ſi ſemel auctoritas Eccleſiæ judicantis & pronuntiantis ſeponatur, nulla unquam certa via comprimi ac revinci poterunt à Lutheranis & Calviniſtis Sociniani; nullum tam immane erroris portentum, quod non invehatur, & obtineat.

Imò nec ipſimet Sociniani, qui omnia fidei noſtræ myſteria humana ratione & grammaticalibus argutiis plerumque metiuntur & æſtimant, nonnulla, quæ nobiſcum pariter admittunt, doctrinæ capita, v.g. creationem ex nihilo, tueri unquam poſſunt adversùs eos qui ex præjacente materia mundum à Deo creatum fuiſſe contendent. Nemo ignorat Socinianos in litterali ſeu grammaticali verborum ſignificatione totos hærere: at fatentur linguæ Hebraicæ periti, verbum Hebræum quod Vulgata noſtra reddit per verbum *Creare*, ex æquo ſignificare, facere, producere, formare, ac creare ex nihilo: quomodo igitur adversùs eos qui creationem ex nihilo ſugillant, ex una Scriptura eam invictè demonſtrabunt Sociniani? Adeo verum eſt, excuſſo ſemel auctoritatis Eccleſiæ jugo, mentem humanam ſibi permiſſam nulloque vinculo retentam, in omne abſurditatum & errorum genus præcipitem ruere.

III. Judex debet habere auctoritatem coactivam; alioqui nihil prodeſſet ejus judicium, maximè adversùs eos, qui non amore juſtitiæ, ſed metu pœnæ à malo retrahuntur: at privatorum non eſt habere vim coactivam, cujus primaria & radicalis auctoritas in Principe Communitatis reſidet. *Rom. 13. v. 4.* *Non enim ſine cauſa* Princeps *gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.*

IV. Quàm multi ſunt adeo rudes & imperiti, qui cujuſcunque diſcuſſionis & examinis, in rebus fidei, planè incapaces ſunt, ut ipſimet candidè fatentur; & tamen etiam illi ſalvari poſſunt: igitur neceſſe non eſt ut omnes & ſinguli judicent de quæſtionibus fidei.

V. Si ſpiritus ille revelans privatus eſſet judex, præcluderetur via converſioni Hæreticorum, ait hìc Bellarminus, nec ullæ controverſiæ unquam terminari poſſent. *Lib. 3. de verbo Dei c. 9. T. 1. p. 162. H.* Nam nemo eſt Hæreticorum qui ſpiritum non jactet, & qui ſpiritum ſuum non præponat ſpiritibus aliorum. Et ſicut 2. Paralip. 18. cùm diceret Michæas Propheta Domini, ſe loqui in nomine Domini, Pſeudoprophetas autem agitari ſpiritu mendacii, reſpondit ei Sedecias Pſeudopropheta; *Per quam viam pertranſivit ſpiritus Domini à me, ut loqueretur tibi?* Ita ſi Catholicus diceret, Ita mihi ſpiritus revelat, reſponderet hæreticus, *Et per quam viam &c.*

VI. denique, in Scripturis à Deo redarguuntur, qui in rebus divinis ſpiritum ſuum privatum audiunt ac ſequuntur. *Ezech. 13. v. 3. Ib. v. 6. & 7.* *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident.... vident vana & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miſerit eos... cùm ego non ſim locutus, ait Dominus.* *Jer. 23. v. 16.* Rurſus: *Nolite audire verba Prophetarum qui prophetiſant vobis & decipiunt vos: viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.* *Ib. 14. v. 14.* Et: *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo... non locutus ſum ad eos, viſionem mendacem & divinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis ſui prophetant vobis.* *Matth. 7. v. 14.* Item & Chriſtus ipſe: *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces:* *Ib. 24. v. 23.* Et: *Si quis vobis dixerit, Ecce hìc eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* *Joa. 4. v. 1.* Rurſus: *Nolite omni ſpiritui crede-*

credere, ſed probate ſi ſpiritus ex Deo ſunt. S. Petrus Epiſtolæ 2. cap. 1. v. 20. decretoriè pronuntiat, *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Denique S. Paulus ad Titum 3. v. 10. jubet hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devitari, quia *proprio judicio condemnatus ille eſt*. Porrò ſi exiſtimaſſet Apoſtolus privatum ſpiritum unicuique certam eſſe fidei regulam, non dixiſſet hæreticum proprio ſuo judicio condemnatum eſſe; imò magis probatum, hunc ſuum ſpiritum ſequendo. Condemnatum igitur idcirco aſſerit Apoſtolus, quia ſciens ac volens Eccleſiæ monentis ac corripientis Judicio atque ſententiæ non acquieſcit.

Probatur tertiò, Principem ſecularem Judicem non eſſe controverſiarum fidei.

Brentius in Confeſſione VVirtembergenſi cap. de ſacra Scriptura, & copioſiùs in Prolegomenis contra Petrum à Soto, duo docet: primò, *non licere in cauſa æterne ſalutis alienæ ſententiæ ita inhærere, ut eam ſine noſtro ipſorum judicio amplectamur*. Secundò, *ad unumquemque hominem privatim pertinere de doctrina Religionis judicare, & veram à falſa internoſcere. Sed hoc intereſſe inter privatum & Principem, quòd ut privatus privatam, ita Princeps publicam habet de doctrina Religionis poteſtatem judicandi & decidendi*. Et toto ferè Libro hæc duo probare nititur, quòd Princeps ſæcularis teneatur cogere ſubditos, etiam mortis ſupplicio, ad eam fidem, quam ipſe judicat eſſe veram; & ſimul, quòd ſubditi obligentur ſequi proprium judicium, non alienum, cujuſcunque ſit: nec advertit Brentius quàm hæc ſint abſurda & inter ſe pugnantia, ut teneatur Princeps jubere, & ſubditi teneantur non obedire: ſed Brentium mittamus.

Certum eſt Principi ſæculari hanc à Deo poteſtatem datam non fuiſſe, ut Judex ſedeat in cauſis fidei, eaſque dirimat. Nullibi privilegium iſtud legimus in Scripturis. *Eſt quidem* (Princeps) *Dei miniſter*, (eaque de cauſa gladium portat) *vindex in iram ei qui malum agit*: eſt legum Eccleſiæ, ac dogmatum Religionis cuſtos, aſſertor, vindex, protector, qui acceptam à Deo poteſtatem convertere maximè tenetur in præſidium, tutelam & columen Catholicæ Eccleſiæ; at arbiter non eſt nec Judex ſupremus controverſiarum fidei. Ex illis non eſt quibus dictum fuit, *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Attendite vobis, & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei &c.*

Ro. 13. v. 4. *Matth. 28. v. 19.* *Jo. 20. v. 23.* *Act. 20. v 28.*

Princeps aliquando Epiſcopus exterior appellatur, non quidem à ſpirituali Ordinis poteſtate, ſed à cura, ſollicitudine, protectione, qua res Eccleſiæ juvat ac promovet. Diſtincti omnino ſunt utriuſque poteſtatis, ſpiritualis & temporalis, fines ac limites, nec una in aliam excurrere poteſt: non ſpiritualis in temporalem, non temporalis in ſpiritualem. *Nec te rebus miſceas Eccleſiaſticis*, ſcribebat Chriſtiana libertate Oſius Epiſcopus Cordubenſis ad Imperatorem Conſtantium, *neu nobis his de rebus præcepta mandes; ſed à nobis potius hæc ediſcas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Eccleſiaſtica con-*

Apud ſanctū Athanaſium Ep. ad ſolitariā vitam agentes. T. 1. p. 371. A.

*credidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium ſubripit, Deo ordinanti repugnat
ita metue, ne ſi ad te Eccleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddi-
te, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Neque nobis;
igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes poteſtatem.* Sanctus Ambro-
ſius Epiſt. 21. aliàs 32. ad Imperatorem Valentinianum Juniorem, qui ab Aria-
T. 2. p. nis depravatus volebat de rebus fidei judicare: *Certè,* inquiebat, *ſi vel Scri-*
861. A. *pturarum ſeriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat,
in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chri-
ſtianis,* (id eſt, de fide eorum) *non Imperatores de Epiſcopis,* (id eſt, de eo-
rum fide) *judicare? Eris, Deo favente, etiam ſenectutis maturitate provectior,
& tunc de hoc cenſebis, qualis Epiſcopus ſit, qui laicis jus ſacerdotale ſubſternit.
Pater tuus vir maturioris ævi, dicebat: Non eſt meum judicare inter Epiſcopos;*
Pag. *tua nunc dicit Clementia: Ego debeo judicare.* Et infrà: *Si conferendum de fide,*
862. D. *Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſtæ me-*
E. *moriæ principe, qui nullas leges antè præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacer-
dotibus. Factum eſt etiam ſub Conſtantio auguſtæ memoriæ Imperatore, paternæ
dignitatis hærede. Sed quod benè cœpit, aliter conſummatum eſt. Nam Epiſcopi
ſinceram primò ſcripſerant fidem: ſed dum volunt quidam de fide intra Palatium
judicare: id egerunt, ut circumſcriptionibus illa Epiſcoporum judicia mutarentur.*
Obſerva hìc, laicos in domo Principis, dum volunt de ſententia Epiſcopo-
rum judicare, in errorem incidere meruiſſe.

Vel ipſimet Imperatores agnovere ſibi jus non eſſe de rebus fidei ac
Religionis decernere.

Conſtantinus, teſte Euſebio Lib. 3. de vita Conſtantini cap. 10. in Conci-
lio Nicæno non priùs aſſedit, quàm Epiſcopi, ut ſederet, annuiſſent: quo
ſigno ſatis indicavit, ſe Concilio non præeſſe. Deinde finito Concilio ſcri-
pſit Epiſtolam omnibus Eccleſiis, quam ibidem integram refert Euſebius, in
Edit. cujus fine ſic ait: *Quæ cùm ita ſint, cæleſtem gratiam & planè divinum manda-*
Valeſ. *tum libenter ſuſcipite. Quicquid enim in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geri-*
p. 494. *tur, id omne ad divinam referendum eſt voluntatem.*
B.

Theodoſius junior in Epiſtola ad Synodum Epheſinam: *Igitur,* inquit,
Candidianum præclariſſimum ſacrorum domeſticorum Comitem ad ſacram veſtram
To. 3. *Synodum abire juſſimus, ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & contro-*
Conc. p. 441. E. *verſiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: nefas eſt
enim qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccle-
ſiaſticis negotiis & conſultationibus ſeſe immiſcere.*

Martianus Imperator, L. nem. cap. de Summa Trinitate & fide Catholica:
Injuriam, inquit, *facit judicio Reverendiſſimæ Synodi, qui ſemel judicata re-
volvere, & diſputare contendat.*

Denique, ut alios miſſos faciamus, Baſilius Imperator in VIII. Synodo
To. 8. ſic loquitur; *De vobis autem,* inquit, *Laicis, tam qui in dignitatibus, quàm*
Conc. p. *qui abſolutè converſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quia nullo-*
1154. C. *modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus reſiſtere
integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hoc enim inveſtigare &
quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium
ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ligandi & ſolvendi poteſtatem habent: qui Ec-
cleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claves: non noſtrum qui paſci debemus, qui ſan-*
ctifica-

Digitized by Google

ſtificari, qui ligari, vel à ligamento ſolvi egemus. Addit ibidem Imperator prædeceſſores ſuos Imperatores Conſtantinum, Theodoſium, Martianum, & alios nuſquam in Synodis ſubſcripſiſſe, niſi hos omnes Epiſcopos. *Ibid. p. 1155.*

Revera Conciliis aliquando interfuere Principes, aut aliquos nomine ſuo ad ea direxerunt, non quidem ut fidei Judices, ſed ut protectores & quaſi cuſtodes, qui Concilii diſciplinam promoverent, removerent tumultus & coitiones, Epiſcopis pacem ac libertatem ex officio tuerentur.

Probatur denique ſolam Eccleſiam eſſe ſupremum & infallibilem Judicem controverſiarum fidei.

Neceſſariò admittenda eſt in Eccleſia Chriſti regula quædam viva & ſpirans, quæ ſupremo ſuo Judicio enatas de rebus divinis controverſias dirimat & componat: atqui regula iſta ſeu Judex non poteſt eſſe Scriptura, neque ſpiritus revelans privatus, neque Princeps ſæcularis; ergo eſt ipſamet Eccleſia, id eſt, Summus Pontifex, Epiſcopi, ſive in Concilio, ſive extra Concilium, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.

Minor propoſitio ex jam dictis ac probatis demonſtrata manet. Major verò tam certis & invictis momentis probatur, ut à nemine, qui ſanæ mentis fuerit, negari poſſit.

I. Quia ad divinam pertinet providentiam, Judicem illum ſupremum controverſiarum fidei ſtatuere. Ita S. Auguſtinus Lib. de utilitate credendi cap.16. *Si Dei providentia*, inquit, *non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Religione ſatagendum. Sin verò* (præſidet...) *non eſt deſperandum ab eodem ipſo Deo auctoritatem aliquam conſtitutam eſſe, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum*. Paulò antè dixerat: *Sola eſt auctoritas quæ commovere poſſit ſtultos* (hoc eſt adhuc ipſius rei ignaros) *ut ad ſapientiam feſtinent*. Quod Auguſtini dictum, maximè locum habet in fidei Religioniſque Judicio, in quo *vel ipſa mundi ſapientia ſtultitia eſt*, ſi poſtpoſita auctoritate, divina myſteria humano ſenſu inveſtigare voluerit. *To.8. p. 67.E.* *1. Cor. 3.v.19.*

II. Myſteria fidei noſtræ totidem facta ſunt à Deo revelata, factorum autem veritas, non ratione, ſed una auctoritate dignoſci poteſt. Chriſtus facta illa ſeu Myſteria ſuis Apoſtolis revelavit, *quos docuit omnem veritatem*: Apoſtoli verò iis, quos Epiſcopos inſtituerunt, tùm viva voce, tùm ſcriptis eam tradiderunt; iſti verò ſuis immediatis ſucceſſoribus, & ita deinceps continua & nuſquam interrupta traditione quaſi per manus ad nos uſque veritas fidei deducta eſt, cujus Epiſcopi & teſtes ſunt, & Judices neceſſarii. Teſtes quidem, quia teſtantur hanc vel illam doctrinam ſuis Eccleſiis traditam eſſe, receptam, & in iis conſervatam; Judices verò, quia huic doctrinæ contrariam, ſi quæ poſtmodum invehatur, ut novam, peregrinam, ac ſpuriam damnant ac rejiciunt: monente ac jubente Apoſtolo, *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Jam dixerat: *Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. Judices autem idcirco ſunt, quia teſtes: non enim alia de cauſa judicant doctrinam aliquam falſam eſſe, quàm quia adverſatur illi, quam perpetuò ſuis in Eccleſiis viguiſſe, & etiamnum vigere teſtes ipſi ſunt. *Joa.16. v.13.* *Galat. 1. v.9.* *Ibid.v. 8.*

III. Natura Myſteriorum Dei, quæ tota in abſtruſo ac recondito poſita

eſt,

Digitized by Google

Heb.11. eſt, & conditio ipſa fidei, quæ eſt *rerum non apparentium, in cujus obſequium*
v. 1. 2. Cor.10. *captivandus eſt intellectus noſter*, viam poſtulat, non examinis & diſcuſſio-
v. 5. nis, cujus & pauciſſimi capaces ſunt, ac labor immenſus, & exitus incertus;
ſed viam auctoritatis, & quidem infallibilis, quæ ſola poteſt obſequium men-
1. Cor. tis imperare, & *omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei*
10.v.5. reprimere; & quidem abſque ullo labore: *Auctoritati enim credere*, ait S.
Libro Auguſtinus, *magnum compendium eſt, & nullus labor*.

de quantitate animæ c 7. nu. 12. Atque hunc in finem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem*
Ephes. *Corporis Chriſti . . . ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur*
4.v.11. *omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem er-*
v.14. *roris*. Paſtorum munus & officium eſt dijudicare, quæ ſalutaria, quæ verò no-
xia ſunt paſcua; & ad illa populum cohortari, ab his verò avertere.

IV. Niſi auctoritatis vinculo levis & inconſtans retineatur humana mens, nihil erit in Religione fixum ac ratum: unuſquiſque in ſenſu ſuo abundans ad arbitrium dogmata fidei definiet, quæ tot futura ſunt, quot erunt hominum capita; neque enim privatus quilibet id juris habet, ut alios in ſententiam ſuam pertrahat: hinc æternas eſſe oportebit & interminabiles excitatas circa fidem ac Religionem controverſias.

Ad hæc omnia accedit tùm auctoritas SS. Patrum, tùm conſtans ac perpetua Eccleſiæ praxis.

Ex ſanctis Patribus unum & alterum appellabimus.

P.179. Sanctum Irenæum Lib. 3. adv. hær. cap. 4. *Non oportet*, inquit, *adhuc quæ-*
n. 1. *rere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere; cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè contulerint omnia quæ ſunt veritatis, ut omnis quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures ſunt & latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum ſumma diligentia diligere & apprendere veritatis traditionem*.

To.9.p. 407.D. S. Aug. Lib. 1. contra Creſcon. cap. 32. *Cùm iſta quæſtio* (de Baptiſmo Hæreticorum) *fluctuaret, & varias haberet inter ſe collegarum ſalva unitate ſententias, hoc per univerſam Catholicam obſervari placuit quod tenemus*.

Ibid. F. Et cap. 33. *Scripturarum etiam à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas*.

To8.p. 154.A. Denique notum eſt famoſum illud Auguſtini dictum Libro contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*.

Ibid. p. 69. B. C. Et iſtud Lib. de utilitate credendi cap. 17. *Eccleſiæ nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*.

Uſu autem perpetuo ac conſtanti praxi Eccleſiam auctoritatem ſuam in cognoſcendis fidei cauſis omni ævo exercuiſſe, res eſt tam certa & omnibus explorata, ut probatione non indigeat. Vel ipſa primi Concilii Jeroſolymitani in cauſa Legalium, hiſtoria, quæ refertur Act. 15. (To.1.p. 58. & 59.)
hujuſce auctoritatis peremptorium exemplum eſt. Vide Bellarminum Lib. 3. de verbo Dei cap. 5. & 6.

Imò

Imò vel ipſi Calviniſtæ ſui privati ſpiritus quaſi parum memores, coacti ſunt ad auctoritatem plenariæ Synodi Dordracenæ confugere, ut exortam inter Arminianos ſeu Remonſtrantes ex una parte, & Gomariſtas ex altera, moleſtam de Gratia & prædeſtinatione controverſiam dirimerent. Quin & in Synodo Alecienſi anno 1620. in Galliis celebrata, decretum eſt, ut omnes & ſinguli juramento affirmarent, ſe ſtatuta Dordracena recipere, ac doctrinam Arminianorum rejicere. Et in c. 5. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ art. 31. ubi ſermo eſt de diſſidiis quæ circa doctrinam vel diſciplinam oriri poſſunt, dicitur, quòd ſi neque privata monita, neque Colloquium, neque Provincialis Synodus finem his controverſiis imponere potuerint, ad Synodum Nationalem cauſa remittetur, ut ſupremo ac definitivo Judicio finiatur, lege omnibus impoſita, ut Concilii ſtatutis ſeſe ſubjiciant; ſin verò reluctentur, ejiciantur ab Eccleſia. Inde eſt quòd Philippus Melanchon in Locis, cap. de Eccleſia, non recuſet Eccleſiam ſimul & Scripturam Judicem controverſiarum agnoſcere. *Quis*, inquit, *erit Judex, quando de Scripturæ ſententia diſſenſio oritur, cùm tunc opus ſit voce dirimentis controverſiam? Reſpondeo, ipſum Verbum Dei eſt Judex, & accedit confeſſio veræ Eccleſiæ.*

SOLUUNTUR OBJECTIONES.

Ad tria univerſim capita revocari poſſunt, quæ hìc ex Scripturis potiſſimum opponere nobis ſolent Novatores.

I. Ad ea quæ innuunt Chriſtianos immediatè à Deo per internam unctionem edoceri, nec alium illis eſſe Magiſtrum, quàm Deum.

II. Ad ea quæ invitant homines & hortantur ad ſcrutandas Scripturas, adeoque ad examen & diſcuſſionem eos revocant, non ad auctoritatem.

III. denique, ad ea quæ ſignificare videntur unam ſufficere Scripturam.

Objicies itaque 1. Homines Chriſtiani à ſolo Deo per unctionem internam edocentur, nec alium magiſtrum illi habent quàm Deum. *Solvuntur teſtimonia primi ordinis.*

Iſaiæ 54. v. 13. *Ponam . . . . . univerſos filios tuos doctos à Domino.* Et Joan. 6. v. 45. *Erunt omnes docibiles Dei.*

Jacobi 1. v. 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.*

Primæ Joan. 2. v. 27. *Non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus.* Et cap. 5. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* Unde Chriſtus ipſe Joan. 5. v. 34. ait: *Ego non ab homine teſtimonium accipio.*

Jeremiæ 31. v. 34. *Non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum.* Et v. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum.*

Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et cap. 16. v. 13. *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Denique Matth. 23. v. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus eſt enim magiſter veſter Chriſtus.* Igitur ſolo interno doctore Deo veritas nobis innoteſcit abſque præſidio Eccleſię.

Reſp. ex his locis hæc duo tantùm inferri meritò poſſe, quæ veriſſima ſunt, nec ſpiritui privato revelanti favent.

Pri-

Primum eſt, Deum non amplius ſicut in veteri Lege contigit, homines docere per Prophetas, ſed per Chriſtum filium ſuum. *Multis modis*, ait ſanctus
Heb. 1. v. 1. Paulus, *Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Senſum hunc ſubindicare videtur Jeremias citato cap. 31. v. 22. his verbis: *Creavit Dominus novum ſuper terram, femina circumdabit virum*; quæ certè futuram Verbi incarnationem prænuntiant. Porrò Chriſtus, qui per ſemetipſum homines docuit, Apoſtolos, Paſtores & Doctores à miniſterio verbi non excluſit, imò eos ſuæ dedit Eccleſiæ, Epheſ. 4. v. 11. & ſeq. Verùm conſuetudo eſt Scripturæ, ut quæ Deus principaliter facit, ea illi ſic tribuat, ac ſi ſolus omnino ſine aliquo inſtrumento faceret, idque ea de cauſa, quòd ipſe quoque vim inſtrumentis ad operandum ſubminiſtret. Unde ſimpliciter
1. Cor. 3. v. 7. Apoſtolus ait: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*. Et Chriſtus ipſe: *Non enim vos eſtis qui loquimini*,
Matth. 10. v. 20. *ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Non quòd nihil homo agat, cùm mediante gratia plantat & rigat; aut Apoſtoli non loquerentur, cùm à Tyrannis & perſecutoribus interrogati reſpondebant, ſed quòd omnis actio bona in primam ac nobiliorem cauſam, Deum nempe, ejuſque cœleſte auxilium, referenda ſit.

Alterum eſt, Deum per ſe ipſum, interrioris gratiæ influxu mentem illuſtrare, ac movere voluntatem, dum Paſtores, & Doctores exteriùs inſonant, verbum Dei annuntiando: niſi enim Deus ad externam verbi prædicationem, aures cordis interiùs adaperiat, evaneſcit illa, ac planè ad ſalutem inutilis evadit.

Ita exponit ſanctus Auguſtinus, Tract. 3. in Epiſt. S. Joan. n. 13. *Videte, Fra-*
To. 3. p. 2. p. 849. E. *tres*, inquit, *magnum Sacramentum. Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter intus eſt. Nolite putare quemquam aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat,*
Ibid. F. *inanis ſit ſtrepitus noſter*. Et paucis interpoſitis: *Cathedram*, inquit, *in cælo habet qui corda docet. Propterea ait & ipſe in Evangelio: Nolite vobis dicere magiſtrum in terra, unus eſt magiſter veſter Chriſtus.*

Joan. 5. v. 34. Quod verò ait Chriſtus, *Ego non ab homine teſtimonium accipio*, verum eſt; à Deo enim ipſo à quo miſſus eſt, immediatè teſtimonium accepit. Senſus igitur eſt, doctrinam Chriſti non indiguiſſe humano teſtimonio, ut ab illo vim & robur haberet; ſed eo tamen opus habuiſſe, ut ſecundùm conſilium Dei & rationem ab ejus providentia præfixam, propagaretur; id eſt, ut ei homines fidem haberent: dixit enim Chriſtus, *Eritis mihi teſtes in Je-*
Act. 1. v. 8. *ruſalem & in omni Judæa*. Ergo non omne hominum miniſterium excludit. Ex qua reſponſione facillimum eſt, ſingula, quæ objecta ſunt, teſtimonia explicando diſſolvere.

Solvuntur teſtimonia ſecundi ordinis. Objicies 2. ea teſtimonia quibus invitantur Chriſtiani ad ſcrutandas Scripturas, ut nempe ab illis & fidei & morum regulam ediſcant.

Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*, ait Chriſtus .... *illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.*

Act. 17. v. 11. de Beroenſibus dicitur: *Suſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hec ita ſe haberent.*

1. ad Theſſalon. 5. v. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*. Et 1. Joan. 4. v. 1. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.*

Joan-

Joan. 7. v. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego ex me ipſo loquar.*

Qui Scripturas ſcrutatur fit homo ſpiritualis: porrò *ſpiritualis homo judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* 1. Cor. 2. v. 15.

Reſp. ad primum, meritò ad ſcrutandas Scripturas eos remitti, qui factum negant, quod eſt in Scripturis expreſſum. Chriſtus Joan. 5. diſputat cum Judæis, qui negabant ipſum eſſe Filium Dei. Probat verò Chriſtus quatuor teſtimoniis: 1. teſtimonio Joannis Baptiſtæ. 2. teſtimonio miraculorum. 3. teſtimonio Dei Patris. 4. teſtimonio Scripturarum veteris Teſtamenti: *Scrutamini*, ait, *Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me ut vitam habeatis.* Joa. 5. v. 39.

An verò ita remittuntur ad Scripturas, ut eas ſecluſo quolibet alio teſtimonio ad privatum ſuum ſenſum intelligant? Minimè profectò: quandoquidem ad teſtimonium Joannis Baptiſtæ, ad miracula ipſa quæ Chriſtus palam operabatur, & ad claram vocem Dei Patris teſtantis hunc ſuum eſſe Filium benè dilectum in quo ſibi benè complacuit, remittebantur; ſed fruſtra *Obtuſi enim erat ſenſus eorum, & velamen poſitum erat ſuper cor eorum.* Ergo plùs nocet adverſariis locus ille Joann. 5. quàm faveat. 2. Cor. 3. v. 14. & 15.

Deindè verò, Catholici ultro Scripturarum examen & lectionem iis permittunt, qui illius capaces ſunt, qui eas animo non curioſo, non critico, nec ſuperbo legunt, ſed modeſto ac demiſſo, inſtructionis ac pietatis cauſa. Qui ſic affecti ad earum lectionem accedunt, longè profectò abſunt ut ſenſus Scripturarum, ac controverſiarum fidei ſeſe judices & arbitros conſtituant. Inde facilis eſt & aperta reſponſio ad id quod de Beroenſibus dicitur Act. 17. Scilicet cùm illi audirent Paulum quædam veteris Inſtrumenti citantem, quibus adſtruebat Chriſti mortem & Reſurrectionem, ſcrutabantur an iis ipſis teſtimoniis, quæ à Paulo referebantur, conſentanea forent: non eo quidem animo ut dubitarent de morte & Reſurrectione Chriſti, quippe quæ ſatis ab Apoſtolo per ſplendida miracula confirmata fuiſſet; (1. Theſſal. v. 5.) ſed magis ut in fide confirmarentur, ſi viderent ea, quę Paulus prædicabat, multò antè per Prophetas præviſa & præſignificata fuiſſe. Ex iſto porrò ſenſu, quid, obſecro, concludent adverſarii? Nihil certè ad rem de qua agitur. Neque enim Beroenſes Scripturas eo animo ſcrutabantur, ut aut de illis proprio ſuo ſenſu judicarent, aut eas impugnarent, ſed ut de facto, quod Paulus laudabat, fierent certiores. *Quamvis enim*, ait Bellarminus Lib. 3. de verbo Dei cap. 10. *Paulus eſſet Apoſtolus, nec poſſet falſam doctrinam prædicare, tamen non conſtabat hoc initio Beroenſibus; nec tenebantur mox credere, niſi priùs viderent miracula, aut alias probabiles rationes credendi. Itaque cùm Paulus probaret illis Chriſtum ex oraculis Prophetarum, meritò illi ſcrutabantur Scripturas, an hæc ita ſe haberent. At Chriſtiani, quibus conſtat Eccleſiam non poſſe errare in explicanda doctrina fidei, tenentur eam recipere, & non dubitare, an hæc ita ſe habeant.* To. 1. p. 67. H.

Addo etiam, pergit Bellarminus, *quòd etſi Hæreticus peccat dubitando de auctoritate Eccleſiæ in quam per Baptiſmum regeneratus eſt, neque eſt eadem conditio Hæretici, qui ſemel fidem profeſſus eſt, & Judæi aut Ethnici qui nunquam fuit Chriſtianus; tamen poſitò hoc dubio, & hoc peccato, non malè facit*

facit ſcrutando & examinando an loca Scripturæ & Patrum, à Concilio Tridentino prolata ita ſe habeant, modò id faciat intentione inveniendi veritatem, non calumniandi. Deberet quidem ille ſine examine recipere doctrinam Eccleſiæ: tamen melius eſt, ut examinando præparetur ad veritatem, quàm negligendo remaneat in ſuis tenebris. Hactenus Bellarminus.

Ad ſecundum ex capite 5.1. ad Theſſal. & cap. 4.1. Joannis, Paulus & Joannes loquuntur in caſu ſeu hypotheſi dubiæ ac incertæ revelationis. Scilicet multi ex fratribus tanquam prophetantibus ſermones circumferebantur, quos nec generatim contemni, nec etiam promiſcuè recipi jubent Apoſtoli: *Prophetias nolite ſpernere*: verùm, *omnia probate*; *quod verum eſt tenete*. Id eſt, omnia quæ dicuntur à fratribus tanquam cœlitùs inſpiratis, diligenter expendite, diſcutite, & dijudicate qualia ſint: quidquid inveneritis bonum, & ſanæ doctrinæ conſentaneum, id retinete. His igitur verbis, *omnia probate*, non omnia ſimpliciter & abſolutè complectitur Apoſtolus, ſed ea dumtaxat quæ nova circumferebantur à fratribus, & nondum probata erant, ſed incerta & dubia, quæ dijudicari priùs oportebat, quàm reciperentur; ſecundùm id quod idem Apoſtolus præcipit Corinthiis, dicens: *Prophetæ duo aut*
1. Cor. 14. v. 29. *tres dicant; & cæteri dijudicent.* Ea verò quæ à ſe ipſo cæteriſque Apoſtolis tradita erant Eccleſiis, ac certiſſima erant, non dijudicari vult, ſed teneri. *Tenete*, inquit, alloquens Theſſalonicenſes, *traditiones quas didiciſtis ſive*
2. Theſſ. 2. v. 14. *per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Et 1. Cor. 11. v. 2. *Laudo vos, quòd ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.*

Ad quos autem Apoſtolus remittit, ut dijudicent eos, qui circumferebantur, fratrum ſermones, inſpirationes, ſeu prophetiæ? An ad privatum quemlibet? neutiquam. *Prophetæ duo aut tres*, ait, *dicant, & cæteri dijudicent.* Nempe vel Prophetæ, vel doctiores & aliis præfecti. *Perfectorum enim eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali*, ait Apoſtolus Hæbr. 5. v. 14. vel denique ii, qui ſpirituales ſunt,
1. Cor. 2. v. 14. & 15. non animales. *Animalis quippe homo, non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſpiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.*

Ita verò ad ſpirituales de rebus divinis judicare pertinet, ut tamen ultimo ac definitivo judicio controverſias fidei dirimere non poſſint. Et quidem, ait Bellarminus loco mox citato, duplici de cauſa. 1. *Quia non ſumus certi cer-*
Tom. 4. C. 64. C. D. *titudine fidei, quinam ſint iſti ſpirituales*, ſicut certi ſumus, viſibilem Chriſti Eccleſiam, adversùs quam portæ inferi nuſquam prævalebunt, ſuprema auctoritate inſtructam eſſe, ut circa negotia Religionis decretoriè pronuntiet. 2. *Quia ſcimus etiam maximè ſpirituales non ſemper illuſtrari, & quædam interdum ignorare, ut patet de Heliſeo, qui duplicem habebat ſpiritum Heliæ, & tamen dicit 4. Regum 4. Dominus celavit hoc à me, & non indicavit mihi.*

Quid ergo, inquies, ſignificat illud, *judicat omnia*? Dico ſignificare omnia tam ſpiritualia, quàm temporalia, tam cœleſtia, quàm terrena: Dixerat enim Apoſtolus, homines animales non percipere quæ Dei ſunt, ſed tantùm judicare poſſe de rebus terrenis: nunc autem dicit ſpirituales judicare omnia, id eſt, & terrena, & divina. Non tamen ſequitur quòd poſſit omnia divina: nam quis ignorat multos veterum Patrum habuiſſe inſigniter donum interpretandi, & fuiſſe ſpirituales; Et tamen conſtat quoſdam ex præcipuis eorum non leviter in quibuſdam lapſos.

Cùm

Cùm verò Joan. 7. Chriſtus ait: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere qui miſit me, agnoſcet de doctrina mea, utrum ex Deo ſit*: non hoc intendit, viros omnes bonos ſolo titulo probitatis & ſanctitatis, per ſe intelligere poſſe omnia loca Scripturarum obſcura & difficilia; ſed hoc unum ibi vult Chriſtus, nempe viros juſtos & probos carere impedimentis quibuſdam, propter quæ alii quidam, nec per ſe, nec per alios, fidei veritatem intelligere poſſint. Cupiditas enim gloriæ v.g. pecuniarum & ſimilium rerum, oculos excæcat. Unde Joan. 5. v. 44. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Et Lucæ 16. v. 14. *Audiebant hæc omnia Phariſei, qui erant avari, & deridebant eum.*

Ex his omnibus clarum eſt, ea, quæ ſecundo loco citata ſunt, Scripturæ loca, nihil juvare ſpiritum illum revelantem, ad quem Novatores velut ad judicem controverſiarum fidei recurrunt. 1. Quia loquitur Apoſtolus in hypotheſi dubiæ ac incertæ doctrinæ: nos verò hic loquimur de doctrina quæ ſit publico Eccleſiæ Judicio definita & probata. 2. Quia ad ſenſum privatorum non remittit Apoſtolus, ut dignoſcatur quænam vera ſit doctrina ſeu inſpiratio; ſed ad Prophetas, ad perfectos, ad eos qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali. 3. Quia homo quilibet ſpiritualis non ex certa & publica auctoritate, cui omnes adhærere teneantur, divina judicat; ſed ex præſumptione tantùm ac quadam fiducia: quæſtio verò eſt inter Novatores & nos, de auctoritate Judicis certa, publica, & erroris neſcia. 4. denique, probitas & ſanctitas hominis removet quidem nonnulla impedimenta, quibus multi retardantur, ne certò veritatem detegant; ſed non omnem certò ac ſemper errorem excludit ac removet.

Objicies 3. ea Scripturæ loca quæ innuunt ſolam Scripturam ſufficere ad certum de fide ac doctrina judicium. Solvuntur teſtimonia tertii ordinis.

I. 2. ad Timoth. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Ergo inferunt Novatores, eſt ſufficiens.

Reſp. falſam omnino ac diſtortam eſſe conſequentiam: quaſi idem foret utile, ac ſufficiens; & id omne ſufficere, quod eſt utile. Utilis eſt eleemoſyna ad ſalutem: an ſola ſufficit? Utilis eſt vetus Scriptura: an ſola nobis ſufficit? Utilis erat Apoſtolo Marcus: an ſufficiens? an inutilis Timotheus? Apage nugas hujuſmodi. *2. ad Timot. 4. v. 1.*

II. Opponunt iſta ex cap. 22. v. 16. 17. 18. Apocal. *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ Libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in Libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis Libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ.*

Reſp. hæc ad rem præſentem non eſſe. Neque enim Eccleſia Judex controverſiarum Scripturis quidquam addit, aut ab ipſis detrahit; abſit: cuſtos illa eſt depoſiti, quod integrum & illæſum ſervat: textum Scripturæ ex officio exponit, non auget, non minuit.

III. Addunt quod ait Apoſtolus 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Ergo donum illud interpretationis nulli homini, nulli ſocietati alligatum eſt.

Reſp. nego conſeq. Apoſtolus citato loco loquitur de particularibus ſeu pri-

vatis hominibus; ac dicere vult, non dari omnibus hominibus paſſim donum interpretandi Scripturas: ex quo non ſequitur illud Eccleſiæ non concedi, de qua dicitur: *Portæ inferi non prævalebunt*. *Vobiſcum ſum omnibus diebus*.

Matth. 16. *v.* 18. *Ibi.* 28. *v.* 20.

Objicies 4. Si Pontifex vel Eccleſia de Scripturis judicat, ergo Pontifex vel Eccleſia eſt ſupra Scripturam. Pariter, ſi Scripturæ ſenſus ſine interpretatione Eccleſiæ non eſt authenticus, ergo verbum Dei robur & firmitatem accipit ab Eccleſia.

Reſp. falſam omnino eſſe utramque illationem.

Prima in mera æquivocatione nominis fundatur. Duobus enim modis intelligi poteſt Eccleſiam judicare de Scripturis: 1. ita ut judicet an vera vel falſa ſint quæ docet Scriptura. 2. ita ut judicet quis ſit legitimus Scripturæ ſenſus. Si reipſa primo modo de Scripturis Eccleſia pronuntiaret, ipſis ſuperior ſupponeretur: at non ita eſt. Namque tanquam certiſſimum & indubitatnm habet Eccleſia, ea vera eſſe, quæ in Scripturis revelata exprimuntur; judicat ergo dumtaxat Eccleſia de ſenſu Scripturæ recto ac legitimo; unde non ſequitur, Eccleſiam eſſe ſupra Scripturam, ſed tantùm eam eſſe ſupra judicia privatorum hominum.

Secunda etiam conſecutio abſurda & falſa eſt. Cùm enim, ut mox diximus, Eccleſia de veritate eorum quæ in Scripturis continentur, non judicet, ſed de vario, qui ipſis affingitur, ſenſu; non ſequitur Scripturam ab Eccleſia roboris aliquid & firmitatis trahere: quippe Scriptura verior aut certior non eſt, quia ſic ab Eccleſia exponitur; ſed talis ſententia ſeu interpretatio Scripturarum eſt verior, quando ab Eccleſia confirmatur.

Objicies denique. Nondum ſatis conſtitutum & ratum eſt inter ipſos Catholicos, in quo præciſè reſideat & collocanda ſit ſuprema auctoritas judicandi de rebus fidei: an in ſolo Summo Pontifice, ſine Epiſcopis; an in Epiſcopis, ſine Pontifice; an in ſola Eccleſia coacta in Conciliis Generalibus; an verò illa etiam per orbem diſperſa, & in Conciliis Epiſcoporum particularibus congregata; an, judicante Pontifice, quis & qualis Eccleſiarum diſperſarum conſenſus ſufficiat, & neceſſarius ſit; expreſſus, vel tacitus; omnium, vel majoris Epiſcoporum partis; an Concilium Pontificiæ definitioni pondus conferat, vel potius Pontificis definitio, Concilio: de hiſce omnibus diſputant inter ſe Orthodoxi: ergo tanquam fidei Catholicæ caput proponere non debent, ſolam Eccleſiam Judicem eſſe ſupremum controverſiarum fidei.

Reſp. conſentire inter ſe Catholicos omnes, ſupremam de rebus fidei dijudicandis auctoritatem, non in ſola Scriptura, non in ſpiritu privatis revelante, non in Principibus ſæcularibus poſitam eſſe, ſed in una Eccleſia; quod unum in præſentiarum ſufficit ad ſolvendam de Judice controverſiarum quæſtionem. Cæteræ verò quæſtiones non ipſam controverſiæ noſtræ præſentis ſubſtantiam attingunt, ſed modum duntaxat, de quibus poſtea dicturi ſumus. Quamquam in hoc conſpirent omnes Catholici, quòd credant Eccleſiæ, ſeu Epiſcoporum omnium, aut ferè omnium de aliquo fidei capite concontroverſo conſenſum, certam eſſe & ab omni erroris periculo tutam regulam veritatis.

A R-

ARTICULUS II.

Qua via, quibuſve modis Eccleſia ſuam in rebus fidei & Religionis dijudicandis auctoritatem exercuerit.

VAriis modis ſuam hanc auctoritatem Eccleſia declarat & exercet: aliquando per ſolos Summos Pontifices; aliquando per Epiſcopos ſive in Conciliis, ſive extra Concilia; ſive per Litteras, & conſenſum vel expreſſum vel tacitum.

Eccleſia interdum per ſolos Romanos Pontifices ſtatim judicat.

1. Per ſolos interdum Romanos Pontifices ſtatim Eccleſia pronuntiat, pro eo quo illi gaudent in omni Eccleſia primatu honoris ac juriſdictionis, ac pro ea, quæ ipſis incumbit omnium Eccleſiarum ſollicitudine. Ita in cauſa Paſchatis, ſolus emicat Victor; in cauſa Baptiſmi Hæreticorum, ſolus Stephanus; in cauſa mæchorum, ſolus Zephirinus; in cauſa Dionyſii Alexandrini, ſolus Dionyſius Romanus; in cauſa Donatiſtarum, ſolus præ cæteris Militiades; in cauſa Athanaſii, ſolus Julius; in cauſa Arianæ Hęreſeos, ſoli Romani Præſules Occidentem in fide ſtatim retinent, Orientem ad fidem revocant; in cauſa Macedonii, ſolus, ante cæteros, Damaſus eminet. Jovinianum unus Siricius confodit, cujus Judicium ſequitur cum aliis Ambroſius. *Recognovimus*, ait ſanctus Doctor cum aliis Provinciæ Mediolanenſis Epiſcopis in Epiſtola ad Siricium, *recognovimus Litteris Sanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui diligenter commiſſam tibi januam ſerves, & pia ſollicitudine Chriſti ovile cuſtodias, dignus quem oves Domini audiant & ſequantur*. Origenem primus Anaſtaſius I. Epiſt. 3. ad Joann. Jeroſolymitanum Epiſcopum, toto orbe Hæreticum proſequitur: *Mihi certè cura non deerit*, ait S. P. Anaſtaſius, *Evangelii fidem circa meos cuſtodire populos, parteſque populi mei per quæque ſpatia diverſa terrarum diffuſas, quantùm poſſum, litteris convenire, ne qua profanæ interpretationis origo ſubrepat*. Pelagium, præ Conciliis Africanis, Pontifices Romani Innocentius, Zozymus, Bonifacius, Cæleſtinus, Sixtus confecere, teſte Auguſtino & Proſpero.

To. 2. p. 955. E.

Tom 2. Conc. p. 1195. C.

Innocentii auctoritatem tanti feciſſe vel ipſe Pelagius videri voluit, ut in fine Libelli, quem ad Innocentium tranſmiſit, quique ſucceſſori ejus Zozimo redditus eſt, dicat: *Hæc eſt fides &c. in qua ſi minùs peritè, aut parum cautè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & Sedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit*. Priſcillianiſtarum inſana figmenta Romana potiſſimum Sedes compreſſit, *Meritò Patres noſtri*, ait ſanctus Leo Epiſt. 15. aliàs 93. *ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egere, ut impius furor, ab univerſa Eccleſia pelleretur.*

Apud S. Aug. To. 10. Appen. p. 97. E.

To. 1. p. 499.

Neſtorium primus impetivit Cyrillus, ſed ille ipſe Cæleſtino proſternendum reſervavit. Cæleſtino Neſtorium, Leoni Eutychetem damnanti, Epheſina & Calcedonenſis Synodi, nihil ferè aliud quàm ſubſcribere ſe teſtificatæ ſunt.

Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Eutychianos, etſi Oecumenicis Synodis obtriti fuerint, attamen & ante Synodos, & poſt, ab Apoſtolica Sede damnatos principaliter & conculcatos fuiſſe, inde maximè patet, quod peſtes illæ omnes quæ Orientem totum, & Orientis Patriarchales Sedes diutiſſimè infeſtarunt ac depopulatæ ſunt, ab Occidente repulſæ longiùs exulaverint; quòd nimirum Occidentalibus plagis propiùs illuceſcat & invigilet Apoſtolica Petri Sedes. De Arianis fidem faciunt Socrates Lib. 2. cap. 22. Sozomenus Lib. 3. cap. 12. De Macedonianis id certiſſimum, nuſquam hac peſtifera aura infectos fuiſſe Occidentales, qui ſuo conſenſu ad primam Synodum Conſtantinopolitanam accedentes, ei robur & auctoritatem Synodi Oecumenicæ contulerunt.

Monothelitas prima & ſola Sedes Petri damnavit: Occidenti ne adrepere quidem paſſa eſt; ab Oriente tandem ipſo eliminavit. Quapropter Summus Pontifex Agatho, non ad Sedis ſuæ oſtentationem, ſed ad ſalutem publicam ſic ad Imperatores ſcripſit: *Petri adnitente præſidio, hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à veritatis via in qualibet erroris parte deflexa eſt; cujus auctoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam amplexi.*

Act. 4. Synod. VI. Tom. 6. Conc. p. 639.

Infinita penè ſunt alia hujuſce generis exempla & teſtimonia, quæ referre ſuperfluum videtur.

Cùm porrò diximus errores à ſolis Summis Pontificibus, vel à ſola Sede Apoſtolica ſtatim ac primùm exorti ſunt, proſcriptos fuiſſe, non ſic intelligite, quaſi, aut Epiſcopi ex ordinatione Chriſti non ſint veri Judices in rebus ad Religionem ſpectantibus, ſed meri decretorum Romani Pontificis executores; aut Summi Pontifices ſoli, ſuo non conſulto ordinario Conſilio, aliiſque de more adhibitis prærequiſitis, pronuntiare deberent; abſit: non ita eſt. *Non enim debet Pontifex*, ait Bellarm. L. 1. de Conciliis c. 11. *in controverſiis fidei dijudicandis, aut ſolo ſuo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem; ſed adhibere diligentiam, quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media; & tùm demum expectare aſſiſtentiam Spiritus ſancti & directionem divinam.* Solos igitur diximus judicare Summos Pontifices, quia cæterorum Epiſcoporum ſententiam ac judicium anteverterunt, ac pro jure ſuo Eccleſiæ laboranti occurrentes, errores proſtraverunt. Perinde autem eſt, & in idem planè recidit, ſive Pontificis Romani ſententia aliorum Epiſcoporum ſuffragia præcedat, & iſta ſequantur; ſive iſta, ut aliquando contingit, præcedant, & ſententia Romana confirmans accedat & ſubſequatur: ex illis quippe unitis ac conſentientibus, certa & infallibilis exurgit Eccleſiæ definitio.

To. 2. p. 8. C.

Primum hunc exercendi judicii in cauſis Religionis per ſolos Romanos Pontifices modum, confirmat uſus & conſuetudo conſulendi Romanos Pontifices in rebus dubiis & obſcuris.

Innocentius I. Epiſtola 4. ad Felicem Nucerianum Epiſcopum: *Mirari non poſſumus*, inquit, *dilectionem tuam ſequi inſtituta majorum; omniaque quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quaſi ad Caput, atque ad apicem Epiſcopatus, referre, ut conſulta videlicet Sedes Apoſtolica, ex ipſis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet.*

Tom. 2. Conc. p. 1260. C.

S. Leo

S. Leo Epiſt. 12. aliàs 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſal. cap. 7. *Si fortè inter ipſos, qui præſunt, de majoribus, quòd abſit, peccatis, cauſa naſcatur, quæ Provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, ut ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita Judicio, ad noſtram cognitionem, quidquid illud eſt, transferatur.* To. 1. p. 442.

Joannes VIII. Epiſtola 93. ad Epiſc. Arelat. *Si qua inquiſitio de fide vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, quæ difficiliùs diſcerni poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque decidatur: ſin autem decidi nequiverit, diſcuſſa veritate ad noſtrum Judicium referatur.* Tom. 9. Conc. p. 77. C.

Cùm in Oriente gravis orta fuiſſet quæſtio, an unus de Trinitate paſſus dici deberet, ea de re ad Hormiſdam Summum Pontificem relatio miſſa eſt à Juſtino Imperatore, Juſtiniano Comite, & Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano. *Salutantes igitur veſtram Reverentiam*, ait Juſtinianus ſcribens ad Hormiſdam, *petimus ut nulla præbeatur occaſio, qua de tua quiſquam poſſit ambigere voluntate; ſed habentes præ oculis Judicium majeſtatis ſupernæ, modis omnibus feſtinare dignemini.* Tom. 4. Conc. p. 1549. C. D.

Idem poſtulat à Joanne II. Juſtiniānus ad Imperium jam promotus. *Petimus veſtrum paternum affectum, ut veſtris ad nos deſtinatis Litteris, & ad ſanctiſſimum almæ hujus Urbis Patriarcham fratrem veſtrum, quoniam & ipſe ſcripſit ad veſtram Sanctitatem, feſtinans in omnibus ſequi Sedem Apoſtolicam Beatitudinis veſtræ.* Ibidem p. 1741. C.

Conſulta pariter eſt Sedes Apoſtolica circa alteram quæſtionem, an nempe B. Virgo propriè Mater Dei dicenda foret. Ita narrat Liberatus Breviarii cap. 20. *Ad Joannem*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis Præſulem miſſi ſunt ab Imperatore Juſtiniano Hypatius Epheſiorum Epiſcopus & Demetrius à Philippis, conſulere Sedem Apoſtolicam, contra Legatos Acæmetarum, Cyrum & Eulogium, negantes eſſe confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem, & unum de Trinitate incarnatum & carne paſſum. Sed Papa Joannes, nobis ibi poſitis, hoc confitendum Epiſtola ſua firmavit, & Imperatori direxit. A cujus communione diſcedentes Romæ quidam Monachi, Acæmetarum Legatos ſecuti ſunt, & uſque nunc hanc de Chriſto confeſſionem non ſuſcipiunt.* Conc. To. 5. p. 733. C.

De hac controverſiâ Ferrandus Diaconus in Epiſtola ad Severum Scholaſticum n. 1. ſcribebat: *Nos diſcere parati ſumus, docere alios non præſumimus. Interroga igitur, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem; cujus ſana doctrina conſtat Judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diverſa loca terrarum Pontifices.* Bib. PP. To. 9. p. 503. col. 1. H.

Cùm Oriens duplici diſſidio ſcinderetur, cui nempe ex tribus Antiochiæ Epiſcopis communicandum eſſet, an Meletio, an Paulino, an Flaviano; & utrum tres in Deo hypoſtaſes, an una hypoſtaſis & tres perſonæ dicendæ forent, ad Cathedram Petri, & ad Damaſum recurrit Hyeronymus. *Obteſtor Beatitudinem tuam*, inquiebat ſcribens ad Damaſum, *per Crucifixum mundi ſalutem, per Homouſion Trinitatem, ut mihi Epiſtolis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* To. 4. p. 2. pag. 11.

Scilicet majores Eccleſiæ cauſas, (inter quas haud dubiè primum

locum obtinent cauſæ fidei) ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt.

Tom.2. Conc.p. 1250. D. Innocentius I. in celebri ad Victricium Rothomagenſem Epiſtola, circa ann. Chriſti 404. diſertè ſic ſcribit n. 3. *Si autem majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale Judicium referantur*. Majores autem cauſas appellat Summus Pontifex, quæſtiones dubias tùm diſciplinæ, tùm fidei; ut conſtat ex Epiſtola ejuſdem Innocentii paulò antè citata ad Felicem Nucerianum Epiſcopum.

Ibid. p. 1287. D.E. Et in Epiſtola ad Concilium Milevitanum, poſtquam Africanis Patribus gratulatus eſt, quòd non modò commiſſos curæ ſuæ greges ab errorum labe fortiter defenderent, ſed & quòd Eccleſiæ quoque Romanæ oracula conſulerent, ſic ſubjungit: *Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio*.

Ibid. p. 1597. E. Zozimus in Epiſtola quam ad Epiſcopos Galliæ ſcripſit, de privilegiis Eccleſiæ Arelatenſis conſervandis, negotia, ſi quæ in Provinciis quas cenſet, emerſerint, ad Epiſcopi Arelatenſis notitiam referri jubet, *niſi*, inquit, *magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen*.

To.1.p. 445. Cap. 1. S. Leo Epiſtola jam laudata quæ eſt 12. aliàs 84. ad Anaſtaſium Theſſalon. cap. 10. *Si cauſa*, inquit, *aliqua major extiterit, ob quam rationabile ac neceſſarium ſit fraternum advocare conventum, dignos de ſingulis Provinciis Epiſcopos, quos Metropolitani crediderint eſſe mittendos ad fraternitatem tuam venire ſufficiat. . . . Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diverſa eorum fuerit à tua voluntate ſententia, ad nos omnia ſub geſtorum teſtificatione referantur*.

Tom.5. Conc.p. 313. E. Vigilius Papa Epiſtola 2. qua Eutherii conſultationibus reſpondet: *Quamobrem*, inquit, *ſancta Romana Eccleſia, ejus* (Petri) *merito, Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam tam ſumma Epiſcoporum negotia, & judicia atque querelæ, quàm & majores Eccleſiarum queſtiones, quaſi ad Caput ſemper referenda ſunt*.

Innocentius III. ut alios intermedios ſileamus, majores cauſas apertè diſtinguit. Sunt hæc ipſius verba quæ leguntur Libro Decretalium Tit. 7. cap. 1. *Cùm ex illo generali privilegio, quod Beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, Canonica poſtmodum manaverint inſtituta, continentia majores Eccleſiæ cauſas ad Sedem Apoſtolicam perferendas &c.*

To.1.p. 643. E. F. Ad hæc omnia intuens Bernardus in Epiſtola 190. quæ ad Innocentiùm Summum Pontificem, dicebat: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum*.

Rec. des Bulles p. 41. & Memoires du Clergè To.1.p. 222. Demum Præſules Gallicani 85. ſcribentes ad Innocentium X. ut famoſas quinque Janſenii Propoſitiones ipſi denuntiarent, ejuſque circa ipſas rogarent Judicium, Epiſtolam ſuam ab iſtis verbis auſpicantur: *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes*,

quentes, de graviſſimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus.

Violatas ab illis Epiſcopis Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ Libertates conqueſti ſunt Janſeniani, eo quòd (ut oportuiſſet) de hiſce propoſitionibus priùs inter ſe non judicaſſent Præſules Gallicani.

Verùm Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus anno 1700. inter Propoſitiones excerptas ex Libello cui titulus, *Auguſtiniana Eccleſiæ Romanæ doctrina &c.* iſtam quæ n. ſecunda eſt, ſimul cum aliis damnavit: *Epiſcopi Gallicani Libertates Eccleſiæ Gallicanæ, ſub earum, aſſerendarum ſpecie, labefactarunt, ſuper recipienda Conſtitutione Innocentii X. contra Janſenium.* *Memoires du Clergé To.1.p. 717.*

Hæ quatuor Propoſitiones, ait cenſura Cleri Gallicani, *quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia æquiſſima & ab omnibus approbata apertè contemnunt, Epiſcopos Gallicanos rebus judicatis adhærentes inceſſunt maledictis, & cauſam hanc de integro retractari poſtulant, tanquam tot Conſtitutionibus Apoſtolicis, etiam accedente Eccleſiarum conſenſu, cauſa nondum finita fuerit, falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, contumelioſæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices & in univerſum Eccleſiam, ſchiſmaticæ & erroribus condemnatis faventes.*

Igitur, ſicut jam obſervatum à nobis fuit, perinde eſt ad firmitatem ſententiæ, ſive ſolus primùm de nata fidei controverſia pronuntiet Romanus Pontifex, & accedat aliarum Eccleſiarum conſenſus; ſive prius Epiſcopi pronuntient, & Romanus Pontifex eorum ſubinde approbet ac ratam habeat ſententiam; utrumque enim in uſu eſt.

Aliquando ad conſulta Epiſcoporum Pontifex reſpondet: aliquando Epiſcopi ſententiam dicunt, quam ad Pontificem, ut approbetur, referunt. Audiantur Præſules Gallicani in ea, quam ad Innocentium X. gratulatoria dederunt Epiſtola die 15. Julii an. 1653. poſt receptam Conſtitutionem contra quinque Janſenii Propoſitiones. *Quo in negotio*, inquiunt, *illud obſervatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem, hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam, Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit. Enim verò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Petri communione & auctoritate fulta, quæ in decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad univerſos orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematiſmis adversùs Apollinarium & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paulò antea jactis, Judicia pro ſancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit) divina æquè ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.* *Recueil des Bulles p.89. & Memoires du Clergé T.1. p.235.*

Eccleſia per Epiſcopos diſperſos judicat ſine Conciliis.

Secundò: Eccleſia jus, quod habet cauſas fidei ac Religionis dijudicandi, exercet per privatos Epiſcopos ſuis in Sedibus diſperſos, ſive extra, ſive in Conciliis particularibus; ſive per Litteras, ſive per conſenſum aut expreſſum aut tacitum.

Tom. 5. Conc. p. 422. A. Juſtinianus Imperator Epiſcopos ſuis in Sedibus reſidentes conſuluit circa tria famoſa Capitula. *In veſtris*, inquit, *vos degentes Eccleſiis interrogavimus, de prædictis impiis tribus Capitulis, & veſtram nobis voluntatem manifeſtam feciſtis.*

T. 10. p. 492. F. Certum eſt multas hæreſes extitiſſe, quæ privatorum Epiſcoporum Judicio atque ſententia ſtatim proſcriptæ ſunt ſine Conciliis. Ita expreſsè docet ac teſtatur S. Auguſtinus Lib. 4. ad Bonifacium capite ultimo. *Quaſi*, inquit, *nulla hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit: cùm potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit: multòque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.*

Quod generatim expreſſit S. Auguſtinus, per plures hæreſes decurrendo probat Euſebius, multas ſigillatim ab Epiſcopis, ſeu Eccleſia diſperſa damnatas fuiſſe ſine Conciliis.

Lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 26. 27. 28. & 29. Menandrum Simonis ſucceſſorem, Ebionem, Cerinthum, Nicolaum, ex quo prodiit infamis ſecta Nicolaitarum.

Et Lib. 4. cap. 7. Saturninum Antiochenum, Baſilidem Alexandrinum, Carpocratem ſectæ Gnoſticorum conditorem. Cap. 11. Valentinum, Cerdonem, Marcionem, Marcum ejuſque præſtigias & mendacia. Cap. 29. Tatianum ejuſque impietatem ac deliria memorat ab Eccleſia repreſſa, nullaque facta Conciliorum mentione: non enim his temporibus defuere veritatis teſtes & acerrimi defenſores. *Eodem tempore*, ait Hiſtoricus Lib. 4. cap. 7. *plurimi Eccleſiaſtici viri patrocinium veritatis ſuſceperunt, & pro Eccleſiaſtica Apoſtolicaque doctrinâ diſertiſſimè decertarunt.* Et poſtea, de variis, ac ſibi ſuccedentibus Hæreticorum ſectis, *Aliis*, inquit, *ſuper alias exorientibus ſectis, cùm priores aſſiduè diffluerent, & in multiplices ac multiformes errorum ſpecies vario quæque modo evaneſcerent. Catholica autem Eccleſia, quæ ſola vera eſt ſemperque ſui ſimilis & conſtans, novis quotidie incrementis augebatur: gravitate, ſinceritate, ac libertate, modeſtia denique & ſanctitate vitæ.*

P. 119. D. — P. 121. A.

Lib. 5. ca. 16. primùm Synodos adversùs Montaniſtas & Cataphyrgas coactas memorat ex Apollinari Hieropolitano. *Hi perpauci erant Phryges*, ait, *hujuſmodi fraude decepti. Univerſam verò, quæ per orbem terrarum ſparſa eſt, Eccleſiam, idem ille arrogantiſſimus ſpiritus maledictis appetere eos docebat, eo quòd nec honorem, nec aditum ullum ad ipſam pſeudopropheticus ſpiritus reperiret. Nam cùm fideles qui in Aſia erant, ſæpius & in plurimis Aſiæ locis ejus rei cauſa conveniſſent, novamque illam doctrinam examinaſſent, & profanam atque impiam judicaſſent, damnata hæreſi iſti ab Eccleſia & fide-*

P. 181. A.

fidelium communione expulſi ſunt. Hic primùm in cauſa Montaniſtarum &
Cataphrygarum coactas Synodos memorat Euſebius; ſine quibus tamen mul-
tas privati Epiſcopi pro ſua Paſtorali vigilantia, ſtatim damnarunt, ac Coe-
piſcopos ſuos per Litteras de damnata hæreſi admonitos, adhortati ſunt, ut
latum Judicium ſuo conſenſu confirmare dignarentur, quod revera ab ipſis
etiam per Litteras adoptatum & confirmatum aliquando fuiſſe legimus: cujus
rei illuſtre habemus exemplum in Alexandro Alexandriæ Epiſcopo in cauſa
Arii quem in fide innovantem ſtatim repreſſit; de quo Theodoretus Libro 1.
Hiſtoriæ cap. 2. *Hoc ergo tempore Alexandrinus Alexander, cùm Arium vi-* To.3.p.
deret dominandi cupiditate incenſum, eorum quos blaſphemiæ laqueis irretie- 524.D.
rat privatos conventus agere, impiam ejus blaſphemiam Eccleſiarum Præſidi- Abſentes Epiſ-
bus per Epiſtolas ſignificavit. Deinde cap. 3: prolixam hanc Alexandri ad copi res
Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſtolam refert Hiſtoricus. In ea verò ab aliis
ſic loquitur Antiſtes Alexandrinus. *Iſtos à fratribus anathemate perſtrictos ne-* geſtas
mo veſtrum recipiat, nec eorum dicta vel ſcripta ferenda putet . . . . . Hos per Lit-
averſantes, unanimes & dilectiſſimi fratres, ſuffragamini nobis adversùs furio- teras
ſam illorum temeritatem, non aliter atque Collegæ noſtri, qui ægrè tulerunt, approbant.
& ad me contra iſtos ſcripſerunt, libelloque contra eos edito ſubſcripſerunt, Ibid. p.
quæ & per filium meum Apionem ad vos miſi, partim Ægypti totius & 535.D.
Thebaidis, partim Lybiæ & Pentapolis, & Syriæ, atque etiam Lyciæ & Pam- P. 536.
philiæ, Aſiæ, Cappadociæ, & finitimarum circumquaque, quorum exemplo à A.
vobis etiam me accepturum confido.

S. Athanaſius Epiſtola ad Jovinianum Imperatorem: *Scito*, inquit, *reli-*
gioſiſſime Auguſte, hæc ab omni ævo eſſe prædicata, hancque ipſam fidem Pa- To.1.p.
tres, qui Nicææ convenerunt, confeſſos fuiſſe, eamque ſuffragio ſuo compro- 681.B.
bare univerſas totius orbis Eccleſias, nempe Hiſpaniæ &c. vicinas quoque no-
bis necnon Orientis Eccleſias, paucis exceptis qui Arii hæreſim ſequuntur.
Quæ enim ſit omnium illarum Eccleſiarum ſententia, & experientia novimus,
& eorum habemus Litteras.

Euſebius Lib. 5. Hiſt. c. 19. referens ſententiam Serapionis Antiocheni Epiſ-
copi de Cataphrygarum hæreſi, mentionem facit Epiſtolæ ejuſdem Serapio-
nis, cui plurimi alii Epiſcopi propria manu ſubſcripſerant. *In eadem*, inquit, P. 197.
Serapionis Epiſtola leguntur ſubſcriptiones variorum Epiſcoporum, quorum unus A.
ſubſcripſit in hunc modum: Aurelius Cyrenius martyr opto vos benè valere.
Alter autem hoc modo: Ælius Publius Julius Develti Coloniæ Thraciæ Epiſ-
copus, teſtor Deum qui in Cœlis eſt, quòd beatus Sotas qui eſt Anchiali,
dæmonium Priſcillæ eiicere voluit, ſed hypocritæ nequaquam permiſerunt.
Sed & aliorum complurium Epiſcoporum idem cum illis ſentientium ſubſcri-
ptiones propriis ipſorum manibus appoſitæ, in illa quam dixi Epiſtola le-
guntur.

Et Lib. 6. cap. 43. de Novato & Catharis hæc habet: *Cùm Romæ congregata*
eſſet Synodus, in qua ſexaginta quinque Epiſcopi, Presbyteri verò ac Diaco- P. 242.
ni multò plures convenerunt: cùmque in Provinciis Antiſtites quid agendum A.
eſſet, ſeorſum conſultaſſent, hujuſmodi decretum cunctis promulgatum eſt . . . Ibid. B.
Extant adhuc Epiſtolæ Cornelii Romanorum Epiſcopi ad Fabium Antiochenſis
Eccleſiæ Præſulem miſſæ, in quibus & Romanæ Synodi geſta, & omnium per
Italiam & Africam aliaſque locorum illorum Provincias ſententiæ declarantur.

Digitized by Google

Tum ſub finem capitis ait, Cornelium Epiſtolæ ſuæ ſubjunxiſſe, non eorum tantùm Epiſcoporum nomina, qui in urbem Romam convenientes, Novati amentiam proſcripſerant; ſed & eorum qui Litteris conſenſum ſuum iis, quæ facta fuerant, dare ſe declaraverant. *Eorum item*, inquit, *qui Romæ quidem minimè adfuerant, ſuperiorum tamen Epiſcoporum ſententiam Litteris ſuis approbaverant, vocabula ſimul & Civitates unde ſinguli Litteras dederant, accuratè commemorat.*

P. 245. D.

Tacitus Epiſcoporum nonnullorum conſenſus.

Duo ex mox dictis conſtant: 1. Epiſcopos privatos ſive extra Concilium; ſive in Concilio, pro data occaſione errores, eorumque auctores prædamnaſſe, atque per Litteras ſuos abſentes Coepiſcopos de lata ſententia, ut ipſi ſubſcribere ac conſentire vellent, monuiſſe. 2. quam plures ex abſentibus Epiſcopis etiam per Litteras lato Judicio expreſsè conſenſiſſe; alii verò, qui numero longè plures erant, tacito ſaltem conſenſu quod geſtum fuerat approbaſſe cenſendi ſunt. Hic autem tacitus conſensùs in ſilentio & non reclamatione poſitus eſt, vimque certam & ineluctabilem confert latæ definitioni. Cujus rei apertiſſima cauſa & ratio ducitur ex ipſamet Eccleſiæ univerſalis conformatione, atque promiſſis à Chriſto ipſi factis, futurum ut cum ipſa ſit *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*. Fieri quippe non poteſt, Deo ita dirigente ac providente, ut multò major pars Epiſcoporum qui per orbem diffuſi ſunt ac diſperſi, non reclament adversùs errorem qui publico aliquo Judicio Eccleſiaſtico, ſive ex parte ſummi Pontificis, ſive ex parte nonnullorum Epiſcoporum fidelibus ad credendum proponeretur. *Error quippe cui non reſiſtitur, approbatur. Et veritas cùm non defenſatur, opprimitur.* Si ergo diſperſi per orbem Epiſcopi non reclamant adversùs aliquam de fide conſtitutionem ſeu definitionem, hac ſua non reclamatione, ſeu ſilentio illam approbare cenſentur. Porrò fieri non poteſt ut Eccleſia univerſa errorem cognitum etiam ſilentio ſuo approbet. *Eccleſia Dei*, ait egregiè S. Aug. Epiſt. 55. al. 119. cap. 19. n. 35. *ea quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit. Dicatur ergo verum*, inquit alibi idem ſanctus Doctor, *maximè ubi aliqua quæſtio ut dicatur impellit.* Tenetur autem Eccleſia adversùs graſſantem erroris peſtem inſurgere, ne fortè fideles omnes inficiat, aut ipſa Eccleſia errori connivere credatur. Quod periculi genus præcavendum eſſe cautè ac ſapienter monebat S. Pontifex Cæleſtinus, ſcribens ad Epiſcopos Galliarum adversùs Maſſilienſes divo Auguſtino obſtrepentes. *Timeo*, dicebat, *ne connivere ſit, hoc tacere .... in talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas: quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa non reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.*

Quis ſit tacitus cõſenſus: quę illius vis & auctoritas.

Matth. 28. v. 28.

Felix III. Diſ. 83. cap. Error.

To. 2. p. 142. F.

Lib. de udono perſev. cap. 16. T. 10. p. 843. A.

Tom. 2. p. 1612. A.

Si verò quæſieris quæ prima cauſa ſit, cur Epiſcoporum nonnullorum in cauſis fidei ſilentium loco approbationis habeatur, dicam iſtam eſſe: quia quoties Epiſcopi tùm inter ſe, tùm cum Capite ſuo Romano Pontifice communione ſociantur, eamdem fidei doctrinam profiteri omnes cenſentur; & quod fuerit vel à Romano Pontifice, vel ab aliis pluribus Epiſcopis de fide vel moribus ſancitum, hoc idem à cæteris approbatum præſumitur. Iſtud involvit & importat, ut ſuprà probatum eſt, unitas ipſa communionis Catho-

licæ,

ſicæ, ſeu ſacrum illud vinculum quo Epiſcopi omnes in ejuſdem fidei ac doctrinæ Catholicæ profeſſione colligantur: ſic enim omnes particulares Eccleſiæ in unam confluunt. *Tot & tantæ Eccleſiæ*, dicebat Tertullianus, Lib. de Præſcript. cap. 20. *una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, & Apoſtolicæ dum unà omnes probant unitatem.* In hac potiſſimum fidei & communionis Catholicæ unitate per omnes diſperſas Eccleſias diſſeminata, certiſſimam veræ doctrinæ dignoſcendæ ac ſequendæ regulam & normam collocabant Irenæus & Tertullianus, quorum verba Articulo ſequenti referemus. *Pag. 208. D.*

In ea pariter vim maximam faciebat bonæ memoriæ Illuſtriſſ. Boſſuetius dum viveret Meldenſis Epiſcopus, in Opere manuſcripto quod elaboravit occaſione Declarationis Cleri Gallicani circa poteſtatem Eccleſiaſticam anno 1682. *Multas hæreſes*, inquit, *ut ſine Conciliis, ita ſine ſpeciali Romani Pontificis definitione damnatas fuiſſe . . . Neque enim Eccleſiæ talem ſententiam expectarunt, ut Manichæos, Ophitas, Tertullianiſtas, aliaſve manifeſtè impias, ſive obſcuras leveſque ſectas per loca excitatas aut horrerent, aut contemnerent.... Ergone*, pergit, *ſingulares Eccleſiæ à quibus ſtatim rejectæ ſunt* (illæ ſectæ) *ineluctabili auctoritate gaudebant? Minimè: ſed profectò ſic habet, ſemel conſtituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam & ineluctabilem unitate & conſenſione conſtare, id quoque valere quocumque modo ſe illa conſenſio declaraverit, ſive Concilia congregentur, ſive non congregentur.* *T. 2. lib. 4. c. 1.*

Atque hæc prima radix & origo eſt ponderis & auctoritatis quam habet Epiſcoporum in aliquod definitum doctrinæ caput expreſſus, vel tacitus conſenſus. Ea quippe ſemper fuit Eccleſiarum inter ſe concordia & reverentia, Canonumque ac definitæ doctrinæ apud omnes auctoritas & religio tanta, ut quod Synodo aliqua conſtitutum uſpiam eſſet, idem aliæ ſibi pro re nata imitandum, ſtatuendumque eſſe ducerent, nec facilè quidquam aſpernandum cenſerent, ſive expreſſa, ſive tacita conſenſione & approbatione.

Neque verò ſingularum Eccleſiarum ſive extra Concilium, ſive in Conciliis expreſſo conſenſu ſemper opus fuiſſe, ut lata per Apoſtolicam Sedem Conſtitutio vim obtineret, aut error ſemel damnatus pro damnato apud omnes haberetur, conſtat ex iis manifeſtè, quæ in cauſa Propoſitionum Janſenii peracta ſunt. Vix enim extra Galliam unam reperias Eccleſiam, quæ expreſſo ac publico Inſtrumento Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. receperit; & tamen Eccleſiæ totius conſenſu & approbatione receptas illas fuiſſe, ſoli negant Janſeniani, nullus verò Catholicus. Unde ſacra Pariſienſis Facultas die 9. Febr. ann. 1663. occaſione Theſeos M. Gabrielis Drouet de Villeneuve declarat, *Neceſſarium non eſſe abſolutè Concilium generale, ad extirpanda quælibet ſchiſmata, & quaslibet hæreſes v. g. Pelagianam & Janſenianam, quas conſtat ſufficienter extinctas abſque Concilio generali, quod tantùm in aliquibus caſibus dici poteſt neceſſarium.*

Vim & auctoritatem taciti Epiſcoporum conſenſus graphicè exprimit & urget vel ipſe Petrus Aurelius, in defenſione cenſuræ qua Clerus Gallicanus nonnullos Libros contra jura & ſacram auctoritatem Epiſcoporum editos notaverat anno 1631. *Quòd autem Libros veſtros*, ait alloquens eorum auctores, *coacto Cœtu publicè non damnent* (aliarum gentium Epiſcopi) *aliæ alibi eſſe poſſunt cauſæ; præcipuè cùm jam ab Epiſcopis Galliæ, quorum* *S. Cyran.* *Petrus Aurel. p. 1. pag. 98.*

rum iſtud munus fuiſſe intelligunt, tùm quia delati ad ipſos Libri, tùm quia ipſi viciniſſimi ex more antiquo Epiſcopi, publicè repudiatos, & Eccleſiæ ſatis notatos videant, dum Romani Pontificis ſummum Judicium accedat. Id quod hæreſibus non paucis ſimiliter contigit, ut nimirum ab unius Provinciæ aut Regni Epiſcopis damnatæ ſint, ceteris conſenſu ſolùm tacito, non Synodalium decretorum auctoritate ſuffragantibus.... Ibidem pag. 127. ſic pergit: *Ad tam publicam & illuſtrem veritatis proculcationem Eccleſia Catholica, atque imprimis Apoſtolica Sedes ſilere non poſſet. Non enim falſum eſſe unquam poteſt illud de Eccleſia Dei Auguſtini præconium; Eccleſia Dei quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet; nec facit. Nec verum eſſe non poteſt illud verbum Apoſtoli; Non ſolùm qui iſta faciunt, digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Conſentiunt autem dum publicè laboranti atque oppreſſe veritati non ſuccurrunt, qui debent; & qui ad hoc potiſſimùm in Eccleſiæ tribunalibus collocati ſunt. Ergo cùm quieſcunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cùm tacent, clamant. Nam hæreſum plerarumque damnationes non ſemper expreſſa & præſcripta Eccleſiæ totius conſenſione firmatas atque auctoratas fuiſſe ſuprà oſtendimus.... Satis conſenſu tacito clamat Eccleſia, cùm reclamare deberet, ſi diſſentiret. Officio enim deeſſe, & veritatem prodere univerſa non poteſt.* Ita Petrus Aurelius in Opere quod impenſis & approbatione Cleri Gallicani editum eſt.

Procez-verbal de l'Aſſemblee generale de l'annee 1635. p. 343. 404 406.

In idem conſpirat Melchior Canus Lib. 5. de locis cap. 4. Concl. 5. *Nec expedit*, inquit, *nec tolerabile eſt, ſingulis Hereticis condemnandis ſingulas generales Synodos cogere. Cùm ergo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexerit in neceſſariis, nimirum ad hereſes privatas in Provinciis refutandas, Concilia Provincialia ſatis erunt, ſi erunt modò Summi Pontificis auctoritate roborata. Præterea, quoſcumque ejuſmodi Concilia damnavere, Eccleſia eos ſemper exploſit.....* Et infrà Concil. 6. *Niſi ſint peculiariter reprobata, communi Eccleſiæ vel ſilentio, vel etiam implicito conſenſu commendantur, ſi ad Eccleſiæ communem notitiam pervenerint. Non enim fit aliquo pacto veroſimile, ut Concilii Provincialis toto orbe vulgati hæreſim Eccleſia diu diſſimulaverit. Error enim cui non reſiſtitur, approbatur.*

Pag. 251.

Pag. 252.

Denique, cùm Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1705. Bullam *Vineam Domini Sabaoth* communi omnium conſenſu & applauſu recepiſſet, nonnulli contenderunt mentem noſtrorum Epiſcoporum his in Comitiis fuiſſe, Conſtitutiones dogmaticas Summorum Pontificum, ut vim obtineant, indigere publica illa expreſſa & ſolemni corporis Epiſcoporum acceptatione: quam falſam opinionem undecim tam Archiepiſcopi quàm Epiſcopi unà cum Eminent. Cardinale Noallio repreſſerunt die 10. Martii anni 1710. his verbis. *Cùm Clerus Gallicanus dixit, Conſtitutiones Summorum Pontificum à corpore Epiſcoporum acceptatas totam Eccleſiam obligare, mens ejus non fuit, neceſſariam eſſe ejuſmodi acceptationis ſolemnitatem ad hoc ut illæ tanquam regula credendi & loquendi ab omnibus haberi debeant; licèt aliquando iſta ſolemnitas non mediocris eſſe poſſit utilitatis ubi natus eſt error.* Addunt, *nullam ex conditionibus neceſſariis ad obligandam totam Eccleſiam deeſſe Conſtitutionibus adversùs Janſenium, Bajum & Molinoſum latis.*

Quæ de tacito Epiſcoporum conſenſu hactenus hìc dicta ſunt, à nullo, quod ſciam, alicujus nominis Theologo impugnata fuerant; adeo certa erant & apud omnes explorata. Occaſione dumtaxat diſcordiæ apud nos excita-

tæ cir-

tæ circa receptionem Bullæ *Unigenitus*, dubium moveri cœpit an & quid roboris haberet in acceptandis Summorum Pontificum decretis tacitus Epiſcoporum conſenſus; atque eò nonnullos ſeries diſputationis, ac ſuſcepta neceſſitas rejiciendi dictam Bullam, perduxit, ut pro nihilo ferè habeant in cauſis hujuſmodi, Epiſcoporum ſilentium; cujus, inquiunt, tot variæ ac diſcrepantes cauſæ ab acceptatione Decreti Apoſtolici alienæ proferri poſſunt, ut ex illo nihil omnino præſidii in gratiam Bullæ *Unigenitus* colligi poſſit. *Hactenus*, inquiunt refellendo Paſtorale Documentum Eminent. Cardinalis de Biſſy anni 1722. *creditum fuerat infallibilitatem doctrinæ corpori Epiſcoporum cùm loquuntur, alligatam eſſe, ſed eam Cardinalis de Biſſy in eorum ſilentio reponit.* Et meritò quidem: infallibilitas enim illa, ex mox probatis, corpori Epiſcoporum alligata eſt, ſive loquantur illi, ſive taceant. *Cùm quieſcunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cùm tacent, clamant*, ait Petrus Aurelius paulò antè laudatus. Et certè auctoritas illa taciti Epiſcoporum conſenſus impugnari vix poteſt, quin ſaltem per latus ſimul impetatur infallibilitas & inerrantia Eccleſiæ diſperſæ. Epiſcopi enim ſilentio ſuo propoſitum errorem approbando, ſe errori obnoxios eſſe eo ipſo declararent: nondum tamen eò devenerunt adverſæ partis Theologi, ut auſi fuerint apertè negare Eccleſiam diſperſam in fide & moribus errare non poſſe.

Lettre au Roi ſur l'Inſtruction Paſtorale de M. le Cardinal de Biſſy au ſujet de la Bulle Unigenitus. p. 142.

Ut verò faciliùs occurratur iis quæ contra ſilentii auctoritatem proponuntur, nonnullæ ſunt hujus ſilentii, ut vim probationis habeat, notæ obſervandæ.

Notæ quibus certò conſtat, ex ſilentio Epiſcoporum definitiones Apoſtolicas vim & auctoritatem infallibilem habere.

Prima eſt, cum à lata definitione ſatis temporis effluxerit, ut præſumi meritò poſſit, eam ad Epiſcoporum notitiam perveniſſe: ſilentium quippe de re incognita, nihil omnino probat.

Secunda, quando Conſtitutio ſeu Decretum fidem aut mores, vel Diſciplinam generalem ſpectat, atque ad omnes Fideles tanquam norma & regula ad obſervandum dirigatur ab iis qui ſunt in auctoritate conſtituti. Quapropter ex ſilentio Epiſcoporum circa Decreta Summorum Pontificum quæ ſpectant dumtaxat, vel privatas cauſas & politiam, aut etiam privatam eorum ſententiam; vel quæ ad omnes Fideles non diriguntur; ex ſilentio, inquam, illo, hujuſcemodi Decretorum approbatio inferri meritò non poteſt.

Tertia, cùm res controverſa ab iis ſaltem Epiſcopis, apud quos controverſia nata eſt, ut moris eſt, diſcuſſa fuerit, ac lata definitio expreſſo conſenſu ab iis probata & recepta.

Quarta, cùm non reclamant Epiſcopi adversùs Decretum quod fidem, mores, vel diſciplinam generalem ſpectat. Quod quidem ſilendo approbaſſe præſumerentur: *Dicatur verum*, ait S. Aug. jam citatus, *quæſtio, ubi aliqua ut dicatur impellit*. Certiſſimè autem reclamarent, Deo ita providente, ſi erronea quædam de fide vel moribus definitio ipſis, omnibuſque Fidelibus tanquam fidei & morum regula proponeretur.

Quinta denique, cùm Decretum Apoſtolicum multas non habet numero, dignitate ac ſcientia illuſtriores Eccleſias ſibi contrarias & adverſantes, quales fuere in controverſia de Baptiſmo Hæreticorum, Africæ, Aſiæ, Cappado-

ciæ,

ciæ, Numidiæ, Ponti, Orientis Eccleſiæ. Hæ notæ ſunt quibus certò conſtat, ex ſilentio Epiſcoporum definitiones Apoſtolicas vim & auctoritatem infallibilem habere. Notas dicimus (quod obſerva) non conditiones ad tacitum conſenſum neceſſarias. Quòd ſi contingeret, ut dicemus poſtea, in aliqua fidei controverſia diviſos eſſe Epiſcopos, atque plures ex una parte cum Pontifice Romano, plures ex altera ſine Pontifice ſtare, haud dubiè ei parti adhærendum foret quæ capiti conjuncta eſſet; iſta enim melior ac ſanior pars cenſeri deberet, & Eccleſiam ſufficienter referre: Eccleſia ſiquidem corpus eſt viſibile, Capiti ſuo Romano Pontifici adunatum; & ipſe Pontifex Romanus unitatis & communionis Eccleſiaſticæ caput & centrum eſt.

Objectiones contra tacitum Epiſcoporum conſenſum.

Dices itaque 1. Ex ſilentio cujus totaliæ externæ cauſæ ab illa prætenſa tacita approbatione diſtinctæ proferri poſſunt, certò inferri non poteſt hæc approbatio: atqui ſilentii Epiſcoporum circa Decreta Summorum Pontificum multæ cauſæ externæ proferri poſſunt ab illa prætenſa approbatione diſtinctæ. V. g. ſilent Epiſcopi benè multi, vel propter effuſam in Romanum Pontificem reverentiam, & quidem tantam, ut ipſis non permittat Romanis Decretis obloqui: vel propter metum Tribunalis Inquiſitionis, aut ſpem injectam gratiæ alicujus à ſancta Sede obtinendæ; vel ob præconceptam infallibilitatis Pontificiæ opinionem; vel denique, quòd res definita obſcura & implicata ipſis videatur, aut etiamnondum ad eorum notitiam pervenerit.

Reſp. 1. Ex prima & ſecunda ſilentii nota mox expoſita, ſilentium circa rem incognitam trahi non poteſt in argumentum conſenſus & approbationis.

Reſp. 2. Eſto plures extra Galliam Epiſcopi præconceptam habeant Pontificiæ inerrantiæ opinionem, quid inde? Ab ipſis ſilentio ſuo non probari Pontificia Decreta; aut ſaltem non ex prævio judicio, ſed cœco quodam impetu probari? abſit. Utrumque pariter abſurdum eſt; tùm quia auctoritati, quæ infallibilis ab ipſis judicatur, debitum eſt obſequium mentis: tùm quia infallibilis auctoritas ſeu Scripturæ, ſeu Concilii verè generalis, quam omnes Orthodoxi agnoſcunt, non obſtat quominus Epiſcopi ſuum etiam judicium interponant circa res vel in Scripturis expreſſas, vel definitas in Conciliis; quia nempe Epiſcoporum eſt de rebus fidei ac Religionis pronuntiare.

Neque dicas conſenſum Epiſcoporum, de quo hìc eſt quæſtio, datum ex opinione præconcepta infallibilitatis Romani Pontificis, falſo prorſus motivo ſubnixum eſſe, adeoque nullam illius habendam eſſe rationem. Namque certum eſt, regulam obſequii, quod legi ac Legiſlatori debetur, non eſſe motivum legis, ſed legem ipſam, ad quam unam attendere oportet: aliàs, pro vario, quod ſibi quilibet ad arbitrium effingeret, legis motivo, obſequium ſuum vel daret, vel recuſaret; quo nihil Reipublicæ noxium magis ac periculoſum poteſt excogitari. Ergo in cauſis fidei attendi unicè debet Epiſcoporum ſeu expreſſus, ſeu tacitus conſenſus, non autem privatum motivum quo ducuntur ut conſentiant.

Reſp. 3. Quæcumque tandem fingi & excogitari poſſint adſcititiæ ſeu exter-

externæ ſilentii Epiſcoporum cauſæ, ſemper iſtud firmum ac ratum ſtabit, ſpiritum veritatis nuſquam permiſſurum eſſe, ut aliquem in fide ac moribus errorem Eccleſia quoquo modo approbet. Obligatam habemus Chriſti fidem: *Vobiſcum ſum omnibus diebus. Portæ inferi non prævalebunt.* Porrò prævalerent, ſi Eccleſia etiam ſilendo ac tacendo errorem approbaret. *Matth. 28. v. 20 Ibid. 16. v. 18.*

Reſp. 4. Contingere aliquando ut Epiſcopi abſtineant à promulganda ſuis in Diœceſibus aliqua dogmatica Conſtitutione, quam tamen corde & animo recipiunt; ne fortè novus, qui in ea perſtringitur error, in ſuorum notitiam deveniens, eos novitate ſua perturbet aut corrumpat. Hoc motivo ducebatur Concilium Bituricenſe an. 1528. cùm decernit, *ut damnatum dogma Lutheri & ſequacium à ſacroſancta Sede Apoſtolica jam pridem reprobatum, in publicis concionibus, locis & temporibus opportunis, prout expediens locorum Ordinariis videbitur, generaliter tantùm reprobetur, non declaratis ſigillatim erroribus, niſi locus aliquis fuerit ad quem pervenerint damnati aliqui errores, in quo & errore reprobato nominatim ipſius etiam errores reprobentur.* *T. 14. p. 426. B.C.*

Dices 2. Vix figi ac determinari poteſt quodnam ſpatium temporis neceſſarium ſit ut certò innoteſcat tacitus ille Eccleſiarum conſenſus; ergo inutilis omnino eſt pro confirmanda dogmatica Sedis Apoſtolicæ Conſtitutione.

Reſp. id moraliter æſtimandum eſſe ex locorum diſtantia. Ea quippe temporis menſura concedenda, ex qua moraliter conſtare certò poſſit, exteris ac longiùs diſſitis Eccleſiis notam ac perſpectam eſſe latam de fide vel moribus ſententiam; ita ut ſi poſt illud elapſum tempus, Eccleſiæ illæ non reclament, ſed ſileant, ſilentio ſuo ratam habent & confirmant ſententiam. Unum hìc non prætermittendum; nempe cùm S. Auguſtinus Sermone 131. aliàs 2. de verbis Apoſtoli cap. 10. dixit cauſam Pelagianorum finitam fuiſſe, poſtquam duo Concilia ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſa & probata fuiſſent, paucos dumtaxat effluxiſſe menſes à lata Sedis Apoſtolicæ definitione: namque ſermonem illum habuit ſanctus Doctor menſe Octobris anni 417. Decretum verò Pontificium, quo duo Concilia Carthaginenſia confirmata fuere, latum fuerat menſe Januario ejuſdem anni 417. Ergo breve illud ſpatium temporis Auguſtino ſufficiens viſum eſt, ut meritò aſſereret, cauſam finitam eſſe, propter conſenſum Epiſcoporum partim expreſſum, partim tacitum.

Dices 3. Tacitus ille conſenſus nullam præſupponit præviam de re controverſa diſquiſitionem, nullum examen ſatis maturum & accuratum, quæ tamen una eſt ex conditionibus prærequiſitis, ut Spiritus ſanctus Epiſcopis de fide pronuntiantibus ope ſingulari adeſſe cenſeatur. Unde Act. 15. v. 7. in controverſia de Legalibus, magna conquiſitio facta memoratur.

Reſp. 1. Neceſſariam non videri operoſam ac diuturnam de re controverſa Eccleſiæ diſceptationem, quando res illa per ſe aperta eſt & manifeſta, atque Epiſcopi per ſimplicem, ut ajunt, fidei Eccleſiarum ſuarum, cujus illi teſtes ſunt, cuſtodes ac judices, declarationem ſeu profeſſionem pronuntiant. Quo ſenſu dicebat ſanctus Auguſtinus. *Concilii congregatione opus non fuiſſe, ut tam aperta pernicies* (Pelagiana) *damnaretur.*

Reſp. 2. reipſa quidem divinas promiſſiones de concedenda Eccleſiæ inerrantia in definiendis fidei & morum controverſiis, à nonnullis præviis conditionibus quoad executionem ſuſpenſas eſſe; verùm, nullo unquam ſatis firmo

firmo & valido argumento demonſtrabitur, diſperſos per orbem Epiſcopos his defuiſſe conditionibus, quando communi conſenſu latum à Sede Apoſtolica Decretum acceptarunt. Quid enim, quæſo, obſtare poſſet quominus Epiſcopus quilibet re cum ſuo Presbyterio communicata, hinc & inde controverſiam verſent, conferant cum præſenti ac viva Eccleſiæ ſuæ traditione Novatorum doctrinam; atque cum ex illa collatione intelligunt novam illam eſſe ac peregrinam, eam meritò damnatam ac damnandam eſſe pronuntient? An non ita egerunt Epiſcopi illi ad quos Alexander Alexandrinus prolixam ſcripſit de innovatione Arii Epiſtolam? An non & idem quoque præſtiterunt illi Præſules, quos Serapion de nova Montaniſtarum & Cataphrygarum inſania commonuit? Ergo ſine temeritate, ac læſa, quæ Epiſcopis debetur, reverentia, ſupponi non poteſt privatos Epiſcopos ad quos defertur novi alicujus erroris facta proſcriptio, ſine ullo examine ac præcipiti & cœco quodam judicio latæ ſententiæ adhærere.

Dices 4. Clerus Gallicanus in celebri cenſura anni 1700. damnat eorum ſententiam, qui ſilentium Epiſcoporum circa doctrinam, loco approbationis habendum eſſe ſtatuunt. *Si liber ſit alicujus junioris ac moderni* (ait Propoſitio 120.) *debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.*

Et Propoſitio 121. hæc eſt: *Non ſunt ſcandaloſæ aut erroneæ opiniones, quas Eccleſia non corrigit.*

Hæ Propoſitiones, ait cenſura, *quatenus ſilentium & tolerantiam pro Eccleſiæ vel Sedis Apoſtolicæ approbatione ſtatuunt, falſæ ſunt, ſcandaloſæ, ſaluti animarum noxiæ, patrocinantes peſſimis opinationibus quæ identidem temerè obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam, viam parant.*

Reſp. apertum ac latum diſcrimen eſſe inter ſententiam quam damnat Clerus Gallicanus, & noſtram. In cenſura Cleri Gallicani agitur de Libro auctoris alicujus junioris ſeu moderni, cujus doctrina eo ipſo probabilis aſſeritur, quòd non ſit apertè rejecta tanquam improbabilis: quæ certè aſſertio falſa eſt ac meritò proſcripta. Ex ſilentio quippe circa doctrinam privatam alicujus junioris ſeu moderni auctoris vix cognitam, obſcuram & nondum ſatis evolutam, vel incertam, & in Scholis controverſam, malè omnino infertur probatam illam eſſe: neque enim, ut diximus paulò antè ad quartam ſilentii conditionem, tenetur Eccleſia ſingulos, qui in dies prodeunt, recentiorum Libros excutere, ſententiam eorum rimari, errores, ſi qui ſint, damnare, ex quibus nullum vel ſcandalum vel periculum timetur. Interdum etiam Eccleſia ex prudenti diſpenſatione ſilet ac diſſimulat, ne fortè turbata inter Theologos pace, graves ac moleſtæ in Regno aut in Religione diſſenſiones excitentur. Quid verò commune habet hæc cenſura cum propoſito noſtro? Nihil certè. Loquimur hìc de dogmatica à Sedis Apoſtolicæ Conſtitutione, publica & omnibus Epiſcopis perſpecta, quæ fidelibus omnibus tanquam fidei & morum regula proponitur, quæ à multis Epiſcopis expreſſo conſenſu recepta eſt, aliis non reclamantibus: tenerentur autem illi reclamare; & reipſa, vi promiſſionum Chriſti, reclamarent, ſi errorem contra fidem vel bonos

mores

mores Conſtitutio illa contineret; ergo iſtud eorum ſilentium approbationis & conſenſus loco habendum eſt.

Eccleſia per Epiſcopos judicat in Conciliis ſive particularibus ſive generalibus.

Tertiò: Nullibi ſplendidiùs ſuam de rebus fidei dijudicandis auctoritatem Eccleſia exercet ac demonſtrat, quàm in Conciliis, quæ vel particularia ſunt, Diœceſana ſcilicet, Provincialia, Nationalia; vel Generalia & Oecumenica.

Quamquam enim & Summus Pontifex, & diſperſi ſuis in Sedibus Epiſcopi Judicium ſuum ſæpiſſimè in cauſas fidei exerant, non tamen inde ſequitur ſuperfluam & inutilem eſſe Synodorum particularium congregationem. *Romanus Pontifex*, ait Melchior Canus Lib. 5. de auctoritate Concilii capite ultimo ad 11. *non temerè & ſtultè, ſed conſideratè atque ſapienter habet fidei controverſias definire, advocando ſcilicet conſiliarios vel plures, vel pauciores, juxta rei, de qua diſſeritur, gravitatem. Juvant enim Patres Concilii Summi Pontificis fidem, atque doctrinam. Unde in Concilio Jeroſolymitano, cùm facta eſſet magna conquiſitio, Petruſque ſententiam dixiſſet nullo ſacrarum Litterarum teſtimonio fulcitam; Jacobus probavit eam quidem additis teſtimoniis Prophetarum. Adjecit etiam, quaſi de ſuo, legem maximè neceſſariam, de abſtinentia ab idolothytis, fornicatione, ſuffocatis & ſanguine. Ita enim divina procuratio in Eccleſiam ſe fundit, ut membra præcipua, tametſi à Capite pendeant, Caput tamen tueantur & juvent. Facit quoque Concilium plauſibiliorem populo fidem, propter acceptiſſima multorum teſtimonia atque judicia. Nam & leges quæ communi Optimatum conſenſu & reguntur & feruntur, libentiùs populus accipit, quàm ſi à Rege ſolo ederentur. Quamobrem Beda Lib. retract. in Actis Apoſtolorum, prudenter ſanè monuit, Paulum contuliſſe cum Apoſtolis aliis Evangelium quod prædicabat in gentibus, ſolerter in Concilio diſquirens an rectè de Legalium ceſſatione doceret. Non quòd ipſe de hac re, inquit, aliquid dubitaret, ſed ut mentes dubitantium Apoſtolica Synodi auctoritate firmarentur.* P. 197. Neceſſitas & utilitas Conciliorum particularium.

Hæc Canus, qui eodem Lib. cap. 4. paulò antè à nobis laudato, docet Synodi generalis convocatione ac congregatione non ſemper, nec omni caſu opus eſſe ad novas hæreſes comprimendas, cùm ad hoc ſufficiant Concilia Provincialia ſeu Nationalia, quorum Decreta, accedente aliarum Eccleſiarum conſenſu & approbatione, vim & auctoritatem induunt Decretorum univerſalis Eccleſiæ, ut conſtat exemplo Concilii Arauſicani II. in quo pauci adfuerant Epiſcopi, & quidem alia de cauſa quàm de controverſia fidei dijudicanda congregati, cujus tamen egregii circa gratiam Canones ab omnibus Eccleſiis ſubinde recepti ac probati, in Canones totius Eccleſiæ tranſierunt.

Bellarminus Lib. 1. de Conciliis cap. 11. Conciliorum neceſſitatem ac utilitatem oſtendit. *Quamvis*, inquit, *generalia Concilia non ſint abſolutè neceſſaria, tamen Concilia aliqua, ſive generalia, ſive particularia ſint, omnino neceſſaria eſſe ad bonam Eccleſiæ gubernationem, vix in quæſtionem revocari poſſe dubito. Nam ſi neceſſe eſt, ut veniant ſcandala, ut ait Dominus Matth. 18. & oportet hæreſes eſſe, ut Apoſtolus ait 1. Cor. 11. certè neceſſe eſt etiam, ut in Eccleſia ſit certum aliquod Judicium, quo & ſcandala tolli, & hæreſes damnari poſſint;* T. 1. p. 8. B.

poſſint.; alioqui brevi tempore Eccleſia univerſa in partes ſcinderetur & periret.
Ibid. C. *Etſi verò*, pergit ibid. Bellarminus, *Pontifex Judex eſt vice Chriſti, omnium controverſiarum, eique obtemperare debet fraternitas univerſa*, ut Cyprianus loquitur Lib. 1. Epiſt. 3.... *tamen non debet Pontifex in controverſiis fidei dijudicandis, aut ſolo ſuo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem, ſed adhibere diligentiam, quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media; & tùm demum expectare aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & directionem divinam. Porrò medium ordinarium, ac proinde neceſſarium, eſſe Concilium, magnum aut parvum, unum vel plura, prout ipſe judicaverit, facilè probari poteſt.* Probat deinde tùm ex his verbis Matth. 18. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Tùm exemplo ſeu facto Apoſtolorum in Conc. Jeroſolymitano &c.

Capite verò nono ejuſdem Libri exponens varias cauſas ob quas Concilia
Ib. p. 6. A.B. celebrari ſolent: *Prima eſt*, inquit *hæreſis nova, id eſt, nunquam antea judicata, propter quam cauſam coacta ſunt prima ſeptem generalia Concilia. Semper enim Eccleſia tanti fecit periculum novarum hæreſum, ut non putaverit aliter poſſe reſiſti, quàm ſi omnes aut certè permulti Principes Eccleſiarum conjunctis viribus, & quaſi agmine facto irruerent in hoſtes fidei.*

Conciliorum Provincialium auctoritatem probat Bellarminus ex his Chri-
Ib. p. 8. B. ſti verbis, *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.*

Idem & Cæleſtinus S. Pontifex Epiſtola ad Concilium Epheſinum: *Spiritus*
To. 3. Conc. p. 614. *ſancti teſtatur præſentiam Congregatio Sacerdotum. Verum enim eſt quod legitur, quia nec poteſt veritas mentiri cujus in Evangelio iſta ſententia eſt: Ubi duo vel tres &c.*

To. 4. Conc. p. 833. C. D. Et Concilium Chalcedonenſe in Epiſtola ad Leonem: *Si*, ait, *ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi ſe in medio eorum fore perhibuit; quantam circa quingentos viginti Sacerdotes peculiaritatem potuit demonſtrare?*

To. 6. Conc. p. 1024. D. Eadem Chriſti verba, & in eundem finem uſurpat Concilium generale VI. Act. 18.

Edit. Muſſipont. 1596. p. 423. E. 1. part. p. 32. *Accedit & ipſe Maldonatus Comment. in citata Chriſti verba: *Obiiciet aliquis*, ait, *Ergo Provincialium, ut vocant, Conciliorum, ex hoc loco eodem modo atque Generalium probatur auctoritas? ...Concedo id ita eſſe, modò Provincialia Concilia in Chriſti nomine congregentur.* Porrò pro certo colligi debet, Concilium verè Oecumenicum quod eſt ab omni Eccleſia receptum & probatum, eo ipſo in nomine Chriſti congregatum fuiſſe, ac ſupremam habere in Eccleſia Chriſti auctoritatem.

Nullus Hæreticus Cõcilia Provincialia hoc ſolo nomine eluſit, quòd ſint errori obnoxia. Neque tamen cuiquam licitum eſt Conciliis Provincialibus eo prætextu refragari, quòd particularia dumtaxat ſint, nec infallibilis auctoritatis. Appoſitè omnino figmentum illud explodit Petrus Aurelius in defenſione Epiſtolæ Epiſcoporum Galliæ his verbis: *Quis enim unquam Hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo nomine eluſit, quòd diceret non eſſe infallibilis auctoritatis? Quando ita argumentati ſunt Novatus, Pelagius, Arius, tot alii Heretici, quos Epiſcopi in Provinciis primùm damnarunt? Nemo hoc effugio uſus eſt. Omnes vel obreptum Epiſcopis, vel ſibi calumnias inflictas, vel alias cauſationes, quibus non particulares ſolùm, ſed generales etiam Synodos ludificari ſolebant, protulerunt, vel exerto ore & hæretica petulantia reclamarunt. Etſi enim*

ſi enim quantùm inter generales Synodos & particulares interſit, nunquam neſcierit Eccleſia ſuperiorumque temporum Chriſtiani, eas tamen ſummo ſemper, indiſcreto, tantùmque non pari honore habitas fuiſſe, quamdiu Eccleſia palam non intercederet, ex perpetua Eccleſiæ obſervatione manifeſtum eſt. Non enim quærebatur illis temporibus quænam Epiſcoporum Concilia errori obnoxia, quænam certæ veritatis eſſent. Omnes omnia colebant, omnia venerabantur, ut Paſtorum vocem, ut Magiſtrorum Eccleſiæ doctrinam, ut eorum quibus dictum eſſet, Qui vos audit, me audit.... Itaque Priſcillianam doctrinam, poſtquam à Synodo Cæſar-Auguſtana damnata eſt; Origeniſticam, poſtquam ab Alexandrina; Eutychanam, poſtquam à Conſtantinopolitana ſub Flaviano habita; Arianam denique, poſtquam ab Alexandrina, ut alias pretereæm, nemo Catholicus hereſes eſſe negavit; eorumve ſuſceptores Hereticos, etiam ſi ſolis Epiſcoporum Provincialium Judiciis damnati eſſent.

Hanc Conciliorum Provincialium auctoritatem agnovit ſanctus Auguſtinus, cùm de cauſa Pelagianorum dicebat Serm. 131. aliàs 2. de verb. Apoſt. cap. 10. *Jam de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt. Utinam aliquando finiatur error.* Et Lib. 3. contra Julianum cap. 1. n. 5. *Veſtra*, inquiebat, *apud competens Judicium communium Epiſcoporum cauſa finita eſt: nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantùm ad jus examinis pertinet, niſi ut prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini: quòd ſi nolueritis, à turbulenta, vel inſidioſa inquietudine cohibeamini.* *To. 5. p. 645. D.* *T. 10. p. 555. B.*

Libro denique 4. ad Bonifacium capite ultimo n. 34. poſtquam dixit Pelagianos Synodum generalem poſtulantes, Orbem Catholicum, quem pervertere nequeunt, ſaltem commovere conari, addit: *Cùm potiùs vigilantia & diligentia paſtorali poſt factum illis competens ſufficienſque Judicium, ubicumque lupi illi apparuerint, conterendi ſint.* *Ibid. p. 493. A.*

Porrò ſi tanta Conciliis particularibus, ubi de fide vel moribus ſtatuunt, reverentia & obedientia debetur, quantò major Oecumenicis, quæ univerſam repræſentant Eccleſiam, quorum & ſumma majeſtas eſt, & auctoritas ſuprema & infallibilis; de quibus Tertullianus Lib. de jejuniis cap. 13. *Aguntur*, inquiebat, *per Grecias illa certis in locis concilia ex univerſis Eccleſiis, per que & altiora queque in commune tractantur, & ipſa repreſentatio totius nominis chriſtiani magna veneratione celebratur.* Et S. Ambroſius loquens de Concilio generali Nicæno primo, Conciliorum Oecumenicorum decreta vocat *hereditaria ſignacula, nullius temeritate violanda.* In his Conciliis ex omni Orbe Chriſtiano legitimè congregati Epiſcopi, eadem ipſa forma & auctoritate decretoriè pronuntiant, qua pronuntiarunt Apoſtoli in Concilio omnium primo Jeroſolymitano, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* *Concilii generalis auctoritas.* *Pagina 552. A.* *Act. 15.*

Inde neceſſitatem Conciliorum oſtendit Synodus V. generalis: *Licèt enim*, ait, *Spiritus ſancti gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea que agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati, divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque dicta ſua confirmaverunt.* Et paulò poſt: *Sancti Patres qui per tempora in ſanctis quatuor conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæreſibus & quæſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto, quòd in communibus diſceptationibus* *Tom. 5. Conc. p. 562. E.* *Ibid. p. 563. A.*

cùm proponuntur quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cùm unuſquiſque proximi adjutorio indiget. *Nullibi*, ait Illuſtriſſimus de Marca Concord. Lib. 5. cap.8. *univerſalis Eccleſiæ fides* ſolet *apertiùs explicari, vel ſplendidiùs eminere, aut ſecuriùs prædicari, quàm in compendio univerſalis Eccleſiæ, quæ Conciliis generalibus repræſentatur.* Neceſſaria igitur aliquando ſunt generalia Concilia.

Abſolutè autem & in omni caſu ad damnandas hæreſes neceſſaria ſemper non eſſe generalia Concilia, ex antè dictis manet abundè demonſtratum. Et certè idipſum expreſsè docet ac teſtatur S. Auguſtinus jam citatus L.4. ad Bonifac. cap. ultimo urgens Pelagianos qui Concilii congregationem requirebant: *Quaſi*, inquit, *nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multòque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.* Multa alia eam in rem anteà adduximus, quæ conſule. Satis hìc nobis ſit retuliſſe Duvallii noſtri olim regii Profeſſoris teſtimonium, quo rem totam dilucidè exponit parte 2. q.2. his verbis, *Plurimi Pontifices varios errores abſque ullo generali Concilio condemnarunt, quorum condemnatio à tota Eccleſia acceptata fuit, ut patet ex primis trecentis annis, quibus nulla unquam Concilia generalia propter ingruentes perſecutiones coacta leguntur; cùm tamen multæ in fide quæſtiones toto hoc tempore feliciter ſopitæ & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones. Nec dicant adverſarii, hos errores pro hæreſibus habitos non fuiſſe, donec his definitionibus Conciliorum generalium calculus accederet; falſum enim eſt; omnibus quotquot fuerunt erroribus à Sede Apoſtolica damnatis, & qui jam pro hæreſibus in Eccleſia habentur, ſemper acceſſiſſe Concilii cujuſdam generalis condemnationem. Quod enim, quæſo, Concilium generale Pelagianos damnavit &c?* Et paucis interjectis. *Diligentiſſimè itaque obſervandum eſt, ut aliquod dogma tanquam hæreticum habeatur, non eſſe neceſſariam Concilii generalis celebrationem, ſed ſufficere Summi Pontificis condemnationem, unà cum acceptatione totius Eccleſiæ per orbem diffuſe: licèt enim Decretum Pontificis, quatenus ab eo ſolo permanat, de fide non ſit, cùm ejus in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè conſtet; nihilominus ſi hæc condemnatio ab univerſali Eccleſia, licèt diffuſa & non coacta in Concilio approbetur, jam nemo citra fidei detrimentum ei poteſt contradicere: eſt enim de fide, Eccleſiam non tantùm ut congregatam in Oecumenico Concilio, ſed ut diffuſam per orbem errare non poſſe.* Hæc Duvallius.

Accedit & cenſura ſacræ Facultatis Pariſienſis die 9. Febr. an.1663. quâ declarat neceſſarium non eſſe abſolutè Concilium generale ad extirpandas quaslibet ſchiſmata & quaslibet hæreſes, v.g. Pelagianam & Janſenianam, quas conſtat ſufficienter extinctas abſque Concilio generali, quod tamen in aliquibus caſibus dici poteſt neceſſarium.

Pluribus de Conciliis egimus Tomo 1. de Deo ac divinis Attributis, ubi de Locis Theologicis pag.81.& ſeq. quæ conſuli poſſunt. Hoc unum hìc repetendum, ubi Eccleſia, ſeu in conciliis, ſeu extra concilia, de fide pronuntiavit, prompto animo ipſi obſequendum, nec cuiquam licitum eſſe hanc inobedientiæ ac pervicaciæ ſuæ cauſam obtendere, omnes ad legitimam defi-

definitionem conditiones neceſſarias, obſervatas non fuiſſe. *Si enim*, ait eleganter ac verè Melchior Canus Lib.5. de Locis cap.5. q.3. *ſemel hereticis hanc licentiam permittimus, ut in queſtionem vocent, num Eccleſie Judices eam diligentiam & curam exhibuerint, que opus erat ut queſtio via & ratione finiretur: ecquis adeo cæcus eſt, qui non videat omnia mox Pontificum, Conciliorumque Judicia labefactari?* P. 268.

ARTICULUS TERTIUS.

De infallibilitate ſeu inerrantia Eccleſie in cauſis fidei & morum definiendis.

ECcleſiam hic conſideramus ſive per totum orbem ſparſam ac diffuſam, ſive in Conciliis generalibus congregatam.

Eſſe in Eccleſia ubique diffuſa paſſivam infallibilitatem, qua fit ut tota fidelium ſocietas nuſquam errorem admittere poſſit, non diffitentur noſtri Novatores: at negant eſſe in Paſtoribus ſimul & collectivè ſumptis activam infallibilitatem teſtimonii ac judicii, qua certò ac ſecurè abſque ulla erroris formidine poſſint de fidei cauſis pronuntiare. *Hereticis omnibus hoc gentile eſt*, ait Canus Lib.4. de Locis cap. 1. *ſimul atque ſeſe Eccleſie auctoritate urgeri vident, aut illam ſpernere, aut Eccleſie rem ad ſe nomenque transferre, & eam in illis eſſe negare in quibus revera eſt.* P. 177.

Negant pariter inerrantiæ donum Concilio generali univerſam Eccleſiam referenti ac repræſentanti à Chriſto Domino conceſſum eſſe. Qui eorum circa Concilia generalia errores, irreverentiam, contumelias, mendacia ſcire voluerit, legat elegantem Præfationem Bellarmini in eos quos ſcripſit, de Conciliis Libros.

Nonnullos etiam ex noſtris de hocce ultimo capite ſubdubitaſſe aliquando colligere poſſumus, tùm ex Cardinali de Alliaco in quæſtione in Veſperiis agitata Tomo 1. Operum Gerſonis poſtremæ editionis pag.662. & 3. parte de Eccleſiæ auctoritate cap. 1. Tùm ex Joanne Breviſcoxa Doctore Pariſienſi in Tractatu de fide, Eccleſia, Romano Pontifice & Concilio generali, nunc primùm typis edito eodem Tom. 1. Operum Gerſonis pagin. 898. Tùm ex Joanne Major in Commentariis in Evangelium S Matthæi, ubi etſi ſæpius aſſerat Concilium generale errare non poſſe; id tamen non ex fide Catholica certum, ſed ex pia dumtaxat opinione vult credi debere. Tùm ex Thoma Valdenſi Lib.2. art.2. cap.19. doctrinalis fidei pag.193. & ſeq. De fide tamen eſſe pronuntiant, tùm Canus Lib.5. de Locis Concluſione 3. pag. 248. tùm Bellarminus Lib. 2. de Conciliis cap.2. propoſitione prima, tùm alii vulgò Theologi, Concilium ſcilicet generale Eccleſiam univerſalem repræſentans errare non poſſe in Judicio fidei & morum.

CONCLUSIO.

Eccleſia, ſive per orbem univerſum diffuſa, ſive in Conciliis generalibus congregata, errare non poteſt in cauſis fidei & morum definiendis.

Prima pars, quæ eſt Eccleſia per orbem diffuſa, Probatur 1. ex Scripturis quæ conſtantem ac perpetuam fore in Eccleſia fidem teſtantur. Ita promiſit Deus apud Iſaiam cap. 59. v. 20. & ſeq. *Cùm venerit Sion redemptor .... hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo & uſque in ſempiternum.* Et Oſee 2. v. 19. & 20. *Sponſabo te mihi in fide in ſempiternum.* Quòd ſi Eccleſiæ fides deficeret, jam Sponſi Chriſti & Sponſæ Eccleſiæ matrimonium dirimeretur; quorum tamen eſt indiſſolubilis perpetuaque conjunctio.

Matthæi 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Matthæi ultimo v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

1. ad Timoth. 3. v. 15. *Ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Hanc verò Eccleſiæ in retinenda fide conſtantiam ac firmitatem, non tantùm paſſivam eſſe in tota populi Chriſtiani ſocietate, ſed etiam activam in Paſtoribus, quos impoſſibile eſt ſimul omnes errare, ac in falſa doctrina populis tradenda conſpirare, patet.

I. Quia ſi falſum docere poſſent omnes ſimul per orbem ſparſi Eccleſię Principes ac Paſtores, falſum quoque admittere ac credere teneretur ſparſus ubique populus Chriſtianus; ab illis etenim doctrinam informatur, & quam illi tradunt, iſte imbibit ac retinere debet: quare Sacerdotum omnium error, totius erit error Eccleſiæ; & ita evaneſcet hæc ipſius infallibilitas etiam paſſiva quam vel ipſi agnoſcunt adverſarii. *Quòd ſi*, ait Canus de Locis Lib.
P. 208. 4. Concluſione 4. *hinc Paſtores, inde oves in contrarias partes ſeparentur, corporis compacti ac per omnem juncturam connexi disjunctio, omnem Eccleſiæ diſtrahat unitatem; & non ſolùm inter optimates & populum conſtitutam à Chriſto ſocietatem evertet, ſed communem etiam inter ſe fidelium conſociationem dirimet, cujus conſociationis arctiſſimum vinculum fidei eſt conſpiratio eadem, & conſenſus partium non divulſus. Divulſus autem omnium erit, ſi populorum membra à ſuis capitibus divellantur. Atque ubi ſemel plebs rudis à Doctorum ſuorum communi ſententia declinaverit, quorum doctrinam poſtea ſecutura eſt?* Ita Canus.

Act. 10. v. 28. II. Paſtores in Eccleſia ſua Chriſtus inſtituit ut regerent ſibi ſubditum gregem: *Poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei.* Dedit ipſis poteſtatem ligandi & ſolvendi: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quecunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Juſſit ut omnes gentes docerent: *Docete omnes gentes. Dedit eos ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti..... ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Eos miſit ſicut & ipſe à Patre miſſus eſt; *Sicut*

Matth. 18. v. 18. Matth. ult. & ſeq. Joan. 20. v. 21 ultimo. Ephes. 4 v. 11 &

miſit

miſit me Pater & ego mitto vos. Juſſit ut audirentur, & eis obtemperaretur: *Qui vos audit, me audit*. Lucæ 10. v.16. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Hebræor. 13. v.17. Et Matth. 23. *v.* 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere*. Et cap.18. v.17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*.

Qua porrò ratione ſtabunt hæc omnia & conciliabuntur, ſi omnes ſimul Paſtores à fide deficere, & in errore ſuis gregibus propinando conſpirare pariter omnes poſſunt? Demus enim iſtud contingere, quod fieri poſſe agnoſcunt Novatores; neceſſe igitur erit omnem populum Chriſtianum propinatum ſibi à Paſtoribus, quibus jubente Chriſto tenentur obſequi, erroris venenum haurire? Peribit ergo tunc in univerſa Eccleſia fides? Ergo omni vento doctrinæ circumferri nos oportebit, ac fluctuantes eſſe? Ergo tunc non in ædificationem Corporis Chriſti, ſed potius in deſtructionem poſiti erunt Paſtores; non ad Sanctorum conſummationem, ſed potius ad ruinam? An ad hoc *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere eccleſiam Dei quam proprio acquiſivit ſanguine*? An docendi munus ipſis in hunc finem concredidit, ac ligandi ſicut & ſolvendi contulit poteſtatem? Quis credat ita Eccleſię divinam aliquando deeſſe poſſe providentiam in re ad ſalutem communem maximè neceſſaria, cui Chriſtus ſe perpetuò adfuturum promiſit?

Et certè vim promiſſionis à Chriſto Paſtoribus Eccleſiæ factæ non intelligit, quiſquis ita inſanè opinatur. *Ego*, inquit Chriſtus Matth. ultimo, *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Apoſtolos alloquitur, & in eorum perſona omnes Epiſcopos illorum ſucceſſores. Et Joan.14. v.16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non poteſt accipere ... vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit*. Et v.26. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*. Et rurſus cap.16. v. 13. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*.

Et verò ſi tenebantur olim Judæi, ex ore Sacerdotum Legis interpretationem requirere, juxta iſtud, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*; quantò magis ex Sacerdotibus, id eſt Paſtoribus Evangelicis, fidei & morum præcepta populus Chriſtianus exquirere tenetur? Unde tam arcta Paſtoribus incumbit adipiſcendæ Eccleſiæ doctrinę lex & obligatio, niſi voluerint hanc Dei comminationem in ſe experiri, de qua Propheta Oſee cap.4. v.6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. *Malac. 2. v.7.*

III. Ex dictis paulò antè Articulo 2. & probatis, neceſſe eſt agnoſcere in Eccleſia vivam ac ſpirantem regulam, certum & ab omni erroris formidine liberum Judicem, à quo enatæ de Religione controverſiæ ultimo ac decretorio Judicio finiantur: aliàs, nullus unquam futurus eſſet diſputationum ac diſcordiarum finis; uniuſcujuſque arbitrio & voluntati Religionis cauſæ dimitterentur, unde dubium & ancipitem ſemper fluctuare neceſſe foret fidelium animum; ac, quod longè magis exitioſum foret, effuſam aperiri ad omnem Religionem tolerandam, licentiam. Atqui regula hæc viva &

ſpirans, ſeu Judex ille controverſiarum ſemper præſens ac ſubſiſtens, ex dictis, ſola eſt Chriſti Eccleſia: non Scriptura ſola, non ſpiritus privatis revelans, non Princeps ſæcularis, nec etiam in omni caſu Concilium generale, quod abſolutè ac ſemper neceſſarium non eſt ut hæreſes damnentur, ſine quo multæ damnatæ ſunt. Supereſt igitur ut ſit Eccleſia per orbem diffuſa, quę ſuum in Epiſcopis tribunal ſemper præſens ac ſubſiſtens habet.

Hæc eſt doctrina ſacræ Facultatis Pariſienſis in Concluſione quam anno 1663. die 19. Februarii tulit occaſione Theſeos Magiſtri Gabrielis Drouet de Villeneuve. Ibi quippè ſacra Facultas declarat, *Neceſſarium non eſſe abſolutè Concilium generale ad extirpanda quælibet ſchiſmata, & quaslibet hereſes, v. g. Pelagianam & Janſenianam, quas conſtat ſufficienter extinctas abſque Concilio generali, quod tantùm in aliquibus caſibus dici poteſt abſolutè neceſſarium.*

Et in famoſa Cenſura contra Lutherum an. 1542. art. 18. *Tenetur quilibet Chriſtianus*, ait Cenſura, *firmiter credere unam eſſe in terris univerſalem Eccleſiam viſibilem, quæ in fide & moribus errare non poteſt, cui omnes fideles in his quæ ſunt fidei & morum obedire adſtringuntur.* Articulo verò 19. *Quòd ſi quid*, pergit, *in Scripturis ſacris controverſiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam definire & determinare ſpectat.*

Rurſus in Cenſura contra Vernantium an. 1664. die 24. Maji, ſic loquuntur Magiſtri Pariſienſes: *Hæ propoſitiones, quatenus excludunt ab Eccleſia infallibilitatem activam ſeu auctoritatem emergentia circa fidem dubia, infallibilis veritatis oraculo tollendi & explanandi, falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ & hereticæ.*

. Eodem anno cùm D. de la Milletiere Librum evulgaſſet ſub hoc titulo, gallicè, *Le Pacifique veritable*, atque in eodem docuiſſet ſolis Conciliis Oecumenicis declarari unanimem Eccleſiæ conſenſum, atque ſola eorum Decreta firma eſſe ac irreformabilia; ſacra Facultas doctrinam hanc Cenſura ſua notavit his verbis: *Hæ Propoſitiones, in quantùm infallibilitatem Eccleſiæ univerſali, in nullo alio ſtatu quàm in Concilio Oecumenico congregatæ tribuunt, & ipſam aliquo tempore legitimi uſus pœnitentiæ cognitione caruiſſe ſupponunt, temerarię ſunt, ipſi Eccleſię injurioſę & heretice.*

Quapropter minùs accuratè ac caſtigatè, noſtro quidem judicio, ſcripſit Almainus Tract. de auctoritate Eccleſiæ cap. 10. *Eccleſiam ut diſperſam, nullum actum juriſdictionis exercere poſſe, nec aliquid ſententialiter definire; & ſic infallibilitatem in definiendo ei competere ut congregatę in Concilio.* Habet enim veram & quidem activam infallibilitatem etiam diſperſa, & extra Concilium verè judicat; atque conſenſu ſuo ſive expreſſo, ſive tacito, Apoſtolicas de fide Conſtitutiones, vel privatarum Synodorum ſtatuta recipiendo, vim ineluctabilem illis confert ac impertitur. Quod manifeſtè patet multarum hæreſeon exemplo, quæ nullo Oecumenico Concilio damnatæ fuerunt, ſed vel à Romanis Pontificibus, vel ab aliquibus Epiſcopis in Conciliis Provincialibus. Hac ratione toto orbe terrarum proſcripta fuit Pelagiana hæreſis. Ita teſtatur S. Auguſtinus Epiſtola 190. aliàs 157. ad Optatum. Ita pariter Marius Mercator in Commonitorio ad Theodoſium cap. 3. *Quæ omnia*, inquit ille, *ſupra ſcripta Capitula continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zozimi Epiſtola, quæ Tractoria dicitur, qua Cœleſtius Pelagiuſque damna-*

Tom. 1. Oper. Gerſ. p. 1004.

Ed. nov. p. 12.

damnati ſunt; *quæ & Conſtantinopolim & per totum orbem miſſa*, *ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata*. Unde meritò dicebat Auguſtinus Lib. 3. contra Jul. cap. 1. n. 5. *Cauſam finitam eſſe*, *nec amplius audiendos eſſe Pelagianos quantùm ad jus examinis pertinet*. T. 10 p. 355. C.

IV. Eccleſia in Conciliis generalibus coacta, non alia de cauſa errare non poteſt in ſuis de fide ac moribus Decretis, quàm quòd Concilium Oecumenicum Eccleſiam univerſam repræſentat, *quę repræſentatio totius nominis Chriſtiani*, ait Tertullianus antea laudatus, *magna veneratione celebratur*. An verò imago, ſeu repræſentatio, & quoddam veluti compendium totius Eccleſiæ privilegio inerrantiæ gaudebit, & eo privabitur ipſamet vera, realis & univerſalis Eccleſia, qualis ea eſt, quæ per orbem univerſum ſparſa diffunditur? An, quæſo, Concilium Oecumenicum à loco, ubi congregatur, auctoritatem habet infallibilem? Non puto tam abſurdum quemquam fore, qui aſſerat. Ergo non aliunde illam obtinet, quàm quòd univerſam repræſentat Eccleſiam, adversùs quam portæ inferi nunquam prævalebunt. Igitur par & æqualis eſt, ſuprema & infallibilis, Eccleſiæ ſive repræſentantis, ſive repræſentatę, auctoritas. *Libro de jejuniis c. 13. p. 552. B.*

Probatur 2. auctoritate SS. Patrum & veterum Eccleſiæ Scriptorum, imprimis S. Irenæi & Tertulliani, qui ad Eccleſias Apoſtolicas ubique terrarum diſperſas, non ad Concilia generalia recurrunt, ut vera fidei regula figatur & dignoſcatur.

S. Irenæus Lib. 3. adversùs hæreſes cap. 2. ait hæreticos bifariam oppugnari poſſe, *vel Scripturis*, *vel cùm ad eam iterum Traditionem quę eſt ab Apoſtolis*, *quę per ſucceſſionem Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur*, *provocamus eos*. Et cap. 3. *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam*, *in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint videre*: *& habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis*, *& ſucceſſores eorum uſque ad nos*, *qui nihil tale docuerunt*, *neque cognoverunt*, *quale ab his* (Hęreticis) *deliratur*. Succeſſionem Eccleſiæ Romanæ à Petro & Paulo fundatæ, & Traditionem ibi conſervatam mox recenſet, *in qua ſemper*, ait, *ab his qui ſunt undique*, *conſervata eſt ea*, *quę eſt ab Apoſtolis Traditio*. Et cùm Epiſcopos omnes Romanos ad ſua uſque tempora numeraſſet, *Hac ordinatione*, inquit, *& ſucceſſione*, *ea quę eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditio & veritatis prçconiatio*, *pervenit uſque ad nos*. Et cap. 4. *Non oportet apud alios quęrere veritatem*, *quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere*; *cùm Apoſtoli*, *quaſi in depoſitorium dives*, *pleniſſimè in eam contulerint omnia quę ſunt veritatis*: *uti omnis quicumque velit*, *ſumat ex ea potum vitę*.... Et paulò poſt: *Quid enim*? *Et ſi de aliqua modica quęſtione diſceptatio eſſet*, *nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias*, *in quibus Apoſtoli converſati ſunt*, *& ab eis de preſenti quęſtione ſumere*, *quòd certum & re liquidum eſt*? *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis*, *nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias*? *Cui ordinationi aſſentiunt multę gentes Barbarorum*, *eorum qui in Chriſtum credunt ſine charta & atramento ſcriptam habentes in cordibus ſuis ſalutem*, *& veterem Traditionem diligenter cuſtodientes*. *P. 174. & 175. Ibid. P. 176. n. 1. Ib. n. 3. P. 178. n. 1. Ibid.*

Lib. 1. cap. 10. aliàs 2. & 3. jam dixerat: *Eccleſia per univerſum orbem uſque ad fines terrę ſeminata*, *& ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem* *Pagina 48. col. 1. n. 1.*

Pa. 49. col.2.n. 2. *quæ eſt &c. Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, eccleſia, & quidem in univerſum orbem diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans; & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor, & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus Traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ aliter credunt aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hę quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, &c. ſed ſicut Sol, creatura Dei, in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis ubique lucet & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire.*

P. 262. col.2.n. 2. Denique Lib.4. cap.26. aliàs 43. *Quapropter*, ait, *eis qui in eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis ... qui tum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt.* Et c.33. aliàs 63. *Agnitio*, inquit, *vera eſt Apoſtolorum doctrina, &* P. 272. col.2.n. 8. *antiquus eccleſiæ ſtatus in univerſo mundo, & character Corporis Chriſti, ſecundùm ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quę in unoquoque loco, eſt, eccleſiam tradiderunt; quę pervenit uſque ad nos.*

Videtis S. Doctorem continuò recurrere, & Hæreticos provocare ad fidem & Traditionem, quæ in Eccleſiis ubique terrarum diſperſis conſervatur. Conſenſus itaque diſperſarum Eccleſiarum certum eſt ac invictum veræ fidei ac Traditionis argumentum.

Tertullianus alter eſt ejuſdem ſententiæ ac doctrinæ vindex & aſſertor Pagina 206.D. eximius. In hunc finem aureum ſcripſit adversùs hæreſes *de Pręſcriptionibus* Librum. Cap 20. ſic loquitur: *Apoſtoli eccleſias apud unamquamquę civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinę cęterę exinde eccleſię mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur ut eccleſię fiant; ac per hoc & ipſe Apoſtolicę deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantę eccleſię, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima; & Apoſtolicę, dum unà omnes probant unitatem: dum eſt illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis; quę jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem ſacramenti una traditio.*

Pagina 209. A. Cap.21. *Hinc igitur*, pergit Tertullianus, *dirigimus pręſcriptionem: ſi Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prędicandum, alios non eſſe recipiendos prędicatores, quàm Chriſtus inſtituit.... Quid autem prędicaverint, id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hìc præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prędicando, tam viva, quod ajunt, voce, quàm per Epiſtolas.* Poſtea: *Si hęc ita ſunt, conſtat proindè omnem doctrinam, quæ cum illis eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem quod eccleſię ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio pręjudicandam, quę ſapiat contra veritatem eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.*

Pagina 112. A. Et cap.28. *Age nunc*, inquiebat, *omnes erraverint ..... nullam reſpexerit Spiritus ſanctus, utì eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre ut eſſet doctor veritatis; neglexerit officium, Dei Villicus, Chriſti Vicarius, ſinens eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipſe*

per Apoſtolos prædicabat: ecquid veriſimile eſt ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt: exitus variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterùm, quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos erraſſe qui tradiderunt? Quoquo modo ſit erratum; tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat; interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa: tot denique martyria perperam coronata &c? Sic explodebat Tertullianus eos qui Eccleſiam univerſam in errorem dilapſam eſſe arbitrabantur.

Denique, cap. 36. ejuſdem Libri provocat ad Eccleſias Apoſtolicas diſperſas, ut fidei veritas tutò ac ſecurè habeatur. *Percurre*, inquit, *Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ Litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippenſes, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.* Pagina 215.A.

Hegeſippus, referente Euſebio Lib. 4. Hiſt. cap. 22. cùm Romam tenderet, ut de fide Eccleſiarum fieret certior, uniuſcujuſque Epiſcopos interrogabat; à quibus *unam eandemque audivit doctrinam*.

S. Cyrillus etiam in Epiſtola ad Pupinianum: *Chriſtus dicit ad Apoſtolos*, ait, *ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt, Qui audit vos, me audit: qui rejicit, me rejicit.* Et poſteà aſſerit, *Eccleſiam non eſſe multitudinem contumacium, ſed plebem Sacerdoti adunatam, & gregem ſuo Paſtori adhærentem. Unde qui cum Epiſcopis non ſint, eos in Eccleſia non eſſe; fruſtraque eos ſibi blandiri, qui pacem cum Sacerdotibus non habuerint, cùm Eccleſia, quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit, ſed connexa & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata.*

S. Cyrillus in Epiſtola Synodica ad Neſtorium ſic ipſum alloquitur. *Præter hoc addendum illud eſt, ut ſcripto ac jureiurando affirmes te prætereà anathematiſare quæ ſceleſtè & profanè hactenus ſenſiſti; & ea rurſum poſthac te ſenſurum & docturum polliceare quæ & nos, & cæteri omnes quotquot vel in Occidente, vel in Oriente vivunt Epiſcopi, doctores ac duces populorum.... Hæc enim eſt Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ fides, in qua univerſi Occidentis & Orientis orthodoxi Epiſcopi conſentiunt.* Tom. 3. Conc. p. 397.C.

S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos, *Poteram*, inquit, *omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ Sole ſiccare.*

S. denique Auguſtinus Lib. de Hæreſibus: *Quid contra iſta*, inquit, *ſentiat Eccleſia Catholica, ſuperfluò quæritur; cùm propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire.* Et Lib. 7. de Baptiſmo cap. 53. *Nobis tutum eſt.... fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quòd in gubernatione Domini Dei noſtri J.C. univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Et Lib. de utilitate credendi cap. 15. ait *Nolle Eccleſiæ primas dare, vel ſummæ impietatis eſſe, vel præcipitis arrogantiæ.* Denique in Libro contra Epiſtolam Manichæi, quam vocant Fundamenti,

poſt-

Digitized by Google

poſtquam expoſuit cap. 4. quibus graviſſimis motivis in Eccleſia detinea-
Ibid. p. 154. A. tur, cap. 5. ſic ait: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicę eccleſię commoveret auctoritas.*

Tom. 8. Conc. p. 1163. Concilium VIII. generale in Epiſtola encyclica, poſt relata Chriſti verba, *Portę inferi non prævalebunt*, ſic loquitur: *Multoties alias inferi portas apertas contra Eccleſiam & devorare eam tentantes obſtruxit, contrivit atque deſtruxit, hęreticas videlicet opiniones & iniqua conamina quę in pręteritis generationibus per ſua tempora ſunt exorta; ſed nihilominus & inſtantibus temporibus inferno proprium os contra Eccleſiam Chriſti aperiente & dilatante, protector ejus factus eſt Chriſtus &c.*

Secũda pars Concluſionis, de infallibilitate Conciliorum Oecumenicorum. Secunda pars Concluſionis, errare ſcilicet non poſſe Eccleſiam in Concilio generali congregatam in Judicio fidei & morum,

Probatur 1. Certum eſt & ab omni erroris periculo tutum Judicium Epiſcoporum per orbem univerſum diſperſorum, ut mox probavimus; pariter ergo certum & ab omni errore tutum debet affirmari, cùm in Conciliis congregantur. Tùm quia Eccleſiam ipſi univerſam tunc referunt ac repræſentant, dum nempè unuſquiſque eorum quæ ſit Eccleſiæ ſuæ fides ac traditio declarat ac teſtatur. Sicut enim quilibet Epiſcopus ſuam repræſentat Eccleſiam, ita univerſi univerſam referunt & repræſentant; & ſicut in quolibet Epiſcopo repræſentativè reſidet auctoritas ſuæ particularis Eccleſiæ, ita auctoritas Eccleſiæ univerſalis repræſentativè reſidet in omnibus Epiſcopis coactis in Concilio Oecumenico. Unde Martinus V. in Conc. Conſtantienſi de hæreſi ſuſpectos jubet interrogari; Num credant Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentare. Tùm quia Epiſcopis datum eſt regere Eccleſiam Dei, data ligandi atque ſolvendi auctoritas; ad illos igitur, non ad plebem imperitam, pertinet de rebus fidei ferre judicium: quod niſi certum ſit, ac omninò ſecurum, neceſſe erit fluxum ac caducum eſſe publicum Eccleſiæ regimen, cœcam ac præcipitem ligandi ac ſolvendi auctoritatem, populum univerſum circumferri omni vento doctrinæ, ac continuò Paſtorum ſeductioni & erroribus obnoxium ſubjacere; à quibus certè graviſſimis incommodis tuta ſemper ac ſecura futura eſt Eccleſia, fidem faciente ipſomet Chriſto, *portas inferi nuſquam adversùs eam prævalituras.*

Porrò non alibi meliùs ac commodiùs de publicis Eccleſiæ negotiis, ſive fidem ſpectent, ſive mores ac diſciplinam, tractant ac judicant Epiſcopi, quàm in Synodis congregati, ubi ſeſe mutuis juvant, doctrinæ, induſtriæ, ſtudiorum, luminis, ſapientiæ, conſiliorum præſidiis: non alibi meliùs poteſtatem activam ſeu juriſdictionem in legibus ferendis demonſtrant & exercent. Quapropter Bellarmino ſubſcribere non poſſumus, cùm Lib. 2. de Conciliis cap.
To. 2. p. 38. col. 2. G. 16. docet, *Eccleſiæ univerſitati, neque Concilio generali quatenus eccleſiam univerſalem repręſentat, ullam eſſe datam auctoritatem.* Quæ doctrina eò tendit, ut probet S. Pontificem eſſe ſupra Concilium: de qua controverſia ſuus erit aliquando dicendi locus. Tùm denique quia, promittente Chriſto Joan. 16. v. 13. Epiſcopos & Eccleſiæ Paſtores *Spiritus veritatis docebit omnem veritatem.* Ergo in Concilio generali Eccleſiam univerſam ſufficienter repræſentante, coacti Epiſcopi errare non poſſunt in ſuis de fide ac moribus Decretis.

Nec eſt quòd dicant Novatores, ita quidem eſſe, ſi Epiſcopi judicent ſecundùm legitimum Scripturæ ſenſum. Namque, ut rectè regerit Melchior

Ca-

Digitized by Google

Canus de Locis Lib.4. Concluſione 2. *Quis judex erit, an Eccleſia Scripturam ritè, an ſecus interpretetur?* Hæc igitur conditio omnia facit ambigua quæ ſunt ab Eccleſia definita: ac ſemper ſuſpicio injici poterit, num Eccleſia rectè vel non aſſecuta fuerit Scripturæ ſenſum; neque majus erit Eccleſiæ, quàm privati cujuslibet privilegium: cuilibet enim ſecundùm Scripturas judicanti credi debet. Hæc igitur Eccleſiæ infallibilitas judicii & teſtimonii abſoluta eſt, non conditionata: neque enim permittet unquam Chriſtus, ut Eccleſia, quæ eſt cuſtos depoſiti, à vera Scripturæ interpretatione aliquando recedat. P. 200.

Probatur 2. ex iſtis Chriſti verbis Matth. 18. v.20. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Calvinus,* ait hìc Bellarminus Lib.2. de Conciliis cap.2. *non adeo magni facit hoc teſtimonium, propterea quòd ex eo videatur probari poſſe, etiam Concilium duorum hominum non poſſe errare. Sed* (pergit Bellarminus) *is hoc teſtimonium non contemnet, qui obſervarit, argumentum ſumi non ſimpliciter ex his verbis, ſed ex his verbis continuatis cum ſuperioribus, & propterea addita argumentatione à minori ad majus. Dixerat enim anteà Dominus de homine incorrigibili, Dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. At ne quis Eccleſiam, ſive Congregationem Prælatorum contemnendam putaret, adjunxit continuò, Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo &c. Et ne quis dubitaret de aſſiſtentia Dei, quando Epiſcopi congregati aliquem damnant vel abſolvunt, ſubjungit: Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum ſum. Quorum verborum hæc ſententia eſt: Si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent ſemper quod petunt à Deo, nimirum ſapientiam & lumen quod ſufficit eis ad cognoſcenda ea quæ ipſis neceſſaria ſunt, quantò magis Epiſcopi omnes congregati in nomine meo, ſemper obtinebunt quod juſtè petunt, id eſt, ſapientiam & lumen ad judicanda ea quæ ad totam Eccleſiam dirigendam pertinent? Itaquè ſive pauci, ſive multi, ſive privati, ſive Epiſcopi congregentur in nomine Chriſti, omnes habent Chriſtum præſentem & adjuvantem, & obtinent quod eis convenit obtinere. Sed in congregatione paucorum & privatorum adeſt Chriſtus, ut eos adjuvet in rebus parvis & privatis: in congregatione autem Epiſcoporum adeſt, ut eos adjuvet in rebus magnis & publicis. Ita hunc locum exponit Concilium Chalcedonenſe in Epiſtola ad Leonem, quę eſt poſt finem tertię Actionis ejuſdem Concilii. Item ſexta Synodus Act.17. Toletanum III. non procul ab initio. Item Innocentius Papa apud Gratianum diſt.20. Can. De quibus. Cęleſtinus in Epiſtola ad Epheſinum Conc. & S. Cyrillus in expoſitione Symboli Nicæni circa principium.* Hactenus Bellarminus. To.1.p. 21. col. 1.D.

Breviùs: Diſcrimen Concilii particularis & Oecumenici quoad privilegium inerrantiæ reponi in eo debet, quòd nullo ſatis firmo & in promiſſione Chriſti fundato argumento demonſtrari poſſit, Concilia particularia in nomine Chriſti congregari: (qua tamen una conditione Conciliis privilegium non errandi promiſit Chriſtus) è contrà certiſſima fide conſtare debet Concilium, quod verè Oecumenicum eſt, in nomine Chriſti congregari, & conſequenter habere ſibi aſſiſtentem divinum Spiritum. Quid ita? Quia Concilium Oecumenicum ipſummet Eccleſiæ corpus eſt & conſtituit: corpus autem Eccleſiæ nuſquam eſt ſine ſuo eſſentiali, primario, & inviſibili Capite Chriſto,

quem

quem *dedit Deus caput ſuprà omnem Eccleſiam*, ait Apoſtolus Epheſ. 1. v. 22. Alioquin à corpore Eccleſiæ ſeparatus aliquando Chriſtus foret eamque deſereret, quod pugnat cum ea fide & promiſſione qua teſtatur ſe nunquam ab Eccleſia abſuturum.

Conditiones ad Concilium Oecumenicum requiſitę.

Probatur 3. ex cap. 15. Actuum Apoſtolorum, ubi refertur hiſtoria Concilii omnium primi Oecumenici quod fuit ab Apoſtolis celebratum in cauſa Legalium, quodque formam & exemplar præbuit cæteris ſubinde celebrandis Conciliis. Nulla ſcilicet ex conditionibus neceſſariis ad Oecumenicam Synodum hìc deſideratur.

Finis & occaſio Concilii.

I. Occaſio Concilii fuit controverſia Antiochiæ orta circa Legalium neceſſitatem. *Quidam deſcendentes de Judæa*, ait Hiſtoricus ſacer, *docebant fratres, Quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari. Facta ergo ſeditione non minima Paulo & Barnabæ adverſùs illos, ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apoſtolos & Preſbyteros in Jeruſalem, ſuper hac quæſtione.... Convenerunt ergo Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*. En finis & ſcopus hujuſce convocationis Apoſtolorum: deciſio ſcilicet hujus quæſtionis, An gentes ad Chriſtum converſæ cogi deberent ad obſervationem Legis Moſaicæ; neque alius eſt Concilii Oecumenici finis, quàm aut fidei aut morum definitio contra hæreticos vel ſchiſmaticos.

Atque hinc Conciliorum neceſſitas eruitur, quam rectè probat Bellarminus Libro 1. de Conciliis capite 11. *Tum quia eſt medium ordinarium definiendis controverſiis fidei accommodatum: Tùm quia licèt Apoſtoli ſeorſim ſinguli potuiſſent definire controverſias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & à Chriſto ipſo demonſtratum, non ſine Concilio controverſiam de Legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt: Tùm quia ita fert conſuetudo totius Eccleſiæ, atque omnium ſæculorum. Semper enim fuit in Eccleſia iſta conſuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Epiſcoporum haberentur. Et ipſi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæreſim novam ſine novo Concilio damnaverunt .... Quod autem ſemper & ab omnibus factum eſt, quis negare audebit, ordinarium dici poſſe, & revera eſſe?* Paulò antea dixerat idem Bellarminus, *non debere Pontificem in controverſiis fidei dijudicandis, aut ſolo ſuo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem, ſed adhibere diligentiam, quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media; & tum demum expectare aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & directionem divinam*. Hæc Bellarminus, quibus Conciliorum neceſſitatem optimè demonſtrat. Adde trigeſimam nonam ſeſſionem Conc. Conſtantienſis ubi ſic loquuntur Patres: *Frequens Conciliorum generalium celebratio agri Dominici cultura eſt præcipua, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum & errorum, & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit: illorum verò neglectus præmiſſa diſſeminat atque fovet &c.* Non tamen inde colligas, ſimpliciter & abſolutè in omni caſu neceſſarium eſſe Concilium generale, ſed tantùm aliquo in caſu: quandoquidem, ut obſervat ſacra Facultas Pariſienſis antea citata, multæ hæreſes ſufficienter extinctæ ſunt abſque Concilio generali.

To. 2. p. 8. col. 1. C. D.

Ibid. C.

To. 12. Conc p. 238. C.

Convocatio generalis.

II. Fuit convocatio Apoſtolorum & ſeniorum: per ſeniores autem intelligendi ſunt vel ii quos Apoſtoli Epiſcopos ordinaverant, vel ii quos regendis novis Chriſtianis præfecerant, quales erant Silas & Barſabas qui dicuntur *viri primarii in fratribus* Act. 15. v. 22. Fuit autem generalis hæc Ec-

clesiæ

cleſiæ convocatio, quæ planè neceſſaria eſt, ut verè Oecumenicum habeatur Concilium, ac ſufficienter univerſam Eccleſiam repræſentet.

Niſi enim omnes vocentur & ad Synodum celebrandam invitentur per orbem ſparſi Epiſcopi, Synodus convocatione Oecumenica non erit, nec conſequenter univerſam Eccleſiam ſufficienter repræſentabit, nec illud habebit inerrantiæ privilegium quod in Concilio generali ſolùm agnoſcimus, quatenus nempè Eccleſiam univerſam repræſentat. Atque hinc apertum eſt diſcrimen quod eſt inter Concilium Generale, & Provinciale, vel Nationale, vel Diœceſanum; quòd nempè in his poſtremis fiat dumtaxat convocatio Epiſcoporum alicujus Nationis vel Provinciæ; in Concilio verò Generali fiat omnium orbis Chriſtiani convocatio. Neceſſe tamen non eſt ad Synodum verè Oecumenicam, ut omnes reipſa convocati Epiſcopi adſint & congregentur: tùm quia vix moraliter id fieri poteſt: tùm quia & in hoc ipſo Jeroſolymitano Concilio non omnes adfuere Epiſcopi; ſed tantùm adfuere Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus & Barnabas. Ad convocationem igitur generalem neceſſe eſt omnes vocari; ſufficit tamen ut ex ſingulis Nationibus & Regnis aliqui eo numero conveniant, qui poſſint ſufficienter univerſam Eccleſiam referre ſeu repræſentare.

Adverte contingere poſſe ut Synodus aliqua ſit Oecumenica convocatione, non ſit verò congregatione: ſi nempè ita numero pauci convenirent, ut Eccleſiam univerſam ſufficienter non repræſentarent. Rurſus contingere poſſe, ut Synodus convocatione & congregatione ſit Oecumenica, non autem exitu ſeu eventu, ut contigit in Latrocinio Epheſino; ſi nempè convocati & congregati Epiſcopi aut libertate priventur, & minis ac metu impellantur; aut ſpretis omnibus æquitatis legibus, omnia per fas & nefas ſubvertant. Synodus igitur verè Oecumenica, talis debet eſſe, tùm convocatione, tùm celebratione, tùm exitu.

Adverte prætereà, ad Oecumenicum Concilium neceſſe non eſſe ut in unum & eundem locum ſimul confluant Orientis & Occidentis Epiſcopi; ſed fieri poſſe, ut Orientales in una, & Occidentales in altera Civitate congregentur, atque ex mutuo omnium conſenſu verè exurgat Oecumenica Synodus. Qua ratione Concilium Conſtantinopolitanum primum, cui ſoli adfuere Orientis Epiſcopi, Oecumenicum fuit; quia eodem tempore ſub Damaſo Romæ celebrata eſt Occidentalium Synodus, quæ cum Synodo Conſtantinopolitana conſpiravit in retinenda ac propugnanda fide divinitatis Spiritus ſancti.

III. Concilio Jeroſolymitano adfuere Apoſtoli, & ſeniores ſeu Presbyteri. *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*, v. 6. Imò & plebs ipſa adfuit, ut colligitur ex verſu 12. ubi dicitur: *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum*. Porrò ſi per ſeniores ſeu Presbyteros intelligere placeat Epiſcopos, adfuere illi tanquam teſtes & Judices fidei; ſi verò ſimplices intelligere volueris Presbyteros, adfuere tanquam teſtes fidei quam ab Apoſtolis prædicatam exceperant, tanquam Conſultores, qui de propoſita controverſia differerent, non tanquam Judices ex auctoritate pronuntiantes, niſi ſaltem ex privilegio & conceſſione Apoſtolorum. Aliquando etiam ab Epiſcopis ſubinde vocatos ad Synodum Presbyteros fuiſſe, & jus ſuffragii habuiſſe, conſtat ex Hiſtoricis monumentis. Vide quæ ea de

Qui Concilio interſunt.

re

re diximus Tomo 1. de Deo, ubi de Locis Theologicis. Multitudo verò plebis adfuit,ut teſtis eſſet eorum quæ in Concilio tractarentur ac definirentur.

Quomodo res tractentur. IV. De propoſita quæſtione *facta eſt magna conquiſitio*, ut dicitur v. 7. Quapropter ex utraque parte, id eſt, tam ex parte Catholicorum, quàm ex parte Cerinthi & aliorum Judaiſantium, miſſi ſunt ad Concilium, qui de hac controverſia inter ſe diſceptarent, ut oſtendunt iſta ſacri textus verba: *Statuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis*, quibus edocemur. 1. neminem eſſe à Concilio excludendum qui audiri voluerit; atque Hæreticis ipſis dandam eſſe licentiam opiniones ſuas proponendi ac tuendi. 2. magnam eſſe debere ſuffragiorum libertatem. 3. non alia conditione Epiſcopis in Concilio generali congregatis adeſſe Chriſtum aſſiſtentia & ope ſingulari Spiritus ſancti, quàm ſi adhibeant humana & ordinaria media, induſtriæ, ſtudii, collationis, diſputationis, ad veritatem detegendam, illuſtrandam & confirmandam. Deus ſcilicet qui omnia ſuaviter diſponit ac moderatur, via ſupernaturali aperta & manifeſta hic non agit, ſed occulta ſpiritus ſubminiſtratione: unde Epiſcopos permittit omnibus humanæ infirmitatis periculis obnoxios eſſe, metus ſcilicet, ambitionis, avaritiæ, cupiditatis &c. Neque unquam promiſit Chriſtus ſe à Conciliis ejuſmodi pericula ſemper propulſaturum, quaſi humanitatem omnem exuant Epiſcopi, eo ipſo quòd in Conciliis congregentur: ſed hoc unum promiſit, ſe ipſis adfuturum *quoties in nomine ſuo congregarentur*; hoc eſt, ſervata ſuffragiorum libertate, & adhibita humana induſtria & diligentia veritatem ſeduló inquirerent.

Porro diligentiam illam cæteraſque ad Canonicum judicium requiſitas conditiones adhibitas fuiſſe meritò præſumitur, quoties Epiſcopi ſive congregati ſive diſperſi decretum dogmaticum Fidelibus proponunt, ut jam à Sede Apoſtolica latum acceptant. Quid enim, quæſo, prodeſſet noſſe Eccleſiam in ſuis definitionibus non erraturam adhibitis certis quibuſdam conditionibus; niſi aliundè conſtaret has conditiones adhibitas fuiſſe, quando definitiones ſuas Fidelibus credendas proponit? Atque in hoc maximè elucet divina virtus ac providentia, quòd medios inter altercantium Epiſcoporum motus, ſemper erumpat victrix ac triumphans veritas.

Quid in Conciliis ad fidem pertineat. Inde colliges, ea omnia quæ in diſputationibus, colloquiis, ac concertationibus proferunt Epiſcopi, ut Canonibus ſanciendis viam præmuniant, Scripturam exponant, ac veritatem fidei illuſtrent aut confirment, ad fidem non pertinere; neque adigi Fideles ut ea velut totidem Spiritus ſancti oracula venerentur & accipiant. Sunt quidem hæc magni ponderis, ſed fidem certam non faciunt: hoc unum fidei caput haberi debet ab omnibus credendum, quod à toto Concilio in Canonibus proponitur ac definitur.

P. 275. *Porrò*, inquit Canus Lib. 5. de Locis cap. 5. *quę in Conciliorum vel Pontificum Decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni reſpondeatur, vel etiam obiter & in tranſcurſu præter inſtitutum precipuum de quo erat potiſſimùm controverſia, ea non pertinent ad fidem, hoc eſt, non ſunt Catholicę fidei Judicia. Exempli cauſa ponamus aliquid, quod poſitum in una re, transferri per multas poſſit. Quod in capite, Firmiter, de ſumma Trinitate, dicitur, Angelos eſſe incorporeos, id non fidei decretum eſt, cùm poſt Decretalem illam nonnulli & Philoſophi & Theologi falſò quidem, ſed citra hereſeos notam contrarium aſſeruerint.*

Quòd

Quòd ſi quæras quibus regulis & notis diſcerni poſſit definitio Concilii ad fidem pertinens. Reſpondeo iſtas à Melchiore Cano loco mox citato indicari: *Prima, ſi contrarium aſſerentes, pro Hæreticis judicentur. Secunda, cùm in hanc formam Synodus Decreta præſcribit, Si quis hoc aut illud ſenſerit, anathema ſit. Tertia, ſi in eos qui contradixerint excommunicationis ſententia ipſo jure feratur. Quarta, ſi quicquam expreſsè & propriè à fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum dicatur, vel aliis ſimilibus verbis aliquid eſſe Evangelio doctrinæve Apoſtolorum contrarium. Dicatur autem non ex opinione, ſed certo & firmo decreto.* P. 271.

Meritò igitur quinta Synodus generalis Collatione ſexta obſervat, *in Conciliis non unius vel alterius interlocutionem attendi oportere, ſed hæc quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur.* Idem ferè jam dixerat Juſtinianus Imperator in Edicto adversùs tria Capitula. *Oportet*, inquiebat, *etiam illud attendere eos qui veritatem perſcrutantur, quòd forſitan in Conciliis quædam à certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam. Nemo autem attendit ea, quæ per partem à quibuſdam dicuntur; ſed ſola illa, quæ ab omnibus communi conſenſu definiuntur.* Tom. 5. Conc. p. 515. D. Ibid. p. 712. D.

V. In Concilio Jeroſolymitano primus ſententiam dixit S. Petrus v. 7. quòd nempè primatum gereret ſuper alios Apoſtolos: qua prærogativa gaudet S. Pontifex Romanus erga cæteros Epiſcopos; unde ipſius eſt Concilia convocare, aut eorum ſaltem convocationi per Imperatores aliquando factæ, conſentire: ipſius eſt illis vel per ſe vel per Legatos præſidere, ea confirmare, eorum executionem per totum orbem urgere ac promovere. S. Petrus primus ſententiam dicit.

VI. S. Jacobus tanquam Epiſcopus urbis in qua celebrabatur Concilium, poſt S. Petrum ſententiam ſuam his verbis expreſſit v. 19. *Ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum &c.* Qua pronuntiandi ratione apertè declaratur, Epiſcopos veros eſſe controverſiarum fidei Judices, ab illo conſtitutos, à quo poſiti ſunt regere Eccleſiam Dei. Hanc pronuntiandi formulam non rarò in Conciliis ſecuti ſunt Epiſcopi, cùm ajunt, *Ego N. definiens vel conſentiens, ſubſcripſi, vel judicavi.* Epiſcopi Judices.

VII. Denique, maximè attendi debet definitio Concilii Jeroſolymitani, his verbis expreſſa, quibus veluti radiis ſolaribus inſcripta eſt infallibilis & ſuprema Conciliorum Oecumenicorum in Judicio fidei & morum auctoritas. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, inquiunt v. 28. *nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione; à quibus cuſtodientes vos, benè agetis.* Definitio itaque Concilii generalis eſt ipſamet Spiritus ſancti definitio, cui impoſſibile eſt ſubeſſe falſum; cui proinde fideles omnes ex animo ſe ſe ſubjicere tenentur. Definitio infallibilis.

Nec dicas Apoſtolos, utpotè ſacros Scriptores, divinitùs inſpiratos fuiſſe, adeoque verè ab ipſis dictum, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, quod de Epiſcopis in ſubſequentibus Conciliis congregatis dici pariter non poteſt.

Namque licèt Apoſtoli divinitùs inſpirati fuerint tanquam Scriptores ſacri, alii tamen ſeniores ſeu Epiſcopi, qui ad hoc Concilium convenerunt, pariter divinitùs afflati tanquam Scriptores ſacri non fuere: communi tamen omnium conſenſu atque ſuffragio pronuntiant, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, & communi omnium nomine Epiſtola Synodica ſcribitur. *Præterea,* To. 2. p. 8. col. 1. D.

reà, inquit Bellarminus paulò anteà citatus, *licèt Apoſtoli ſeorſim ſinguli potuiſſent definire controverſias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & à Chriſto ipſo demonſtratum, non ſine Concilio controverſiam de Legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt*. Inde eſt quòd collationem inter ſe habeant; audiunt partem adverſam, Prophetias expendunt, Scripturas conferunt, ſuffragium ſigillatim ferunt. Ita nodum ſolvunt Patres V. Synodi Collatione 8. *Licèt*, inquiunt, *Spiritus ſancti gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, ſi oporteret Gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati, divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque dicta ſua confirmaverunt*. Atque non alio conſilio voluit Deus ſic controverſiarum omnium primam in negotio Religionis agitari ac definiri, quàm ut formam & exemplar relinqueret ſubſequentibus Epiſcopis, terminandi omnes, quæ circa Religionem naſci poſſunt, quæſtiones; certa ſpe data, quòd ſicut Apoſtolis & ſenioribus adfuit Spiritus ſanctus ope ſingulari in primo omnium Concilio congregatis, ita & ſubſequentibus pariter Epiſcopis in nomine Chriſti congregandis pro definiendis fidei controverſiis ſit adfuturus.

Tom. 5. Conc. p. 562. E.

Probatur 4. ex SS. Patribus ac Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Pagina 552. A. Tertullianus Lib. de jejuniis cap. 13. jam citato. *Aguntur*, inquit, *præterea per Græcias illa certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.*

Sanctus Ambroſius Lib. 3. de fide cap. 15. aliàs 7. loquens de Concilio Nicæno, appellat Decreta Conciliorum Oecumenicorum *hæreditaria ſignacula nullius temeritate violanda*. To. 2. p. 519. B.

To. 2. p. 124. B. S. Auguſtinus Epiſt. 54. ad Januarium, aliàs 118. cap. 1. *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.*

To. 9. p. 407. F. Lib. 1. contra Creſconium cap. 33. *Scripturarum etiam*, ait, *in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.*

Ibid. p. 84. F. Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. loquens de validitate Baptiſmi ab Hæreticis collati, *Quæſtionis hujus*, inquit, *obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit ſalva pace diſceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque Regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. Ibid. cap. 18. hac tantùm ratione ſanctum Cyprianum ab hæreſi excuſat, quòd nondum eo tempore celebratum fuiſſet Concilium plenarium quo controverſia hæc eliquata & finita fuiſſet. Ibidem, plenarii Concilii ſententiam ait eſſe *totius Eccleſiæ conſenſionem*. Ibid. p. 93. G.

Lib. 2.

Lib. 2. c. 1. *Quod per univerſæ Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel unius Epiſcopi auctoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum eſt.* Ib. p. 77. C.

Et Lib. 7. cap. 53. *Nobis tutum eſt*, inquit, *in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata ſunt: id autem fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Ibid. p. 202. B.

Celeſtinus Summus Pontifex in Epiſtola ad Patres Concilii Epheſini, *Non poteſt*, ait, *veritas mentiri, cujus in Evangelio iſta ſententia eſt: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Quod cùm ita ſit, ſi nec huic tam brevi numero Spiritus ſanctus deeſt, quantò magis eum nunc intereſſe credimus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum?* To. 3. Conc. p. 614.

S. Leo in Epiſtola 93. aliàs 63. ad Theodoretum cap. 1. *Quæ*, inquit, *Dominus noſtro priùs miniſterio definierat, univerſæ Fraternitatis irretractabili firmavit aſſenſu: ut verè à ſe prodiiſſe oſtenderet, quod priùs à prima omnium Sede formatum, totius Chriſtiani orbis judicium recepiſſet, ut in hoc quoque Capiti membra concordent.* Audis irretractabile eſſe Judicium univerſæ Fraternitatis, hoc eſt, Epiſcoporum ſive in Conciliis congregatorum, ſive diſperſorum. T. 1. p. 624.

Et in Epiſtola ad Leonem Auguſtum 115. aliàs 73. rogat ne patiatur retractari quæ in Synodo Chalcedonenſi ſtatuta fuerant de Incarnatione Chriſti. *Nulla*, inquit, *permittatis retractatione pulſari; quia in illo Concilio per Spiritum ſanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata ſunt, ut nihil regulæ, quæ ex divina inſpiratione prolata eſt, addi poſſit aut minui.* Ibid. p. 667.

Patres Concilii V. Collatione 8. Conciliorum auctoritatem probant ex iis ipſis Scripturæ teſtimoniis quæ hìc adducta ſunt. To. 5. Conc. p. 563.

Vigilius S. Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ: *Neceſſe eſt*, inquit, *quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda quæ ſunt ipſi placita, colliguntur, ſancti Spiritus non deeſſe præſentiam. Ita enim Chriſti Dei Domini & Salvatoris noſtri mandata nos inſtruunt, quibus ait Matth. 18. Ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.* Ib. p. 322. E.

Et in ſuo Conſtituto initio declarat ſe quatuor admittere priora Concilia: *Quæcumque*, inquit, *tam de fide, quàm de aliis omnibus cauſis, Judiciis, Conſtitutionibus, aut diſpoſitionibus definita, aut judicata, vel conſtituta, ſive diſpoſita, inconcuſsè, inviolabiliter, ſine adjectione vel imminutione aliqua nos promittimus ſecuturos.... & quecunque communi conſenſu dicta ſunt, ea Orthodoxa veneramur atque ſuſcipimus.* Ibid. p. 337. & 338.

Facundus Hermianenſis ſtrenuus trium Capitulorum defenſor Lib. 12. cap. 2. *Non in noſtra*, inquit, *ratione, quamquam videatur invicta, ſed in auctoritate S. Concilii conſtituimus firmitatem..... Unde ſi quam reverentiam deferimus Synodalibus Inſtitutis ab Eccleſia univerſali receptis, in omnibus quæ obſcura in eis & ad intelligendum difficilia reperimus, divinam voluntatem cognoſcere atque approbare debemus.* Et Lib. 2. cap. 6. *Non in ſola*, inquit, *fidei dubitatione, vel definitione, Conciliorum valet auctoritas: verùm etiam in omnibus quæ pro pacis & unitatis obſervantia, cujus maxima ſapientibus cura eſt, modeſtè ibi fuerint ac benè compoſita.* Et Lib. 5. cap. 5. *Neque alia eſt Conciliorum faciendorum utilitas, quàm ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate* Pag. 187. C. Ibid. E. Pa. 31. D. Pag. 77. C.

credamus, & ſicubi ratio minùs nobis occurrerit, fides, ne labamur, citò ſuccurrat. Nam ſi poſt decretum diſceptare licuerit . . . non eſt quare jam Concilia congregentur, nec terminatæ, imò nec terminabiles dicantur quæſtiones, quarum probatio ſemper exigitur ... Non idem modus eſſe debet atque ordo quærendi poſt definitionem Concilii totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poſcebat, ut ſi Orthodoxa probaretur illa Epiſtola (Ibæ *) ſuſcipienda judicaretur à Synodo: nunc autem ratio poſcit, ut ſi ſuſcepta probetur à Synodo, judicetur Orthodoxa.*

T. 2. p. 515. B. Ibid. D. Sanctus Gregorius Magnus Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum 25. Libri primi aliàs 24. *Sicut*, inquit, *ſancti Evangelii quatuor Libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor ... quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.*

T. 1. p. 595. S. Leo Epiſtola 77. aliàs 54. ad Marcianum Auguſtum. *In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum: quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulę ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Eccleſiæ regimen, Spiritu Dei inſtruente, ſunt conditæ, me (quod abſit) connivente violentur; & major ſit apud me unius fratris voluntas, quàm univerſæ domus Domini communis utilitas.*

To. 12. Conc. p. 22. C. Concilium Conſtantienſe Seſſ. 5. *Declarat hęc ſancta Synodus, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis.*

Obſervat Palavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini, Legatos Sedis Apoſtolicæ interceſſiſſe ne in Actis Tridentinæ Synodi formula hæc, *Tridentina Synodus univerſalem repreſentans*, inſereretur, quòd eam novam eſſe, nec in antiquis Conciliis reperiri contenderent.

Accedat ſacra Facultas Pariſienſis in ſuis contra Lutherum articulis; articulo 22. pronuntiat: *Certum eſt Concilium generale legitimè congregatum univerſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus, errare non poſſe.*

To. 14. Conc. p. 446. A. Denique Concilium Senonenſe anno 1528. Decreto 3. & auctoritate & ratione Concluſionem noſtram his verbis confirmat: *Proinde cùm certa ſit & infallibilis Eccleſiæ regula, nec aliquando inviſibilitatis prætextu tandem eludi queat: ea profectò ſacris generalibus Conciliis auctoritas denegari non poteſt, quę proximè univerſalem repræſentant Eccleſiam. His enim Conciliis ſi ea decernendi quæ ad ſinceritatem fidei, & extirpationem hæreſum, Eccleſiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, poteſtas adimatur, nihil certum, nihil ſtabile futurum eſt, nihil denique quo Hæreticus ab Orthodoxo poſſit internoſci: cùm ille frequenter tùm impendiò loquacior, tùm pervicacior pluribus (licèt perperam intellectis) Scripturarum teſtimoniis falsò glorietur. Nec erat quo veterum quorumdam Hæreticorum retunderentur inſultus, niſi Eccleſiaſtici Proceres Apoſtolorum exemplo Concilia celebraſſent, quibus ſancti Spiritus auctoritatem ferocientibus illis, & rerum humanarum ſcientia*

tumen-

tumentibus opponerent. Quo fit, ut ſi Conciliorum auctoritati ſub hac temporum calamitate tantillum depereat, protinus velut ab inferis ſuſcitandæ ſint damnatæ omnes hæreſes. Et poſtea. *Quòd ſi ubi duo vel tres in nomine Domini congregantur, (licèt ſibi relicti falli poſſint) continuò tamen in medio eorum ſit Dominus, quantò magis, ubi Summus Pontifex cæterique Primores Eccleſiaſtici conveniunt? . . 5. Sancta igitur & inviolabilis eſt ſacrorum Conciliorum univerſalium auctorita, cui quiſquis pertinaciùs refragatur, hoſtis fidei jure optimo cenſeri debet.* Ibid.C.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Pugnant inter ſe Concilia, non tantùm in diſciplina, quod omnes fatentur, ſed etiam in fide.

I. Vel ipſi Apoſtoli in Concilio Jeroſolymitano congregati ſibi contradicunt: namque eo ipſo Decreto quo ſanciunt Gentes ad Chriſtum converſas jugo Legis Moſaicæ ſubjiciendas non eſſe, nec eas cogi debere ut circumcidantur cæteraque Legalia obſervent, neceſſitatem nihilominus imponunt abſtinendi à ſanguine & ſuffocato; quæ lex Judæis impoſita fuerat à Deo Gen. 9. v. 4.

II. Vox ὁμόσιον, *conſubſtantialis*, qua una fides Orthodoxa exprimitur, rejecta fuit à Concilio Antiocheno ann. 272. tùm à Nicæno I. generali ann. 325. conſecrata: tùm iterum ab altero Antiocheno ann. 341. à Sirmienſi ann. 351. ab Ariminenſi Oecumenico, ſi quod unquam fuit, ann. 359. & à Conſtantinopolitano ann. 360. rejecta & proſcripta fuit.

III. Anno 449. Concilium Epheſinum Eutychetis doctrinam approbavit, quam Chalcedonenſe poſtea ann. 454. anathemate damnavit.

IV. Concilium generale Nicænum Can. 12. damnat & improbat Chriſtianos qui armis ſeu militiæ ſæculari nomen dant; quos tamen nec Chriſtus, nec Apoſtoli ea de cauſa unquam improbarunt: hoc enim tantùm à militibus poſtulat S. Joannes Luc. 3. v. 14. ut *neminem concutiant, neque calumniam faciant, & contenti ſint ſtipendiis ſuis*; non jubet autem ut militiam deſerant, quod vult Canon Nicænus.

V. Anno 553. habitum eſt Concilium generale V. à Vigilio S. P. confirmatum, cujus tamen definitio à plurimis Occidentis Eccleſiis, præſertim à Gallicana, recepta non fuit; nec propterea communione privatæ fuerunt iſtæ Eccleſiæ. At qua ratione tolerari potuiſſet hæc reſiſtentia, ſi perſuaſum tunc temporis fuiſſet, Oecumenica Concilia errare non poſſe?

VI. An. 730. & 755. in duobus Conciliis Conſtantinopoli habitis rejectus fuit cultus Imaginum, qui tamen an. 781. in Concilio Nicæno approbatus fuit, non ſine graviſſimo errore; quandoquidem idem omnino cultus eademque adoratio Imaginibus decernitur, quæ vivificæ Trinitati. Imò actione 4. major agnoſcitur Imaginum vis & efficacia, quàm ſermonis ſeu Evangelii. Unde in Concilio Francofordienſi an. 794. planè improbata fuit hæc Synodus, & exploſus cultus Imaginum.

VII. Anno 692. Conſtantinopoli in Palatio Imperatoris quod Trullum dicebatur, celebratum eſt numeroſum Concilium vulgò dictum Quiniſextum, quòd nempe ſit in ſupplementum quinti & ſexti Concilii Oecumenici, vel Trullanum à loco ubi celebratum fuit. In hoc Concilio plurimi

editi ſunt Canones quos Romana Eccleſia improbavit ac rejecit: qui verò fieri id potuiſſet, ſi Oecumenicum Concilium infallibilis eſſet auctoritatis?

VII. denique, Concilium ipſum Tridentinum Oecumenicorum poſtremum, non tantùm à Græca, ſed nequidem à multis Occidentis Eccleſiis receptum fuit; imò nec apud nos quidem Gallos uſquedum publicatum ac promulgatum fuit. Quis porrò iſta facilè componat cum idea infallibilis & ſupremæ auctoritatis, quæ affingitur Conciliis Oecumenicis?

Reſp. nego antecedens.

Ad primam probationem, dico minimè pugnare ſecum Apoſtolicum Decretum; imò potiùs ſapientia & æquitate plenum eſſe. Quamquam enim prohibeat Gentes circumcidi, cæteriſque legalibus ritibus obſervandis aſtringi, meritò tamen excipit abſtinentiam *à ſanguine & ſuffocato*, quòd nempe hæc una foret præcipua nota qua diſtinguerentur Chriſtiani à paganis, apud quos uſu quotidiano ſolemne erat veſci ſanguine & ſuffocato, non tantùm cauſa nutritionis, ſed etiam Religionis, ita ut uſus ille ſanguinis & ſuffocati certiſſimum eſſet ac velut inſeparabile ſignum Paganiſmi. Obſervant ſcilicet Scriptores non modò Gentiles, ſed & Chriſtiani, Deos gentium maximè delectatos fuiſſe, tanquam ſibi oblato ſacrificio, ſanguine & ſuffocato. *Iſti ſunt* (dæmones,) inquiebat Porphirius de abſtinentia Lib. 2. paragr. 42. *Spencerus de Legibus Hebræorum p. 455. & ſeq.* *qui libatione & nidore oblectantur, quibus ſpirituale corpus ipſorum pinguescit: vivit enim id vaporibus & ſuffimentis, & variè ſecundùm eorum varietatem, ſanguinis etiam & carnis nidoribus corroboratur.* Et Tertullianus in Apologetico cap. 22. de præſtigiis dæmonis verba faciens, *Mentis*, inquit, *corruptelas agit furoribus & amentiis fœdis, ac ſævius libidinibus, cum erroribus variis;* *Pag. 21. D. Ed. Rigalt. p. 22. D.* *quorum iſte potiſſimus, quo Deos iſtos captis & circumſcriptis hominum mentibus commendat, ut ſibi pabula propria nidoris & ſanguinis procuret ſimulachris imaginibus oblata.* Eodem penè redeunt iſta Minutii: *Morbos fingunt* (dæmones,) *terrent mentes, membra diſtorquent, ut ad cultum ſui cogant, ut nidore altarium vel hoſtiis pecudum ſaginati, remiſſis quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur.*

Ut igitur omnis idololatriæ ac paganiſmi ſuſpicio à Gentibus converſis amoveretur, atque faciliùs ad unam Religionis ſocietatem Judæos, multùm à ſuffocato & ſanguine abhorrentes, ſimul & Gentiles adducerent, ſapienter omnino interdictum iſtis voluerunt Apoſtoli eſum ſanguinis & ſuffocati, quòd nempe intelligerent in eo tunc temporis certum fuiſſe ſignum & *P. 523. col. 2. F.* argumentum cultus falſorum Deorum. *Idolothyta ſacrificantur dæmoniis*, ait Origenes Lib. 8. contra Celſum, *nec debet homo Dei particeps fieri menſæ dæmonum. Suffocatis autem nobis interdicitur, quia ſanguis ex eis non eſt excretus, cujus exhalatione dicunt paſci dæmones, ne veſcamur cibo dæmonum, & ne fortè ſimul nobiſcum edant dæmones, ſi ſuffocatum edamus. Quòd autem de ſuffocato dictum eſt, ſatis indicat cur à ſanguine abſtineatur.* Hæc Origenes. Et Tertul- *Pag. 99. C.* lianus Lib. de Idololatria cap. 24. *Propterea*, inquit, *Spiritus ſanctus conſultantibus tunc Apoſtolis, vinculum & jugum* (Legis) *nobis relaxavit, ut idololatriæ devitandæ vacaremus.*

Ad ſecundam, dico Antiochenam cum Nicæna Synodo generali non pugnare circa ſenſum Orthodoxum vocis iſtius, *ὁμούσιον*. Ad ſenſum nempe Pauli Samoſateni, qui creatæ ſubſtantiæ in morem, per diviſionem ac

par-

partitionem Patri Filium conſubſtantialem dicebat, meritò vocem ὁμούσιον damnavit Synodus Antiochena: unica enim & eadem eſt numero in tribus divinis Perſonis eſſentia ſeu ſubſtantia. Contra verò Arium, qui negabat Filium ejuſdem eſſe cum Patre naturæ ſeu ſubſtantiæ, meritò Nicæna Synodus definivit Filium eſſe Patri conſubſtantialem, ὁμούσιον, eamque vocem, qua ſola omnes Arianorum aſtutiæ ac doli elidebantur, conſecravit. Diverſum illum vocis ὁμούσιον ſenſum; ac diverſum Concilii Antiocheni in ea proſcribenda, Nicæni verò in ea retinenda, ſcopum & finem obſervavit S. Athanaſius, Lib. de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi. *Etſi*, inquit, *ambarum Synodorum Patres diversè de conſubſtantiali mentionem fecerint, nullatenus tamen ab illis diſſideri debemus, ſed illorum perſcrutari ſententiam, & tunc ambas inter ſe Synodos conſentire deprehendemus. Qui enim Samoſatenſem depoſuere, vocem Conſubſtantialis corporali accepere modo, cùm Paulus argutari vellet ac dicere, Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, ergo conſubſtantialis eſt Patri, atque hinc neceſſe eſt tres eſſe ſubſtantias; unam priorem, duas verò ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli ſophiſma jure caventes, dixere Chriſtum non eſſe conſubſtantialem: neque enim Filius ita ſe habet reſpectu Patris, qualiter ille cogitabat. Qui autem Arianam hæreſim anathemate damnaverunt, cùm Pauli calliditatem animadvertiſſent, & cogitarent, non ita de incorporeis, & maximè de Deo, conſubſtantialitatem accipiendam eſſe; agnoſcenteſque Verbum non creaturam ſed prolem ex ſubſtantia eſſe: item Patris ſubſtantiam, Filii principium, radicem & fontem eſſe, ac eundem ex ſe veram eſſe genitoris ſimilitudinem, nec eum quaſi natura extraneum, uti nos ſumus, à Patre ſeparatum eſſe....ea, inquam, de cauſa jure & ipſi Filium conſubſtantialem dixerunt.* Ita ſanctus Athanaſius. To. 1. part. 2. p. 759. A.

Quòd verò ſpectat Ariminenſe Concilium, à quo ſuppreſſa fuit vox ὁμούσιον, dico, quamdiu liberum & verè Oecumenicum illud fuit, tamdiu retentam ab eo fidem Nicænam ac vocem ὁμούσιον; nec niſi dolis ac fraudibus Arianorum deceptos Epiſcopos, atque tædio exilii & diuturnæ à ſuis Eccleſiis abſentiæ victos, tandem conſenſiſſe ſuppreſſioni hujus vocis, ratos nihil periculi eſſe: & ut ait ſanctus Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos, *Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cùm ſenſus eſſet in tuto.* Verùm plura ex profeſſo de hocce Concilio dicenda nobis occurrent Articulo quarto ſequenti.... T. 4. pa. 2. p. 299

Quòd verò addunt de altero Antiocheno Concilio, ut & de Sirmienſi & Conſtantinopolitano, à quibus vox eadem non modò ſuppreſſa, ſed etiam damnata eſt; minimè eſt ad noſtrum propoſitum: tùm quia particularia dumtaxat fuere iſta Concilia, non univerſalia de quibus hìc ſolùm loquimur: tùm quia nullus ignorat in iis prævaluiſſe Arianos, ad quorum arbitrium omnia peragebantur: tùm denique quia ab omnibus Catholicis improbata ſemper ac rejecta fuere.

Ad tertiam: Mirum certè videri debet, iſtud ab adverſariis nobis opponi poſſe Epheſinum Conciliabulum, quod norunt ab omnibus velut *Latrocinium Epheſinum* infamari, in quo vi & armis Dioſcorus omnia jura ſubvertit; Flavianum Conſtantinopolitanum interfecit, Legatos Summi Pontificis fugavit, inauditos Epiſcopos damnavit, Orthodoxos non admiſit, ipſam Eutychetis hæreſim approbavit. Tales Conventus Novatoribus noſtris ultro dimittimus.

Ad quartam: Canon Nicænus intelligendus eſt de lapſis pœnitentibus, qui cùm animo pietatis & pro more pœnitentium cingulum militiæ depoſuiſſent, cæteriſque publicis Officiis ac Muniis renuntiaſſent, abjecto pœnitentium ſtatu, facultatem ea Munia reſumendi oblata pecunia redimebant. Tales ignavos ac voti ſui immemores Chriſtianos meritò damnat Canon Nicænus, non alios. Vide notas Albaſpinæi in hunc locum.

Ad quintam: Antequam plenè confirmata ſit, & à majori Eccleſiarum parte recepta Concilii alicujus Oecumenici auctoritas, mirum videri non debet, ſi nonnulli ejus definitionibus obluctentur, non ex dubio juris, ſed facti: id eſt, non quòd dubitent de infallibili auctoritate Concilii verè Oecumenici, ſed quòd dubitent an tale Concilium verè ſit Ocumenicum. Atque hoc modo illæſa fide multi quinto Concilio reſtitere, quòd illud pro Oecumenico non haberent nec reciperent: atque prudenti œconomia erga ipſos agendum eſſe cenſuit aliquando S. Gregorius Magnus, donec tandem ubique cognita & recepta hujus Synodi auctoritate, licitum amplius non fuit ipſi obluctari.

To. 2. Conc. p. 78.

Ad ſextam: Duo iſta Conſtantinopoli celebrata Concilia adversùs ſacras Imagines, nuſquam à Catholicis pro veris & Oecumenicis, imò potiùs pro ſpuriis ac reprobatis habita ſunt, & à ſeptimo generali expreſsè damnata; neque ulla hìc alia pugna eſt ac contradictio, quàm quæ intercedit errorem inter ac veritatem. Francofordienſis verò Synodus Oecumenica non fuit, ſed particularis dumtaxat: quæcunque igitur fuerit ipſius ſententia, ad rem præſentem non attinet. Quamquam errore dumtaxat facti, ut loquuntur, laboravit iſta Synodus, cùm exiſtimavit à Patribus ſeptimæ Synodi aſſertum ſacris Imaginibus cultum abſolutum latriæ qualis defertur vivificæ Trinitati; cùm ſolum cultum religioſum & quidem relativum Patres illi decreverint, ſicut ex profeſſo demonſtrant Theologi, ubi de cultu Imaginum. Neque unquam aſſeruit Synodus, (ſicut falsò ſupponitur in Objectione) majorem eſſe Imaginum, quàm Evangelicæ prædicationis vim & efficaciam: hoc unum ſcilicet Actione quarta dixiſſe refertur Joannes Presbyter, magis affici ſeu moveri homines imaginibus quàm ſermone: *Itaque*, inquit, *major eſt imago, & hoc Deo providentia factum eſt propter idiotas homines*. Idque aſſeruit dictus Joannes, occaſione Imaginis ſeu Tabellæ in qua tam vivis coloribus pictor expreſſerat martyrium ſanctæ Euphemiæ, ut admirationem ſimul & lachrymas intuentium eliceret.

To. 7. Conc. p. 211. E.

At, inquies, ſaltem inde ſequitur Patres Francofordienſes non agnoviſſe in Oecumenicis Conciliis eam infallibilitatem & inerrantiam quam nos hìc propugnamus; ſiquidem perſuaſum habuerunt decretam fuiſſe ſacris Imaginibus à ſeptima generali Synodo ſupremam latriæ adorationem.

Reſpondeo ignoraſſe tunc temporis Patres Francofordienſes, an verè Oecumenica foret & à S. Pontifice Adriano probata & confirmata VII. Synodus. Aliunde verò declarant ſe paratos eſſe ſubſcribere ſententiæ S. Pontificis, cujus expectabant reſponſionem ad objectiones quas ipſi propoſuerant contra eum Imaginum cultum, quem (errore facti) putabant à ſeptima Synodo Imaginibus decretum fuiſſe.

Ad ſeptimam: Dico Synodum illam Trullanam nuſquam ab Eccleſia Romana probatam & receptam fuiſſe tanquam verè Oecumenicam; imò po-

Google

tiùs improbatam & rejectam, ſicut teſtantur Beda in Libro de ſex Ætatibus in Juſtiniano, Paulus Diaconus in vita ejuſdem Juſtiniani, & Platina in vita Sergii. Nonnullos equidem ipſius Canones approbavit Eccleſia Latina, quòd ſuis moribus congruerent, ſed nuſquam omnes. Inde eſt quòd Bellarminus de Conciliis Lib. 1. cap. 7. Concilium iſtud Quiniſextum recenſet inter ea quæ partim confirmata fuere, partim reprobata. Vide quæ de eodem Concilio dicat idem Scriptor ibid. Lib. 2. cap. 8. ad decimum tertium, & Lib. 2. de Romano Pontifice cap. 18. quibus in locis planè elevat hujuſce Synodi auctoritatem. Vide etiam quæ de eadem fusè diſſeruit Melchior Canus Lib. 5. de Locis c. ultimo in Reſponſione ad ſextum. Pa. 187.

Ad octavam: Dico Concilium Tridentinum in fidei definitionibus ab omnibus Eccleſiis Orthodoxis admiſſum fuiſſe. In iis ergo tantùm Diſciplinæ particularis capitibus à nobis probatum non fuit, quæ aut temporalem adminiſtrationem ſpectant, aut jura & patrias noſtras conſuetudines lædunt. Ea capita collecta legere poteris apud Bochellum Lib. 5. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ titulo 20. c. 45.

Objicies 2. auctoritatem S. Gregorii Nazianzeni ex Epiſtola ipſius 55. ad Procopium, ubi ſic loquitur. *Ego, ſi vera ſcribere oportet, hoc animo ſum, ut omnem Epiſcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem letum & fauſtum vidi, nec quod depulſionem malorum potius, quàm acceſſionem & incrementum habuerit &c.* T. 1. p. 614. B.

Reſp. S. Doctorem non negare & cum fructu celebrari poſſe Concilia generalia, & ea, ubi legitima ſunt, certam fidem facere: ipſe etenim & Concilium Nicænum primum generale ſummis laudibus commendavit, & ſecundi Conſtantinopolitani adversùs Macedonium, pars maxima fuit. Non igitur juris quæſtionem, ſed facti præſtringit citata Epiſtola; in iis enim vivebat temporum circumſtantiis, in quibus meritò ſcribebat ſe nullum vidiſſe fauſtum Concilii exitum. Scilicet ætas S. Gregorii incidit in tempus medium inter Concilium primum & ſecundum generale ſub Conſtantino Imperatore, quo tempore plurima celebrata ſunt Concilia quæ Hæreticis Arianis favebant, & quorum proinde non fauſtum fuiſſe exitum conqueritur S. Doctor, qualia fuere Seleucienſe, Tirienſe, Ariminenſe, Mediolanenſe, Syrmienſe &c. Vocatus igitur à Procopio nomine Imperatoris ad aliquod non abſimile Concilium, ſe ipſum excuſat, atque obtendit tùm infirmam ſuam valetudinem; tùm receſſus ac quietis amorem; tùm motus, contentiones & rixas Epiſcoporum inter ſe; tùm denique infelicem Conciliorum quæ hactenus viderat, finem. Viderat autem Concilia dumtaxat particularia, in quibus factio Ariana prævaluerat: de iis igitur loquitur in citata Epiſtola, non de legitimis & verè Oecumenicis Conciliis.

Objicies 3. duo S. Auguſtini teſtimonia: Primum ex L. 2. aliàs 3. contra Maximinum c. 14. ubi ſic loquitur: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego auctoritate, nec tu illius detineris.* Non agnoſcebat igitur S. Auguſtinus ſupremam & infallibilem fuiſſe Concilii Nicæni auctoritatem, qua non teneri Maximinum aſſeverat. To. 8. p. 704. F.

Alterum teſtimonium petitur ex Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 5. ubi aſſerit *Concilia priora poſterioribus emendari poſſe.* Quod autem emendari poteſt, ſupponitur eſſe errori obnoxium. T. 9. p. 98. C.

Reſp. ad primum: gratis, & argumento, ut dicitur, ad hominem, in præſenti, quam contra Maximinum habebat, controverſia, concedere ſanctum Auguſtinum, ut Conciliorum ſeponatur auctoritas. Concilio ſcilicet Nicæno opponebat Maximinus Ariminenſe: utriuſque igitur diſcutienda fuiſſet auctoritas, ac demonſtrandum legitimum fuiſſe Nicænum, Ariminenſe verò illegitimum; qua in controverſia nec prolixitatem, nec multorum factorum perſonalium examen ac diſcuſſionem fugere potuiſſet ſanctus Doctor. Compendioſa igitur via rem perficit, atque ſepoſita (quamquam non negata) Concilii Nicæni auctoritate, demonſtrat ſibi ex una Scriptura abundè ſufficere firmiſſima momenta quibus Arianum errorem confodiat. Interim verò ab ipſo planè rejectam non fuiſſe Concilii Nicæni auctoritatem, demonſtrant hæc ipſius verba eodem loco citato: *Hoc eſt*, inquit, *illud Homouſion, quod in Concilio Nicæno adversùs Hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt*. Quid porrò eſt veritas auctoritatis, niſi vera & certa auctoritas?

T. 8. p. 704. E.

Ad ſecundum: Dico Concilia priora poſterioribus emendari poſſe in rebus facti, non in rebus fidei: (ſaltem ſi de Conciliis Oecumenicis ſermo ſit; particularia enim errare poſſe non tantùm in factis, ſed etiam in fide, omnes fatentur) at loqui ſanctum Auguſtinum de quæſtionibus facti, ſuadent tum hæc ipſius verba eodem in loco, *Concilia*, inquit, *priora poſterioribus emendari poſſunt, cùm nempe aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat*: quod certè ad fidei veritatem referri vix poteſt, quæ non rerum experimentis innoteſcit, ſed verbo Dei ſcripto vel tradito. Tùm ſubjecta ipſius diſputatio cum Donatiſtis. Agebatur quippe de Cæciliano, an Libros ſacros tradidiſſet hoſtibus fidei, an non: quæ quæſtio tota erat facti, non juris.

T. 9. p. 98. C.

Inſtabis. S. Auguſtinus citato cap. 3. Lib. 2. de Baptiſmo, manifeſtè loquitur de rebus fidei, non verò ſolius facti: agit enim de errore rebaptiſantium, quem S. Cyprianus, cujus auctoritatem perpetuò objectabant Donatiſtæ, multis in Conciliis Carthaginenſibus propugnaverat; quæ certè quæſtio ad fidem procul dubio pertinet. Ut verò probet Donatiſtas auctoritate Cypriani immeritò ſe tueri, oſtendit eum hac in parte cum ſuis Conciliis erraſſe: neque id mirum videri debere, cùm & ipſe erraverit Petrus, & Concilia Provincialia per Plenaria emendentur, imò & ipſa Plenaria priora poſterioribus etiam emendentur: quod certè S. Doctoris argumentum, niſi intelligatur de errore circa fidem, aptum non eſt, nec diſputationi quam habebat accommodatum. Quæ enim fuiſſet iſta ratiocinatio: Concilia Cypriani errarunt in fide & emendari debent, quia Concilia etiam plenaria errare poſſunt in factis? Diſtorta omnino conſecutione, nec tanto Doctore digna. Loqui autem ſanctum Doctorem loco citato, non de quæſtionibus facti, ſeu de Cæciliano, ſed de errore rebaptiſantium, patet ex ipſo contextu. *Vos certè*, inquit, *nobis objicere ſoletis Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium: cur auctoritatem Cypriani pro veſtro ſchiſmate aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis? Quis autem neſciat ſanctam Scripturam Canonicam tam veteris quàm novi Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum Litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrùm verum vel utrùm rectum ſit quidquid in ea ſcriptum*

Ibid. A.

eſſe

eſſe conſtiterit: Epiſcoporum autem Litteras quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt vel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cujuslibet in ea peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem auctoritatem doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deviatum eſt: & ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere: ipſaque Plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari; cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat. En textus S. Doctoris, ex quo manifeſtum eſt illum loqui de quæſtionibus ad fidem pertinentibus, in quibus etiam priora Concilia plenaria quæ ſunt ex toto orbe Chriſtiano, poſterioribus emendari poſſunt.

Reſp. Revera S. Auguſtinum agere citato loco de quæſtione fidei, nempe Baptiſmo Hæreticorum, & agnoſcere Cyprianum cum ſuis Conciliis hac in parte erraſſe: verùm cùm ait, *Concilia plenaria priora poſterioribus emendari*, falſum eſt eum loqui de errore circa fidem; aut ea Concilia, quantùm ad hoc, cum Provincialibus conferre. Ad inſtitutum ſcilicet S. Doctoris ſufficiebat demonſtraſſe, non tantùm privatos Epiſcopos, ſed & Concilia quæ per ſingulas regiones & Provincias fiunt, imò & Plenaria poſſe errare, quamvis in diverſo planè genere. Concilia nempe particularia, non tantùm in factis, ſed in fide; Plenaria verò, in factis dumtaxat. Gradatim enim veluti progregreditur ſanctus Doctor; ac primò Epiſcopos privatos, tùm Concilia particularia in fide errare poſſe aſſerit; Plenaria verò in factis quæ clarè deſignat per hæc verba, *cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat*. Sanctum porro Auguſtinum inerrantiam & infallibilitatem Concilii plenarii in quæſtionibus fidei agnoviſſe, patet ex teſtimoniis inter probationes citatis.

Objicies 4. Si Patres in Conciliis legitimis & Oecumenicis congregati Spiritu ſancto regantur, ac certa ſit & ab omni erroris periculo tuta eorum definitio, ſequitur definitionem hanc Scripturæ ſacræ loco habendam eſſe, & paris cum illa ponderis & auctoritatis. Conſecutio videtur neceſſaria. Non alia quippe de cauſa Libros ſacros & Canonicos pro certiſſima fidei & morum regula habemus, quàm quòd ſcripti ſint ab hominibus dirigente ac aſſiſtente Spiritu ſancto: abſurda nihilominus eſt iſta conſecutio, & à Theologis unanimi ſuffragio exploditur, à quibus latum ſtatuitur diſcrimen v.g. inter Evangelium S. Matthæi, & Symbolum Nicænum: etenim Scriptura ſacra in Canonem refertur, non ita definitiones Conciliorum &c.

Obſervat Melchior Canus de Locis Lib. 5. c. 5. q. 3. ſe præſente virum apprimè doctum non timuiſſe concedere ſequelam argumenti, quam ibidem ipſe ſolidis refellit argumentis. P. 263.

Reſpondeo itaque falſam eſſe conſecutionem. Bellarminus de Conciliis Lib. 2. cap. 12. præſentem movens quæſtionem exponit multas rationes & cauſas diſcriminis quod eſt inter Scriptores ſacros & Canonicos, & Epiſcopos in Concilium Oecumenicum coactos. Tres iſtæ præcipuæ ſunt. To. 2. p. 35.

Prima. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata eſt*. 2. ad Timoth. 3. *Spiritu enim ſancto inſpirante loquuti ſunt ſancti Dei homines*, ait S. Petrus Epiſtolæ 2. cap. 1. Scriptoribus igitur ſacris divinitùs afflatis nova revelatio affulſit: non item Epiſcopis Synodicè congregatis, quibus aſſiſtit quidem ope ſingulari

gulari ac præſidet Spiritus ſanctus, ne à vero deflectant, ac tutò revelatam veritatem detegant & exponant; at ipſis nihil novi revelat. Omnia enim myſteria & dogmata fidei Apoſtolis revelata fuere ſicut ipſis promiſit Chriſtus apud S. Joan. cap. 16. v. 13. *Cùm venerit*, inquit, *ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Definitiones igitur Conciliorum fidem ſpectantes, per novam revelationem non fiunt, quamquam res revelatas contineant & explicent.

Secunda ratio diſcriminis quæ ex prima naſcitur, eſt quòd Scriptores ſacri velut inſtrumenta & organa Spiritus ſancti abſque ullo proprio ſuo labore, ſtudio, conatu, induſtria, ea ſcribant & loquantur quæ Spiritus ſanctus ipſis ſuggerit & inſpirat. Sunt enim, ut dicitur Pſalm. 44. v. 2. velut *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*. Unde fit aliquando, ut extra ſe rapti ac planè neſcientes, intus movente & agente Spiritu ſancto, ea proferant, quæ ipſi non intelligunt. At non ita Epiſcopi in Conciliis congregati, quibus auxiliatricem ſuam aſſiſtentiam non alia conditione promiſit Chriſtus, quàm ſi precibus, ſtudio, labore, frequenti collatione, & alia omni humana induſtria veritatem ſcrutarentur: quam conditionem accuratè adimplevere Apoſtoli in Concilio omnium primo Jeroſolymitano, in quo magnam conquiſitionem factam fuiſſe, ſuprà ex ſancto Luca obſervavimus. Scitè igitur Canus loco mox citato, ait, P. 267. *Commune hoc eſſe Eccleſiæ Judicibus, ut, ſi decreta ediderint temeritate quadam ſine judicio, repentino quaſi vento incitati, nihil omnino conficiant, quod ſolidum, quod grave, quod certum habetur*. E contra *ea gravia & certa in Eccleſia haberi, quæ judicio, conſideratè, conſtanterque edita ſint*. Ratio hujus diſcriminis eſt, quòd Epiſcopi in Conciliis teſtes ſint dumtaxat, cuſtodes, & judices, non auctores & parentes fidei quæ in verbo Dei ſive ſcripto ſive tradito continetur. Sedulò igitur inquirere debent in doctrinam uniuſcujuſque Eccleſiæ, in ſenſum Scripturæ, in Traditionem antiquam & conſtantem SS. Patrum, quod certè abſque ſtudio, labore, & induſtria humana fieri non poteſt. Egregiè Vincentius Lirinenſis in Commonitorio 1. cap. 27. explicans Bibliot. PP. To. 7. p. 258. D. iſtud S. Pauli ad Timotheum, *Depoſitum cuſtodi, Quid eſt*, inquit, *depoſitum? Quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non auctor eſſe debes, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens*.

Tertia denique ratio diſcriminis eſt, quòd Scriptores ſacri ne in minimis quidem rebus falli poſſint, manus & linguas eorum dirigente ac movente Spiritu ſancto: at Epiſcopi in Conciliis congregati in iis dumtaxat definitionibus, quæ fidem vel mores ſpectant, ſanciendis, certam & infallibilem habent auctoritatem: in aliis autem rebus, ſive præmiſſis & ratiociniis unde dogma fidei eruunt, ſive SS. Patrum teſtimoniis interpretandis, ſive philoſophicis placitis exponendis, ſive iis quæ curſim & obiter extra propoſitum attingunt, errare poſſunt, nec certam fidem faciunt.

Inſtabis 1. Decretum primi Concilii Jeroſolymitani in Scripturis refertur: habet igitur auctoritatem Canonicæ Scripturæ.

Reſp. Decretum illud in Scripturis hiſtoricè referri, ſicut & alia referuntur dicta vel facta Apoſtolorum: at non refertur velut verbum Dei ab hominibus divinitùs inſpiratis prolatum, ſed tanquam Synodica definitio

finitio facta à præpoſitis ſeu Paſtoribus Eccleſiarum, quibus præfuit Spiritus ſanctus: unde meritò dicunt, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.*

Inſtabis 2. S. Gregorius Magnus inter probationes noſtræ Concluſionis laudatus, ait ſe quatuor Concilia ſuſcipere, ac venerari ſicut quatuor Evangelii Libros.

Reſp. cum Bellarmino Lib. 2. de Conciliis cap. 12. in fine. *Illud, ſicut, ſonare ſimilitudinem, non æqualitatem; ſicut illud Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Vel ſi æqualitatem ſonet, dicendum erit, non comparari à Gregorio Concilia cum Evangeliis in omnibus, ſed tantùm in ipſa certitudine eorum quæ in Scripturis dicuntur, & in Conciliis definiuntur. Cùm enim utraque ſint infallibilis veritatis, æquè certa dici poſſunt.* To.2.p. 36. col. 1.C.D.

Objicies 5. Nullum ex definitionibus Conciliorum fructum percipere poſſumus, ſive ad fidei noſtræ certitudinem & ſecuritatem, ſive ad morum regulam, niſi certis regulis conſtare nobis poſſit definitiones illas eſſe Concilii legitimi & Oecumenici; quamdiu enim incerta & dubia pendebit conditio ipſa Concilii, tamdiu nutabit ejus auctoritas, ac dubius hærebit fidelium animus: atqui nullis certis regulis conſtare nobis poteſt, hoc vel illud Concilium verè Oecumenicum & legitimum eſſe. Legitimum quippe non eſt, ex dictis, niſi Epiſcopi omnem humanam induſtriam adhibuerint in veritate perſcrutanda, niſi libera fuerint eorum ſuffragia, ac juxta Scripturam, Traditionem & Eccleſiaſticas regulas, ſine ullo perturbato animi affectu, ex uno veritatis amore formandis decretis allaboraverint: at nulla profectò via id certò cognoſci poteſt, imò nec certò innoteſcere poteſt, an illi qui congregantur, & dicuntur Epiſcopi, verè ſint baptiſati, verè ordinati, veram ac ſinceram in corde fidem habeant; ergo &c.

Reſp. nego min: Ad ejus probationem

Reſpondet 1. Melchior Canus Lib. 5. de Locis cap. 5. q. 3. *Deum ſuaviter omnia diſponere, ſimulque proſpicere & finem & media ad finem neceſſaria..... Cùm ergo Eccleſiæ firmitatem fidei fuerit pollicitus, deeſſe non poteſt, quominus tribuat Eccleſiæ preces, cæteraque præſidia, quibus hec firmitas conſervatur. Nec verò dubitari poteſt, quod in rebus naturalibus contingit, idem & in ſupernaturalibus quoque uſuvenire: ut qui dat finem, det conſequentia ad finem....Quod ſi ſemel hæreticis,* pergit ibidem Canus, *licentiam permittimus, ut in quæſtionem vocent num Eccleſiæ judices eam diligentiam & curam exhibuerint quæ opus erat, ut quæſtio via & ratione finiretur: ecquis adeo cecus eſt, qui non videat omnia mox Pontificum & Conciliorum judicia labefactari?* Ex qua inſignis hujus Theologi reſponſione id ſequi videtur, teneri nos eadem certitudine credere Concilia Oecumenica approbata & recepta juxta præſcriptas à Chriſto leges ſua fidei decreta condidiſſe, qua credimus ſuam ipſis opem & aſſiſtentiam promiſiſſe Chriſtum. Ex quo igitur Eccleſia per orbem diffuſa Concilii alicujus etiam Oecumenici definitiones ſuo aſſenſu confirmavit & acceptavit, hæc ipſa confirmatio & acceptatio certiſſimum nobis eſt à poſteriori ſignum & argumentum Concilii legitimè ſecundùm Canonicas regulas celebrati. P. 267. P. 268.

Andræas Vega Lib. 3. cap. 39. in Concilium Trident. ait, *Fide Catholica credi debere tale Concilium v. gr. Nicænum primum generale verè legitimum eſſe: non quia Hiſtorici hoc teſtantur, ſed quia ipſum Concilium hoc definivit.*

gregarentur pro cauſa fidei definienda, toties ab ipſis propulſaret Deus, quidquid poſſet eos à veri tramite abducere; & efficeret ut nullis inordinatis animi affectibus, agitati, nullo alio, quàm veritatis ſtudio & amore ducti, omnibus minis, terroribus, pollicitationibus ſuperiores, invicto ſemper & infracto eſſent animo in tuenda veritate. Atqui tamen experientia teſte id non præſtat Chriſtus: vel ipſe famoſus Patrum Ariminenſium lapſus hoc demonſtrat.

Reſp. Chriſtum Epiſcopis quidem legitimè & in ſuo nomine congregatis ſuam opem & aſſiſtentiam promiſiſſe, atque etiam conferre omnia gratiæ interioris adjumenta quæ neceſſaria ſunt ut ſuo ipſi fungantur, ſicut oportet, officio. At cùm omnia ſuaviter diſponat, & humano modo rem in Conciliis perfici velit, Epiſcopos ſuo permittit arbitrio: gratiam quidem ipſis offert & dat qua poſſunt, ſi voluerint, invicti ſtare adversùs omnes dæmonis impetus; verùm, nullam ipſis neceſſitatem imponit ut ea utantur. Non enim modo ſupernaturali aperto & viſibili, ut jam diximus, ſed interiori dumtaxat gratiæ ſubminiſtratione regere Epiſcopos voluit, nec eos omni humanitate veluti exuit, quando in Conciliis congregantur; ſed omnibus humanis infirmitatibus obnoxios relinquit. Imò inde magis elucet divina virtus, quòd à viris tot infirmitatibus circumdatis, veritas detegatur, ac ſtrenuè defendatur. Revera lugendus aliquando contigit in plurimis Epiſcopis lapſus; at cave ne aut divinam incuſes providentiam, aut fidei totale excidium inde timeas: juſto enim quamquam occulto judicio, lapſum hunc permittit quidem Deus, at nunquam permiſſurus eſt univerſam Eccleſiam errori conſentire: imò faciet, quod contigit tempore Ariminenſis Concilii, ut vel Epiſcopi, qui in errorem incauti lapſi fuerant, cito reſipiſcant; vel Eccleſia univerſa errori ſeſe ſtatim opponat, retenta avita & vera Religione.

Objicies 6. Nondum ſatis conſtitutum eſt apud noſtros Theologos, cuinam præcisè promiſſa ſit à Chriſto infallibilitas, an Concilio ſeorſim & ſejunctim à R. Pontifice, an ſimul cum ipſo: an Romano Pontifici confirmanti Concilium, an Concilio independenter à confirmatione ſeu approbatione R. Pontificis.

Præterea, ſi Concilium Oecumenicum eo ipſo errare non poſſet ac certam fidem faceret, quòd Oecumenicum ſit ac ſufficienter repræſentet univerſam Eccleſiam, non indigeret ulteriori Eccleſiarum conſenſu & acceptatione: atqui tamen ea indiget; nec priùs robur & firmitatem obtinet quàm illa acceſſerit, ut patet exemplo V. Concilii generalis, quod etſi à Vigilio S. Pontifice fuiſſet confirmatum, prius tamen Oecumenici Concilii auctoritatem non obtinuit, quàm acceptatum fuerit ab univerſis Eccleſiis præſertim Occidentalibus; & qui ante hanc acceptationem huic Concilio reſtiterunt, propterea communione Eccleſiaſtica velut rebelles & contumaces privati non ſunt, ut omnes norunt.

Denique, licèt S. Petrus, quando claves à Chriſto accepit Matth. 16. univerſam Eccleſiam repræſentaret, ſicut docent SS. Patres poſtea ſuo loco referendi, non tamen infallibilitatis & inerrantiæ privilegium accepit: aliàs & in Romanis Pontificibus ejus ſucceſſoribus agnoſcendum illud pariter foret; ergo etiamſi Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentet, non eam tamen habet infallibilem judicii auctoritatem, quæ toti & univerſali Eccleſiæ conceſſa eſt.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad primum: certò conſtare apud omnes Theologos, promiſſam à Chriſto infallibilitatem Concilio Oecumenico legitimo quod ſufficienter univerſam Eccleſiam repræſentat. An autem verè cenſeatur Oecumenicum Concilium, & univerſam Eccleſiam repræſentare ſine R. Pontifice, ejuſque approbatione ſeu confirmatione, lis eſt inter Theologos. Uſu ordinario & lege communi requiri hanc ex parte S. Pontificis confirmationem, conſentiunt Theologi: ſic enim innoteſcit conſenſus Capitis Eccleſiæ cum cæteris Epiſcopis, ac cenſetur Concilium plenè univerſam Eccleſiam repræſentare; quia in confirmatione facta per R. Pontificem cenſetur ut plurimùm includi totius Eccleſiæ Occidentalis conſenſus, ſine quo Concilium verè Oecumenicum eſſe, ac Eccleſiam univerſam repræſentare non cenſetur.

Ad ſecundum: Cùm omnes & ſinguli Epiſcopi reipſa Conciliis etiam maximè Oecumenicis præſentes non interſint, ſed aliqui dumtaxat ex ſingulis aut Regnis, aut Provinciis, aut Nationibus, ordo & æquitas poſtulat, ut à cæteris abſentibus, qui Judices pariter ſunt in cauſis fidei, probentur & acceptentur quæ à Concilio de fide vel moribus ſtatuta ſunt, ut nempe omnibus & ſingulis in eandem ſententiam conſpirantibus, Eccleſia Hæreticis terribilis fiat velut Caſtrorum acies ordinata. Ea tamen acceptatione & approbatione Synodus, ſi verè Oecumenica & legitima fuit, non idcirco indiget ut robur habeat & inconcuſſam auctoritatem, quam habet à Chriſto, ſed quia conſenſus & acceptatio Eccleſiarum ſignum & argumentum eſt velut à poſteriori, quo declaratur Concilium verè Oecumenicum ac legitimum fuiſſe, ac ut tale ab omnibus agnoſcendum & admittendum. Quapropter ſi aliquæ nobiliores Eccleſiæ reſiſterent & Concilii placitis ſubſcribere recuſarent, ut contigit tempore Concilii V. indicium foret tale Concilium penitus abſolutum & obſignatum non eſſe, atque adeo nec verè Oecumenicum; nec ejus Decretis priùs teneri omnes & ſingulos fideles, quàm Eccleſiarum omnium acceſſiſſet conſenſus: quemadmodum vel ex ipſo Concilii V. exemplo, quod objicitur, manifeſtè demonſtratur.

Ad tertium; Dico 1. S. Petrum Eccleſiam univerſam figuraſſe quidem & repræſentaſſe in recipienda Clavium auctoritate, non verò in auctoritate per quam ſolus de rebus fidei ſupremo & infallibili Judicio pronuntiaret; ſiquidem non ſolus, ſed alii cum ipſo Apoſtoli & ſeniores, in Concilio Jeroſolymitano coacti tanquam Judices de neceſſitate Legalium pronuntiarunt. Deinde, quando S. Petrus Claves accepit, ita Eccleſiam figurabat, ut non eſſet ſolus tota Eccleſia: è contra Epiſcopi in Conciliis generalibus ita repræſentant Eccleſiam, ut ſint ipſimet Eccleſia, cui ſoli data eſt ſuprema auctoritas judicandi de rebus ad fidem & Religionem pertinentibus. Dico 2. quòd etſi S. Petro tanquam Apoſtolo divinitus inſpirato datum ſit ut errare non potuerit, conſequens non eſt tale privilegium ad ejus Succeſſores pertinere: multa enim Apoſtoli dona habuere ut Apoſtoli, quæ ad Epiſcopos eorum Succeſſores tranſmiſſa non fuere.

Objicies 7. Suam in judicio fidei & morum ſupremam & infallibilem auctoritatem nullo unquam Canone vel Decreto definivit Eccleſia; nuſquam Hæreticis contumacibus & adversùs decreta ſua obloquentibus hanc objecit & oppoſuit, nequidem in Conc. Tridentino; cùm tamen non ignorarent Patres, ab Hæreticis aperta fronte impugnari hanc Eccleſiæ infallibilitatem, quod

quod certè mirum videri debet; ea etenim una velut firmiſſimo ariete reprimi facilè potuiſſent omnes eorum impetus, ac enatæ omnes controverſiæ ſtatim abſque ulteriori diſcuſſione dirimi ac definiri: quin non legitur ea de re nata quæſtio ante ſæculum decimum quartum, quo primum excogitata videtur illa Eccleſiæ inerrantia.

Reſp. neceſſe minimè fuiſſe ut Eccleſia aliquo Canone ſpeciali conceptis verbis definiret ſibi à Chriſto datam infallibilitatem: ſatis fuit quòd uſu ipſo ac continua praxi hanc demonſtraret; anathemate ſcilicet percellendo quotquot ſuis obluctarentur decretis: quæ agendi ratio conſtans eſt ac perpetua quædam ſupremæ ſuæ auctoritatis declaratio ac definitio. Ut enim rectè ratiocinatur Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante cap. 14. *Obligamur ſub anathematis pœna credere Eccleſiæ in omnibus, ut patet Matth. 18. Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus*. At iniquum eſſet ſub tam gravi pœna obligare fideles ad aſſentiendum decretis quibus falſum ſubeſſe poſſet. Deinde verò non ſolent Judices aliquo ſpeciali decreto auctoritatem ſuam litigantibus probare, ſed hanc ſupponunt, imò & agnoſcunt ipſi litigantes, ad quam confugiunt. Neque tibi mirum videri debet, quòd non ſola ſua auctoritate ſuprema, ſed etiam diſcuſſione, examine, probatione, cum Hæreticis egerit Eccleſia: quippe non imperio tantùm, ſed ſuaſione ac doctrina, ad fidem contumaces adducere nititur. *Rationabile enim eſſe debet noſtrum obſequium*, ait Apoſtolus Rom. 12. v. 1. & quamquam nihil ſit rationi tam conſentaneum, quàm credere ex auctoritate; firmiſſimis nihilominus argumentis demonſtrat Eccleſia, vera eſſe quæ proponit vel credenda vel facienda, ut ita omnem frangat animorum noſtrorum pertinaciam. Adde quòd Eccleſia fidei dogmata ſeu articulos non faciat, ſed ſupponat ac declaret: ipſius igitur eſt oſtendere reipſa dogmata quæ proponit, contineri in verbo Dei ſive ſcripto ſive tradito, quod exequi non poteſt abſque via, ut aiunt, diſcuſſionis, ſeu examinis; quibus præmiſſis, decretoriè ac ex ſuprema auctoritate pronuntiat, & contumaces è ſinu ſuo expellit anathemate percuſſos. To. 2. p. 61. col. 1. A.

Inſtabis: Eccleſia non eſt infallibilis in dignoſcendo ac figendo uniuſcujuſque ex SS. Patribus ſenſu. Ergo nec in ſenſu Scripturæ determinando.

Reſp. Eſto ſit antecedens, de quo pluribus poſtea. Ratio diſcriminis eſt, quòd Scriptura ſacra infallibilis ſit fidei noſtræ norma & regula, non verò quilibet ſanctus Doctor; adeoque neceſſe ſit Eccleſiam errare non poſſe in figendo Scripturæ ſenſu.

Objicies 8. Ex univerſalis Eccleſiæ ſententia nullum omnino ſumi poteſt argumentum. Quomodo enim fidelium omnium ſenſum in fidei quæſtione requiremus? Nec juvat reponere, ſatis eſſe ſi Paſtorum, qui Eccleſiam repræſentant & ipſiſſima Eccleſia ſunt, requiratur ſententia, quæ cognoſci facilè poteſt. Namque Iſaiæ temporibus erat Jeroſolymis Eccleſia: de Paſtoribus verò ſic loquitur cap. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, neſciunt univerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia.* Et Jeremiæ 8. *Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam ſuam declinaverunt à ſummo uſque ad noviſſimum.* Canus p. 184.

Reſp. nego ant. Ad probationem reſpondet Canus Lib. 4. cap. ultimo ad 14. *duo eſſe rerum genera quæ ab Eccleſia creduntur: unum, quod ad omnes æquè* P. 233.

perti-

pertinet; ut Deum eſſe hominem, animum noſtrum eße immortalem. Et in hoc genere non eſt valde difficile omnium fidem ſenſumque cognoſcere. Non quòd rogentur ſinguli, quod & moleſtum eſſet, & ridiculum; ſed quòd ſingulorum fides in hujuſmodi ſtatim ſeſe prodat, ſatiſque mediocri adhibita diligentia cognita nobis & perſpecta eſſe poſſit, præſertim ſi res in contentionem veniat, & vulgus ſuo more caleſcat. Ad fidem earum rerum quæ in uſu frequenti & praxi ordinaria verſantur, ut ſunt v.g. Sacramenta, facilè deprehendi ac probari ex trito fidelium uſu ac viva & ſpirante Traditione. *Alterum eſt genus earum rerum, quas cognoſcere non rudium & imperitorum in Eccleſia, ſed majorum & ſapientium intereſt; v. g. Epiſtolam ad Hebræos eſſe Canonicam, ac reliqua ſimilia quàm plurima. Quo in genere ſi vulgarem plebis ſententiam roges, perinde erit* (ait Canus) *ut ſi à cœco ſenſum colorum poſtulaveris.* Sapientes igitur ſeu Epiſcopi & Paſtores tunc interrogandi ſunt, à quibus certò reſcies quæ ſit Eccleſiæ fides ac ſententia. Quæ verò in oppoſitum laudata ſunt Scripturæ teſtimonia, intelligi debent, ut ſuprà diximus, vel de pluribus, non de omnibus collectivè ſumptis Paſtoribus; vel ſaltem de Paſtoribus Legis Moſaicæ, quibus nuſquam donum infallibilitatis Deus promiſit.

Objicies 9. Epiſcopi, quamquam in Concilium generale congregati, homines ſunt mendacio obnoxii, & nihil humani à ſe alienum arbitrantur, ſinguli eorum in ſuo privato ſuffragio errare poſſunt; ergo etiam omnes: ex ſuffragiis etenim errori obnoxiis, non poteſt certò veritas elici.

Reſp. Epiſcopos ſimul in Concilio generali congregatos homines quidem eſſe, ſed præſidem habere & aſſiſtentem Spiritum ſanctum, qui, juxta Chriſti promiſſiones, nunquam permittet eos errori conſentire. Quamquam ergo ſinguli Epiſcopi ſeorſim ſumpti poſſint errare, non tamen omnes. Neque hìc valet à diſtributivo ad collectivum illatio, quia promiſſio infallibilitatis non ſingulis ſeorſim ac diſtributivè, ſed omnibus ſimul & collectivè facta eſt: & quamquam inter diſputandum varia ſint & diverſa ſuffragia, conſentiunt tandem in definitione, & quod à Synodo conciliariter pronuntiatur, omnium eſt Epiſcoporum ſententia: neque verò ſuffragiorum numero, ſed pondere hìc P. 262. judicatur. *Nego*, ait Canus Lib. 5. de Locis cap. 5. qu. 2. *cùm de fide agatur, ſequi plurimorum judicium oportere. Nec hìc, ut humanis vel electionibus vel judiciis, ex numero ſuffragiorum ſententiam metimur. Scimus frequenter uſu venire, ut major pars vincat meliorem: ſcimus non ea ſemper eſſe optima, quæ placent pluribus: ſcimus in rebus quæ ad doctrinam pertinent, ſapientium ſenſum eſſe præferendum.* Hæc Canus, qui exiſtimat, R. Pontificem vim & auctoritatem Conciliis conferre.

Objicies 10. Infallibilem Eccleſiæ auctoritatem probamus ex Scripturis, & viciſſim hanc Scripturam eſſe verbum Dei probamus ex Eccleſiæ auctoritate; quo certè in ratiocinio vitioſus eſt circulus, qui recidit in ſophiſma quod vo- Circulus. cant petitionem principii. Siquidem tunc eſt vitioſus circulus in aliquo ratiocinio, ac vera principii petitio, quando duæ propoſitiones æquè ignotæ ſeſe mutuò probant: atqui ſic eſt in præſenti negotio. Probamus enim Eccleſiam eſſe infallibilem ex Scripturis, & Scripturam probamus ex Eccleſiæ auctoritate: unde dixit S. Auguſtinus, quòd *Evangelio non crederet, niſi Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.*

Reſp. Nego vitioſum hìc circulum eſſe. Namque ut vitioſus ſit in aliquo ratio-

ratiocinio circulus, neceſſe eſt ut duæ propoſitiones æquè ſint ignotæ, ac ſe ipſas eodem modo ſeu in eodem cauſæ genere mutuò demonſtrent: atqui non ita eſt in præſenti ratiocinio.

Primò, duæ iſtæ propoſitiones, Eccleſia eſt infallibilis, &, Hæc Scriptura, quæ declarat Eccleſiam eſſe infallibilem, eſt verbum Dei, non ſunt æquè ignotæ: prior enim propoſitio immediatiùs notior eſt, per motiva ſcilicet credibilitatis, ſeu ſplendidos illos characteres quibus vel minimùm attendenti manifeſtè apparet Eccleſiæ veritas & auctoritas, qua ſemel adepta facile eſt devenire in cognitionem revelationis ſeu Scripturæ ſacræ. Neceſſariam enim eſſe aliquam Eccleſiæ auctoritatem qua ad credendum inducamur, vix negant noſtri Reformatores: ubi autem ſemel hoc ſumus aſſecuti, Eccleſiam eſſe regulam quæ credenda proponit, & cujus auctoritate ad credendum duci debemus, facile eſt eidem Eccleſiæ, talem Scripturam ut verbum Dei proponenti, conſentire; in qua ſubinde Scriptura deprehendimus promiſſam Eccleſiæ infallibilem auctoritatem. Probatur igitur à priori infallibilitas Eccleſiæ per Scripturam, & veritas Scripturæ quaſi à poſteriori probatur per auctoritatem Eccleſiæ: ſicut ergo progreſſus ille demonſtrativus vitioſus non eſt, in quo per riſibilitatem notam ex effectibus, probo rationale, & per rationale probo à priori riſibile; ſic non eſt vitioſus ille progreſſus fidei, in quo per auctoritatem Eccleſiæ notam ex motivis, probo Dei revelationem, & per revelationem probo à priori auctoritatem Eccleſiæ. Vide quæ antea de hoc ipſo circulo dicta ſunt.

Atque hinc 2. patet duas adductas propoſitiones ſeſe mutuò non probare eodem modo, ſeu in eodem cauſæ genere. Auctoritas enim Eccleſiæ probat veritatem Scripturæ quaſi à poſteriori dumtaxat, tanquam regula vivens & animata, tanquam cauſa miniſterialis intermedia; auctoritas verò Scripturæ probat infallibilitatem Eccleſiæ velut à priori, tanquam ratio formalis motiva: eodem ferè modo quo in phyſicis cauſa inſtrumentalis non influit niſi virtute cauſæ principalis; & in moralibus auctoritas v. g. Regis propoſita per auctoritatem Magiſtratus ab ipſo inſtituti, ſic me movet ad obediendum, ut neutra moveat ſine altera: non enim obedio Magiſtratui, niſi quia Rex à quo ille inſtitutus eſt, per illum nobis ſuam voluntatem proponit; nec obedio Regi, niſi prout ejus voluntas innoteſcit mihi per Magiſtratum miniſtrum ſuum.

Objicies denique: Eccleſia in moribus & diſciplina errare poteſt.

I. Quia de ſola fide dictum eſt Petro, *Rogavi pro te ne deficiat fides tua.*

II. Nihil à Catholicis fide certa creditur quod non ſit revelatum: at hanc vel illam diſciplinæ rationem inducendam eſſe, v. g. dandam vel denegandam infantibus Euchariſtiam, concedendam laicis ſub una, vel duplici ſpecie, revelatum non eſt; ergo non tenentur Catholici credere Eccleſiam in ejuſmodi diſciplina errare non poſſe, neque conſequenter tenentur ei obtemperare.

III. Sanctorum Canoniſatio, ut ajunt, & cultus publicus qui ipſis defertur, ad mores haud dubiè pertinet: atqui tamen falli poteſt Eccleſia in eo Judicio quo declarat talem hominem Sanctis eſſe aſcriptum, & conſequenter publico cultu honorandum: pendet etenim hocce judicium ex teſtimoniis hominum, de probitate, ſanctitate illius hominis, ac miraculis, quæ

ab ipſo patrata fuiſſe circumferuntur, quibus certè teſtimoniis pronum eſt homines & falli & fallere.

IV. Ordinum Religioſorum inſtitutio & approbatio ad mores etiam ſine dubio pertinet: at dubium non eſt aliquos Ordines non modò inutiliter, verùm etiam noxiè approbatos; unde neceſſe fuit eos ab Eccleſia extingui, ſicut à Concilio Viennenſi extinctus eſt ordo Templariorum.

V. denique, recitatio Officii Eccleſiaſtici quæ in Breviariis continetur, ad mores & cultum publicum pertinet: quàm multa autem facta hiſtorica, apochrypha, falſa, inepta referuntur, imò interdum & errores?

Canus p.27. Priuſquàm huic argumento ſatisfaciamus, obſerva duo eſſe in Religione Chriſtiana rerum genera: unum rerum credendarum, quæ ad contemplationem & cognitionem pertinent; alterum rerum faciendarum vel omittendarum, quæ in morum præceptis poſitæ ſunt. Inter res autem poſtremi generis, aliæ ſunt omnino neceſſariæ ac immutabiles, v.g. fugiendum adulterium, homicidium &c. Aliæ liberæ ac mutationi obnoxiæ, v.g. communio Euchariſtica ſub una vel duplici ſpecie. Rurſus, aliæ ſunt omnino ad ſalutem publicam omnium fidelium neceſſariæ; aliæ non item, quarum proinde ignoratio *Ibid.* ſine pietatis & ſalutis diſpendio & jactura eſſe poteſt. *Non enim*, ait Canus Lib. 5. cap. 5. qu. 5. ***in Theologia ſemper de neceſſariis agitur, ſed interdum etiam de iis, quæ utilia eſſe videantur, quamvis non ſint adeo neceſſaria.*** His prænotatis

Dico 1. Eccleſiam errare non poſſe in doctrina morum qui ad ſalutem neceſſarii ſunt, & ad omnes pertinent. Ratio eſt, quia Deus nuſquam in neceſſariis Eccleſiæ ſuæ deeſt; & quibus dedit paſcendi oves auctoritatem, iiſdem & donum indulſit diſcernendi bona paſcua à malis & venenatis; aliàs, error Eccleſiæ ſeu Paſtorum, omnium fidelium error evaderet; cùm ex præcepto Chriſti teneantur ſuis Paſtoribus morem gerere; imò & in Chriſtum ipſum error ille ultimò recideret, qui Paſtores tam noxios dediſſet, & legem ipſis obſequendi fidelibus ſimul impoſuiſſet. At quàm iſtud abſonum ſit, colligi poteſt ex citatis inter probationes Concluſionis Scripturæ teſtimoniis.

Hinc inferes 1. fieri non poſſe ut Eccleſia definiat vitioſum eſſe, quod honeſtum eſt; aut contra honeſtum, quod eſt turpe; adeoque ſua edita lege quidquam approbet, quod Evangelio, & rectæ rationi inimicum ſit. Si enim Eccleſia, vel expreſſo Judicio, vel lege lata turpia probaret, aut reprobaret honeſta, hic jam error non ſolùm fidelibus peſtem ac perniciem afferret, ſed fidei etiam quodammodo adverſaretur, quæ omnem virtutem probat, univerſa vitia condemnat. 2. inferes fieri non poſſe ut Eccleſia eam invehat aut probet generalem diſciplinam, quæ ſuorum ſaluti noxia ſit: v.g. ſive concedat infantibus Euchariſtiam, ſive deneget; ſive communionem ſub duplici ſpecie laicis indulgeat, ſive recuſet, ſemper ſancta eſt, etſi varia ejus agendi ratio, variis temporum & perſonarum circumſtantiis ſapienter accommodata; nec unquam permittet Chriſtus, ut abuſum ſeu noxiam praxim & diſciplinam ſuis proponat, & ut eam ſequantur. In Decreto ipſo Apoſtolico, quod refertur Act. 15. de quo nos ſuperiùs, aliquid præcipitur, quod erat dumtaxat diſciplinæ, & quidem non diu duraturæ, nempe abſtinentia à ſanguine & ſuffocato: in ea nihilominus diſciplina ſancienda Apoſtoli ajunt, *Spiritui ſancto & ſibi viſum eſſe &c.* Agnoſcunt igitur Eccleſiam

in

in generali diſciplina præcipienda quæ ad omnes pertineat, errare non poſſe; utpote quæ præſidem & aſſiſtentem ſibi Spiritum ſanctum habeat. Eſt igitur de fide ac revelatum in Scripturis, certum eſſe ac omnino ſecurum Eccleſiæ de moribus Judicium. Unde ſacra Facultas Pariſienſis an. 1644. gravi cenſura notavit Librum Theophili Brachet cui titulus erat, *Verax pacificus*, eo quòd in eo docuiſſet, *morem Eccleſiæ dandi abſolutionem ante expletam ſatisfactionem, eſſe abuſum intolerabilem, contrarium naturæ & inſtitutioni Sacramenti pœnitentiæ*. Declarat ſacra Facultas, *temerarium eſſe atque erroneum & hæreticum, damnare diſciplinam & conſuetudinem Eccleſiaſticam ab omnibus Catholicæ communionis Eccleſiis receptam, quamtumcunque diuturnam, tanquam abuſivam, & inſtitutioni Chriſti, atque Evangelicæ doctrinæ contrariam*. Obſerva hæreticum videri ſacræ Facultati, damnare diſciplinam Eccleſiæ generalem, quòd nempe revelatum exiſtimet, eo in capite errare non poſſe Eccleſiam. Canus tamen Lib. 5. de Locis cap. 5. q. 5. Concluſione 2. (pag. 278.) non audet definire id eſſe hæreticum.

Neque opponas diſciplinæ variationem ac mutationem. Namque, ut jam obſervavimus, quæcunque ſit ejus mutatio, ſi ab Eccleſia univerſa probetur, ſancta eſt, & ab omnibus neceſſariò retinenda. Docet enim Conc. Trid. Seſſ. 21. cap. 2. *Hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret*. Et Seſſ. 7. Can. 13. anathemate damnantur, *qui dixerint receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicę ritus in adminiſtratione ſolemni ſacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti poſſe*. To. 14. Conc. p. 845. D. Ibid. p. 777. E.

Dico 2. *In moribus, qui non toti Eccleſiæ communes ſunt, ſed ad privatos homines vel Eccleſias referuntur, errare per ignorantiam Eccleſiam poſſe, non in judicio ſolùm rerum geſtarum, ſed in ipſis etiam privatis præceptis & legibus*. Ita Canus loco citato, cujus probationem ipſiuſmet verbis hic attexere non pigebit. *Cùm enim quis*, inquit, *occultè una uxore habita, alteram ducit publicè, jubet illi Eccleſia, ut priore relicta, poſteriorem accipiat. Qua in re ſine dubio fallitur, & id præcipit homini, quod rationi Evangelioque adverſum eſt. Hujus verò Concluſionis veram & idoneam cauſam Innocentius III. dedit in capite, A nobis, de ſententia excommunicationis, in hæc verba. Judicium Dei, veritati quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: Judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus*. Cujus quidem rei ratio à priori hæc eſt, quòd in hujuſmodi Judiciis Eccleſia innititur teſtimoniis hominum, qui falli poſſunt & fallere. Idem Canus paulò antè dixerat, *Se non omnes Eccleſiæ leges approbare, non univerſas pœnas, cenſuras, excommunicationes, ſuſpenſiones, irregularitates, interdicta commendare. Scio enim*, inquit, *nonnullas ejuſmodi leges eſſe, in quibus ſi non aliud præterea quicquam, at prudentiam certè modumque deſideres*. Quod intellige de legibus privatis, quæ aliquos dumtaxat ſpectant, non omnes Chriſtianos. Ibidem enim aſſerit *Eccleſiam, cùm in re gravi, & quæ ad Chriſtianos mores formandos apprimè conducat, toti populo leges di-* P. 279. P. 280. P. 279. Ibid.

cit, non poſſe jubere quidquam, quod aut Evangelio, aut rationi, naturæve contrarium ſit.

Hinc inferes Eccleſiam errare poſſe, 1. in omnibus factis merè perſonalibus & hiſtoricis, quorum veritas ex hominum teſtimonio dependet. 2. in referendis Martyrum & aliorum Sanctorum hiſtoriis. 3. in teſtimoniis SS. Patrum tanquam veris & genuinis referendis, quæ tamen ſuppoſititia ſunt & adulterina: quando enim in Conciliis etiam Oecumenicis laudantur alicujus S. Doctoris teſtimonia, non continuò ea genuina ac legitima eſſe certò definitur; de hoc enim facto non judicat Eccleſia. An verò ſit infallibilis in dignoſcendo ſenſu Librorum & auctorum, gravis eſt inter Theologos controverſia, de qua poſtea. Atque his præmiſſis, facile eſt ſingula Objectionis propoſita capita diſſolvere.

Primum: Nomine fidei intelligi debet non tantùm fides credendorum, ſed etiam faciendorum, ut obſervatum eſt.

Secundum: Revelatum quidem non eſt, hanc vel illam diſciplinam & praxim ſtatuendam eſſe & obſervandam; ſed revelatum eſt, quod ſufficit, in ea generali morum diſciplina ſtatuenda errare non poſſe Eccleſiam, eique eſſe ab omnibus obtemperandum, niſi tanquam Ethnici & Publicani haberi voluerint.

Tertium: Canus Lib. 5. cap. 5. qu. 5. Concluſione 3. vult quidem non eſſe de fide quòd Eccleſia falli non poſſit in Sanctorum Canoniſatione: *at temerarium & irreligioſum eſſe pronuntiat, Eccleſiæ hanc in re fidem abrogare*, cui procul dubio aſſiſtit Spiritus ſanctus. *Quia*, inquit, *multùm refert ad communes Eccleſiæ mores ſcire, quos debeas religione colere: quare ſi in illis erraret Eccleſia, in moribus quoque graviter falleretur ..... Ne igitur tantus error in Eccleſia ſit, Deus peculiariter providere credendus eſt, ne Eccleſia, quamlibet hominum teſtimonia ſequatur, in Sanctorum Canoniſatione erret. Cujus peculiariſſimæ providentiæ*, pergit Canus, *abundè magnum argumentum eſt, quòd nunquam infirmata eſt fides ab humanis teſtibus ſemel in hujuſmodi judiciis ſuſcepta; quod in cauſis civilibus ſæpe accidit. Quæ ſi ſingula fortè non movent, univerſa certè tamen inter ſe connexa atque conjuncta movere debebunt, ut qui fidem in his Eccleſiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, ſed temerarios, impudentes, irreligioſos eſſe credamus.* Ita Canus. S. Thomas Quodlibeto 9. q. 8. art. ultimo, S. Antoninus 3. parte titulo 12. cap. 8. ajunt, non quidem certò ac de fide, ſed piè credendum eſſe Eccleſiam in hujuſmodi non errare. Idem docet Bellarminus Lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 9. & alii, qui omnes hac generali ratione utuntur, Deum in neceſſariis Eccleſiæ ſuæ non deeſſe.

P. 280. P. 281.

Dici etiam non immeritò poteſt, quòd etſi per accidens & errore facti Eccleſia falleretur in cultu decernendo alicui homini, quem ſanctum exiſtimat, & qui talis reipſa non eſt, non minùs tamen vera eſſet ejus publica ac generalis doctrina, qua docet honorandos eſſe Sanctos: quia, ut diximus, error ille facti eſſet, non juris, ſeu dogmatis. Eo ferè modo quo errore facti poteſt quis adorare hoſtiam tanquam conſecratam, quæ tamen conſecrata non ſit: quo in caſu error facti particularis, non nocet veritati Catholicæ, qua conſtat Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe adorandum; & illa ipſa adoratio, quamquam per accidens & reſpectu talis hoſtiæ, ſit falſa, reſpectu tamen adorationis abſolutè conſideratæ quæ Chriſto debetur in Euchariſtia præſenti, laudabilis eſt, juſta & neceſſaria.

Quar-

Quartum ſic ſolvit Canus: *Ordines vel probare vel refellere, quoniam non è ſcientia ſolùm, ſed etiam è prudentia pendet, non pertinere ad ea in quibus Eccleſia errare nequit.* Et verò ad publicam fidelium omnium ſalutem non pertinet Ordinum Religioſorum inſtitutio, neque ſingulis fidelibus neceſſaria; ſiquidem non tenentur ſinguli ſuum alicui Ordini Religioſo nomen dare: quamquam contendimus Eccleſiam univerſam non poſſe probare alicujus Inſtituti regulam, quæ aut errorem contineat contra fidem, aut vitium contra mores. Si ergo aliquos Ordines extinguere ac ſupprimere aliquando compulſa fuit Eccleſia, non inde factum quòd in ſua origine perverſum fuerit Inſtitutum; ſed quòd à prima Regulæ & Inſtituti ſanctitate vel defecerint degeneres ſubinde diſcipuli; vel inutilis & temporum conditioni idoneus amplius Ordo non fuerit. P. 181.

Ad ultimum: Jam diximus errare poſſe Eccleſiam in aliquibus Martyrum & Sanctorum factis hiſtoricis, quæ in Breviariis referuntur, quæ certè caſtigari & emendari exoptat: qua in re feliciter operam conferunt quamplures Galliarum noſtrarum Epiſcopi. Si verò aliqui errores contra fidem in iiſdem deprehendantur, (quod jam non expendimus) pro certo habeas, eos ab Eccleſia univerſa non probari, quæ illorum Breviariorum examen nuſquam aggreſſa eſt.

ARTICULUS IV.

An Major Epiſcoporum Summo Pontifici adhærentium numerus, paucis admodum ex adverſo reclamantibus, in fide aberrare aliquando poſſit, & de facto aberraverit.

IMpiorum ac ſceleratorum hominum multitudinem juſtis ſæpiſſime prævalere, nec omnino ſequendam eſſe, facilè conſentiunt omnes; quod vel uno Judæorum exemplo tempore paſſionis Chriſti manifeſtum eſt.

An verò in Eccleſia Chriſti, ubi certa eſt ac definita Judiciorum circa fidem ac Religionem forma, ubi divinus Spiritus adeſt omnibus diebus, multitudo Epiſcoporum Capiti ſuo Romano Pontifici adhærentium ſemper audienda ſit ac ſequenda, tametſi pauci è contra ſentiant acreclament, in controverſiam adducitur.

Ex veteribus Hæreticis, Pelagiani, Donatiſtæ, Luciferiani, de paucitate ſua pudore ſtatim ſuffuſi, tùm multitudinem parvi facere, detrahere ipſi, ac in errorem prolapſionem exprobrare aggreſſi ſunt.

Pelagiani dicebant eos cum vulgo imperitè ſentire, *qui ſententiæ meritum de proſperitatibus ponderans, eam veriorem æſtimat, quam pluribus placere conſpexerit.* Ita Julianus apud S. Aug. Lib. 2. Op. imp. c. 3. Et Lib. 1. cap. 75. ſic ipſe Julianus objicit: *Cùm ſub Ariano principe, vir magnæ conſtantiæ, fidei ſaniſſimæ, Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, dilapſo à fide Apoſtolorum omni penè mundo, & impietatis temporibus obſtitiſſet, atque ob hoc in exſilia coactus eſſet; de ſexcentis & quinquaginta, ut fertur, Epiſcopis, vix ſeptem inventi ſunt, quibus cariora eſſent Dei præcepta quàm Regis; videlicet ut nec in Athanaſii damnationem convenirent, nec Trinitatis confeſſionem negarent.* T. 10 p. 958. B. Ibid. p. 919. C. D.

Inter Donatiſtas Vincentius Epiſcopus hoc ipſum exemplum lapſus Con-

cilii Ariminenſis uſurpabat, ut probaret multitudinem Epiſcoporum in errorem abire poſſe: atque eum in finem abutebatur verbis S. Hilarii depromptis ex Libro ipſius de Synodis contra Arianos, ubi ait, *excepto Eleuſio & paucis cum eo, ex majori parte Aſianæ decem Provinciæ, intra quas conſiſto, verè Deum neſciunt*. Vincentium egregiè confutat S. Auguſtinus Epiſtola 93. aliàs 481. cap. 9. n. 31. ad illum data, & Hilarium à prava, quam ipſi affingebat, interpretatione vendicat.

P. 1186. D.

To. 2. p. 244. A.

To. 4. p. 2. pag. 298.

Luciferiani, teſte S. Hieronymo Dial. adv. Lucifer. Eccleſiam intra fines Sardiniæ concluſerunt, ſicut Donatiſtæ intra fines Africæ.

Iſtud veterum Hæreticorum figmentum avidè arripuere Novatores noſtri Lutherani & Calviniſtæ, ut oſtenderent Eccleſiam conſpicuam ſemper ac viſibilem non fuiſſe, ſed interdum ſic obſcuratam, ac errorum vitiorumque tenebris involutam, ut extincta penè oculis hominum ſubducta fuerit. Novatores ſtrenuè ac ſolidè confutarunt quotquot inter nos extitere Polemici Theologi; imprimis in Belgio, Janſenius Iprenſis Epiſcopus adversùs Voetium Sylvæducenſem Miniſtrum: egregium Janſenii teſtimonium ſuprà retulimus. In Gallia verò Illuſt. Boſſuetius, in celebri, quam cum Miniſtro Claudio habuit de hocce argumento Collatione. Tanta autem cum eruditione ac veritatis luce à viris doctiſſimis argumentum iſtud pertractatum, & exhauſtum fuit, ut nihil novi jam proferri poſſit, ac pudori ſit toties attrita Hæreticorum arma reſumere, & obſoleta recudere argumenta.

Atqui tamen ſunt qui etiamnum ea reſumunt arma, & argumenta recudunt. Auctor Anonymus Libri cui Gallicè titulus, *Temoignage de la Veritè*. Auctor Epiſtolæ ad Epiſcopum Sueſſionenſem, & alii benè multi in Libellis furtim excuſis.

In Libro, *Du temoignage de la Veritè*, auctor totus eſt ut oſtendat in diſſidiis circa Religionem, ſimplices Presbyteros, imò & ipſum rude ac imperitum vulgus vocari poſſe ac debere, ut de controverſiis fidei teſtimonium ferant ac ſententiam pronuntient. Tanti verò momenti ac ponderis eſſe vult iſtum, ut vocat, fidei clamorem, *le Cri de la foi, ou le cri du peuple*, ut Epiſcoporum paucitatem abundè compenſet. Sic illi ſeipſos de paucitate ſuorum Epiſcoporum ſolantur. Auctor verò dictæ Epiſtolæ pag. 23. & 24. ait, Arianos omnium primos docuiſſe, veritatem ex parte multitudinis ſemper ſtare; quòd nempe jactantiùs illi prædicarent ſe numero & multitudine *Homouſios* ſuperare. Idem auctor pag. 107. ſcribit in tribus vel ad ſummum quatuor hominibus integram ſtare ac conſervari poſſe veritatem, cæteris omnibus in errorem abductis. Addit pag. 33. quòd etſi veritas in paucis ſtaret, viſibilem tamen ſemper fore Eccleſiam, non quidem præcisè virtute ac titulo hujus parvi numeri, ſed propter unionem apertam & manifeſtam quam illi pauci haberent cum Eccleſia veteri, cum ejus doctrina & forma loquendi. Hoc ipſum reſpondebant Lutherani & Calviniſtæ, quando novitatis arguebantur. Cum veteri ac pura Eccleſia, inquiebant, nos juncti ſumus; ejus doctrinam ac formam loquendi retinemus ac tuemur.

Præſentis igitur quæſtionis hic ſtatus eſt: Poteſtne fieri ut in cauſa fidei Epiſcoporum multitudo ſimul cum Romano Pontifice, paucis admodum ex adverſo reclamantibus, errorem definiat ac pertinaciter defendat? Negamus id fieri unquam poſſe, quamdiu firma ſtabit hæc Chriſti

ſti

ſti promiſſio, *Vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Stabit autem ſemper.

Duo igitur hìc à nobis præſtanda ſunt. Statuenda primùm doctrina Catholica: tùm variæ, quibus impugnari ſolet, objectiones referendæ ac diluendæ.

CONCLUSIO.

Fieri non poteſt, vi promiſſionum Chriſti, ut in cauſa fidei multitudo Epiſcoporum ſimul cum Romano Pontifice, paucis admodum ex adverſo reclamantibus Epiſcopis, errorem definiat ac pertinaciter defendat.

Concluſio hæc iiſdem planè momentis demonſtratur, & error oppoſitus refellitur, quibus Auguſtinus adversùs Donatiſtas, Hieronymus adversùs Luciferianos, & Catholici omnes Theologi adversùs Lutheranos & Calviniſtas uſi fuere: nimirum ab unitate, Catholicitate ſeu diffuſione, viſibilitate, & auctoritate Eccleſiæ, de quibus cùm abundè diſputatum huc uſque à nobis fuerit, ſufficiet præſenti noſtro argumento ea paucis adaptare, quæ fuſiùs demonſtrata ſunt.

I. Unitas Eccleſiæ maximè poſita eſt in unitate fidei & unione cum Sede Apoſtolica, quæ eſt Catholicæ communionis centrum: atqui in adducta hypotheſi violatur illa unitas ab iis numero paucis, qui latæ definitioni dogmaticæ (de illa enim hìc unicè agitur) reluctantur. Non una quippe ipſis eſt fides ac doctrina cum aliis; hinc diviſio unitati oppoſita: non unum etiam Catholicæ communionis ſaltem interioris centrum. Licèt enim ab unitate & communione cum Romanò Pontifice exteriùs non recedant, illam tamen interiùs & in animo non retinent, cùm ſint ab illo ſenſu & doctrina disjuncti. Porrò communio illa interior cum centro unitatis non aliter ſubſiſtit, quàm unitate & conſenſione doctrinæ. *Si Damaſi communionem amplecteris*, dicebat Flavianus Paulinum alloquens, *tuæ nobis & illius doctrinæ conſenſum apertè demonſtra . . . . dogmatum oſtende concordiam.* Et S. Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo contra Donat. cap. 17. *Semper*, inquit, *ab illius Eccleſiæ quæ ſine macula & ruga eſt, unitate diviſus eſt, etiamqui congregationi Sanctorum in carnali obduratione miſcetur.* Quod de malis ac facinoroſis hominibus hìc dicit ſanctus Auguſtinus, hoc ipſum pariter de iis dici poteſt, qui externam cum Eccleſia communionem ſervant, quamvis interiùs & animo doctrina diſcordes ſint ac diviſi. Namque ſicut ille qui v. gr. injuſtè à corpore Eccleſiæ præciſus eſt, intus tamen fidem & charitatem ſervat, verè ad unitatem & animam Eccleſiæ pertinet; ita diviſus ab illa eſt, qui internè propter diverſam fidem ac doctrinam ab ea disjungitur, tametſi exteriùs unitatem non abrumpat.

[Margin: I. Ex unitate Eccleſiæ. — Apud Theod. L. 5. hiſt c. 3. To. 3. p. 707. C. D. — To. 9. p. 93. C. D.]

II. Eccleſia eſt Catholica, id eſt, ubique diffuſa diffuſione fidei ac doctrinæ. *Catholica vocatur Eccleſia*, ait S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 18. *quia per univerſum ſit orbem terrarum diffuſa, à finibus terræ uſque ad extrema. Et quia docet Catholicè, hoc eſt, univerſaliter, & ſine ullo defectu vel differentia omnia dogmata.*

[Margin: II. Ex Catholicitate Eccleſiæ. — P. 220. D. Biblioth. PP. To. 7 p. 250. E.]

Et Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 3. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus quod ubique, quod*

ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt etenim verè, propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem &c.

Porrò qui numero pauci à communi Romani Pontificis & multitudinis Epiſcoporum doctrina ubique diffuſa recedunt, qua via & ratione hanc Eccleſiæ diffuſionem tueri poſſunt; cùm ipſi intra tam anguſtos limites concluſi ſint, nec ubique terrarum doctrinæ ſuæ ſocios, quibuſcum communicent, oſtendere valeant? Ita Donatiſtas premebat olim S. Auguſtinus Lib. de unitate Eccle-
To.9.p. 346. C. D. ſiæ cap. 6. *Date mihi*, ajebat, *hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt: oſtendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc ſemine benedici. Date hanc, aut furore depoſito accipite, non à me, ſed ab illo ipſo, in quo benedicuntur omnes gentes*. Et Tract. 3. in Epiſt. Joan. *Tenemus*, inquit, *hære-*
To.3.p. 1. pag. 846. F. G. *ditatem Chriſti: illi eam non tenent: non communicant orbi terrarum, non communicant univerſitati redemptæ ſanguine Domini*. Ita pariter Irenæus & Tertullianus paucitatem Hæreticorum explodebant, Eccleſiæ verò oſtentabant fecunditatem. Tempero ab applicatione præſenti noſtro inſtituto facienda, quæ in oculos ſe ipſa incurrit.

III. Ex viſibilitate Eccleſiæ.

III. Viſibilis ſemper eſſe debet ac conſpicua Eccleſia, quæ civitas eſt poſita ſupra montem. Quippe cùm extra Eccleſiam nulla ſit ſperanda ſalus, neceſſè omnino eſt eam à quolibet homine quolibet tempore facilè deprehendi ac dignoſci poſſe: atqui numero pauci communem Romani Pontificis & Epiſcoporum doctrinam deſerunt, ii ubique & quolibet tempore viſibilem Eccleſiam oſtendere non poſſunt. Quam enim oſtenderent? Eam quam Summus Pontifex & Epiſcoporum multitudo ſequuntur? Verùm ab illius Eccleſiæ fide ac doctrina illi pauci diſcedunt ac diſcrepant. An ſuam privatam? At obſcura eſt, intra pauciſſimos coarctata, non diffuſa ubique, ergo nec ubique viſibilis. Neceſſe igitur eſt eos ad Eccleſiam quamdam interiorem & inviſibilem recurrere, cui poſt factam accuratam doctrinæ diſcuſſionem adhærere ſe conteſtantur. Verùm hoc ipſum eſt quod in Lutheranis & Calviniſtis Catholici damnavere: quaſi examen & diſcuſſio doctrinæ, cujus tam pauci capaces ſunt, medium foret neceſſarium ad veram Eccleſiam dignoſcendam, & adipiſcendam ſalutem.

IV. Ex auctoritate Eccleſiæ.

IV. Suprema eſt ac infallibilis Eccleſiæ auctoritas in rebus fidei ac Religionis dijudicandis. Sola ipſa, non Scriptura, non ſpiritus privatis revelans, non Princeps ſecularis Judex eſt ſupremus controverſiarum fidei, ex dictis antea & probatis; ergo illius auctoritati, qua certè nulla in terris major dari poteſt, neceſſe eſt fideles omnes animo & corde ſeſe ſubjiciant.

Et verò cùm Deus velit omnes & ſingulos homines ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, oportet eſſe in Eccleſia, quæ ſocietas eſt à Chriſto Domino benè conſtituta & ordinata, regulam aliquam vivam, ſubſiſtentem, publicam & facilem, ad quam in dubiis circa fidem ac Religionem facilè poſſint & omni tempore fideles recurrere, ne cum periculo ſalutis æternæ circumferantur omni vento doctrinæ: atqui auctoritas illa alia eſſe non poteſt quàm auctoritas Eccleſiæ, ſeu Summi Pontificis & Epiſcoporum quibus dictum eſt, *Qui vos audit, me audit. Attendite vobis, & univerſo gregi in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Euntes docete omnes*

gentes,

gentes, *baptiſantes eos. Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt & in cœlis &c.* quæ certè omnia non ad populum Chriſtianum, ſed ad Rectores & Paſtores Eccleſiarum directa fuerunt; ergo una eſt Eccleſiæ auctoritas ſuprema, publica, erroris neſcia, quam fideles conſulere & audire teneantur: quæ profectò via facilis eſt, expedita, omnibus aperta. *Auctoritati credere*, ait Auguſtinus L. de Quantitate animæ c. 7. *magnum compendium eſt, & nullus labor*. E contra verò, via examinis ac diſcuſſionis quæ adverſariis noſtris aptior videtur, quàm aſpera! quàm difficilis & periculoſa! cujus aliunde tam pauci ſunt capaces. An verò credibile eſt Chriſtum Dominum medium iſtud ſalutis omnibus & ſingulis hominibus tanquam neceſſarium propoſuiſſe? Quis credat? Ita ſenſim ad Lutheranorum & Calviniſtarum figmenta circa ſpiritum privatum, & neceſſitatem diſcuſſionis ac examinis in rebus fidei controverſis dilabuntur, qui noſtræ adverſantur Concluſioni: ſic Eccleſiæ auctoritatem funditùs ſubvertunt, perinde ac ejus unitatem, Catholicitatem & viſibilitatem: ſic denique, poſtpoſita communi ac publica judiciorum forma, ac neglecta multitudinis Epiſcoporum ſententia, omnia in Religione confundunt ac perturbant, ſe ipſos numero paucos ſupra multitudinem ſuperbiùs extollunt, ac privato cuilibet viam aperiunt, qua ſe controverſiarum fidei judicem conſtituat. T. 1. p. 406. F.

V. Ex cõmuni omniũ Tribunalium lege.

Et certè communis hæc ſemper fuit ac recepta in omni Tribunali lex, ut ex plurali ſuffragiorum numero ſententia pronuntietur, atque publica auctoritas, non verò privata uniuſcujuſque ſententia, regula ſit obedientiæ noſtræ & agendi rationis: Quòd ſi in cæteris, quantò magis in Tribunali ac Judicio Eccleſiaſtico id obſervare neceſſe eſt? Multitudo enim Epiſcoporum qui Romanum ſequuntur Pontificem, eam ipſam Eccleſiam repræſentant, cui ſuprema doctrinæ ac miniſterii auctoritas concredita eſt, ac divinitùs conceſſum inerrantiæ privilegium: *Vobiſcum ſum omnibus diebus. Portæ inferi non prævalebunt.*

Ad hæc accedit conſtans ac perpetua praxis Eccleſiæ, & unanimis SS. Patrum doctrina, qui Hæreticis ſui temporis novitatem & paucitatem tanquam certum erroris argumentum objecere, atque Judicio S. Pontificis & Epiſcoporum ipſi adhærentium ſtandum eſſe declararunt. Multa in hanc rem teſtimonia collegit Illuſtriſſimus ac doctiſſimus Epiſcopus Sueſſionenſis in Opere cui gallicè titulus eſt, *Quatrieme Lettre Paſtorale au Clergé de ſon Diocèſe* pag. 38. 39. & 40.

Tertullianus Lib. de Præſcript. cap. 28. *Quod apud multos unum*, inquit, *invenitur, non eſt erratum ſed traditum*. Ergo à contrario, quod apud paucos à multitudine diſſidentes invenitur, erratum eſt, non traditum. Eò tendit quod idem Tertullianus & Irenæus docent, certam nimirum dignoſcendæ veræ fidei regulam, eſſe conſpirantem ac communem omnium Eccleſiarum, quæ per orbem diſperſæ ſunt, ſententiam. *Quid prædicaverint Apoſtoli*, ait idem Tertullianus eodem Libro cap. 21. *non aliter probari debet, niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam viva, quod ajunt, voce, quàm per Epiſtolas poſtea.... Conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ* Pa. 212. A. Pa. 209. A.

ab

ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Sancti Irenæi in rem eandem verba retulimus ſuprà Articulo 3. ubi de infallibilitate ſeu in errantia Eccleſiæ diſſeruimus.

P. 181. A. Euſebius Lib. 5. Hiſt. cap. 16. de Montaniſtis ſeu Phrygibus dicit, *Hi perpauci erant Phryges hujuſmodi fraude decepti.* Obſervat eodem capite Hiſtoricus, Hæreticos illos, poſtquam erroris manifeſtè convicti fuiſſent, nec haberent quod reſponderent, ad martyres ſuos, quibus ſuperbiebant, confugiſſe, *Ad martyres confugere conantur, aſſerentes multos ſe martyres habere; idque potentiæ* P. 181. C. D. *prophetici illius qui apud ipſos eſt ſpiritus certiſſimum eſſe documentum. Sed hoc meo quidem judicio nihilo verius eſt. Nam & aliarum hæreſeon ſectatores, plurimos ſe habere martyres prædicant, neque idcirco tamen ei aſſentiemur, nec veritatem penes illos eſſe fatebimur.* Ita Catholicis illudebant Hæretici, falſos ſuos martyres ipſis oſtentando.

S. Pacianus eandem Novatianis, quam Euſebius Montaniſtis, paucitatem, Eccleſiæ verò diffuſam ubique multitudinem objiciebat Epiſtola 2. ad Sempronianum. *Eccleſia*, inquiebat, *plenum eſt corpus & ſolidum toto orbe* Bibliot. PP. T. 4. p. 310. A. *diffuſum. Sicut Civitas cujus partes in unum, non, ut vos eſtis, Novatiani, quædam inſolens portiuncula tuberque collectum, & à reliquo corpore ſeparatum. Eccleſia eſt templum Dei, templum certè ampliſſimum, domus magna, habens quidem vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia... Eccleſia eſt virgo ſancta, caſtiſ-* Ibid. B. *ſimis ſenſibus.... Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, qua totus orbis impletur.*

S. Athanaſius in Epiſtola Synodica de fide ad Jovinianum Imperatorem, T. 3. p. 663. A. apud Theodoretum Lib. 4. Hiſt. cap. 3. *Scio, religioſiſſime Auguſte, hanc* (*fidem*) *omnibus ſæculis fuiſſe prædicatam. Hanc profeſſi ſunt Patres qui Niceæ convenerunt. Cum hac conſentiunt omnes ubique gentium Eccleſiæ, quæ ſunt in Hiſpania & Britannia & Galliis, quæ in Italia tota & Campania, Dalmatia & Myſia, Macedonia & Græcia tota, quæque in Africa univerſa & Sardinia, & Cypro, & Creta, Pamphyliaque, Iſauria, & Lycia, & quæ in tota Ægypto, Thebaide ac Lybia, Ponto & Cappadocia, viciniſque partibus, & Orientales Eccleſiæ, præter paucos qui cum Ario ſentiunt.... ſcimuſque, religioſiſſime Auguſte, quamvis pauci quidam huic fidei contradicant, orbi terrarum univerſo præjudicium afferre non poſſe.*

To. 2. Conc. p. 746. A. Liberius S. Pontifex in ſecunda Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem: *Eodem tempore, inquit, ſeptuaginta quinque Epiſcoporum Ægyptiorum de Athanaſio ſententia repugnabat, quam ſimiliter recitavimus atque inſinuavimus Epiſcopis Italis. Unde contra divinam legem viſum eſt etiam, cùm Epiſcoporum numerus pro Athanaſio major exiſteret, in parte aliqua commodare conſenſum.* Agnoſcit Summus Pontifex majorem Epiſcoporum numerum Athanaſio faviſſe, ac contra divinam Legem nonnullos illius damnationi ex parte aliqua conſenſum accommodaſſe.

Ed. vet. T. 2. p. 883. A. S. Baſilius Epiſtola 75. ad Cæſarienſes: *Fuerat autem juſtius, ait, res noſtras æſtimare non ex uno aut altero eorum qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, ſed ex multitudine totius orbis Epiſcoporum, qui gratia Chriſti conjuncti nobis ſunt.* Et Epiſtola 72. *Ipſum orbem circumſpicite, & videte* Ibid. p. 868. D. *quàm modica ſit ea portio, quæ hoc morbo laborat, reliqua verò univerſa Eccle-*

Eccleſia, quæ ab orbis finibus uſque ad fines Evangelium recipit, ſanam hanc & incorruptam doctrinam ſectetur.

Patres Concilii Epheſini Act. 5. *Perabſurdum eſt*, ajunt, *ducentorum & decem ſanctorum Epiſcoporum Synodo, quibus & univerſa Occidentalium ſanctorum Epiſcoporum multitudo, & per ipſos reliquus totus terrarum orbis conſentit, triginta tantùm numero ſe ſe opponere.* To. 3. Conc. p. 658. E.

Valentinianus & Marcianus Imperatores in Edicto quo prohibentur diſputationes de fide coram vulgo, ac refertur cap. 3. partis tertiæ Concilii Chalcedonenſis, *Verè impius atque ſacrilegus eſt*, inquiunt, *qui poſt tot Sacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit.* To. 4. Conc. p. 840. B.

Concilium V. generale Collatione 6. obſervat *in Conciliis non unius vel alterius interlocutionem attendi oportere, ſed hæc quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur.* Idem ferè jam dixerat Juſtinianus Imperator in Edicto adversùs tria Capitula: *Oportet*, inquiebat, *etiam illud attendere eos qui veritatem perſcrutantur, quòd forſitan in Conciliis quædam à certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam. Nemo autem attendit ea quæ per partem à quibuſdam dicuntur, ſed ſola illa, quæ ab omnibus communi conſenſu definiuntur.* To. 5. Conc. p. 515. D. Ibid. p. 711. D.

S. Hieronymus oſtendit falſam eſſe apud Luciferianos Eccleſiam, quia nullos extra anguſtos fines Sardiniæ ſectatores ac diſcipulos habet, cùm è contra Eccleſia Chriſti per omnes mundi plagas ac gentes diffuſa ſit. *Allocutio Patris*, ait Dial. adversùs Luciferianos, *impleta eſt, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam;.... Et ubi iſti ſunt nimiùm religioſi, imò nimiùm profani, qui plures Synagogas aſſerunt eſſe, quàm Eccleſias?.... Si Eccleſiam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantùm habet, nimium pauper factus eſt.* To. 4. part. 2. pag. 298

Idem argumentum verſat ex profeſſo ſanctus Auguſtinus adversùs Donatiſtas qui veram Eccleſiam intra limites Africæ concluſam eſſe, ac ſe numero paucos eſſe gloriabantur. *Ideo magis juſti ſumus*, inquiebant, *quia pauci ſumus. In paucis frequenter eſt veritas, errare multorum eſt.* Quibus lepidè S. Auguſtinus, L. 2. Op. imperf. c. 3. *Nolite gloriari de paucitate. Parricidæ & pauci & peſſimi ſunt. Non intelligitis*, ait rurſus S. Doctor L. 4. contra Creſconium cap. 53. *quomodo à Domino dictum ſit, paucos intrare per anguſtam portam; cùm & multos dixerit ab Oriente & Occidente recubituros cum Abraham, Iſaac & Jacob.... Qui profectò multi ſunt per ſeipſos, & iidem ipſi pauci ſunt in comparatione longè plurium qui cum diabolo puniendi ſunt.* Pluribus Scripturæ teſtimoniis promiſſam illam Eccleſiæ diffuſionem demonſtrat, quæ nos ſuprà laudavimus; atque eo præſertim argumento Donatiſtas confutat, quòd pauci ſint, & Chriſtum mendacem faciant. *Tu laboras verbis tuis*, inquiebat ad Petilianum, *ut frumenta jam per totum agrum defeciſſe, & ad exiguam particulam veſtram remanſiſſe credantur, dum vis ut habeatur Chriſtus mendax, tu autem verax.* S. Aug. Ep. 93. aliàs 48 c. 8. n. 26. T. 9. p. 514. D. Ibid. p. 266. A. B.

Vincentius Lirinenſis jam ſæpius laudatus, in Commonit. cap. 3. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt; hoc eſt enim verè propriéque Catholicum (quod ipſa vis nominis, ratioque declarat) quæ omnia ferè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem:* Et paulò poſt.... *Quid igitur tunc faciet Chriſtianus* Bibliot. PP. T. 7. p. 250 E. ib. F.

Ca-

Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab univerſalis fidei communione præciderit? Quid utique, niſi ut peſtifero corruptoque membro ſanitatem univerſi corporis anteponat?

Carolus Magnus egregiè rem noſtram conficit in Epiſtola quam ad Elipandum & cæteros Epiſcopos Hiſpaniæ ſcripſit, adhortans eos, ut cùm pauci ſint, multitudini Epiſcoporum ſe adjungant, à qua recedere nemini liceat.
To. 7. Conc. p. 1048. C. *Nec pigeat Chriſtianum*, ait pius Imperator, *ubi hæſitet, quærere; nec pudeat ubi neſciat, diſcere: quoniam pia humilitas diſcendi ſapientiæ intrat ſecreta; & melius eſt diſcipulum eſſe veritatis, quàm doctorem exiſtere falſitatis. Ille ad altiora ſemper provehitur, iſte ad inferiora ſemper dilabitur: & inde magiſter efficitur erroris, unde auditor contempſit eſſe veritatis . . . Meæ propriæ unanimitatis*, pergit Imperator,
Ib. 1049. E. *eum his ſanctiſſimis prædictorum Patrum Decretis, & Catholicis Statutis conſenſum ſubnexui.... ne paucorum ſubdolis aſſertionibus conſentirem, ſed plurimorum teſtimoniis roboratam fidem firmiter tenerem... Horum*
Ibid. p. 1050. A. *me ſanctiſſimæ multitudini & probatiſſimæ auctoritati in veræ fidei profeſſione firmiter aſſocians, nec veſtræ me paucitati in conſenſione hujus novæ aſſertionis ſocium admitto.* Et poſtea:
Ibid. p. 1054. B. *Vos igitur quia pauci eſtis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuiſſe, quàm quod ſancta univerſalis toto orbe diffuſa tenet Eccleſia?*

Denique Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus anno
Procès verbal de l'Aſſ. de 1715. p. 343. 1715. Cenſura ſua confixit Librum cui titulus gallicè, *Temoignage de la verité*, & iſtam ex illo extractam ſententiam: *Epiſcopatum unum eſſe confitetur* (Libelli Auctor) *& eundem indiviſum; quem tamen quandoque conſtare ait paucorum Epiſcoporum numero, etiam à ſuo legitimo Capite, ſeu à Cathedra principali, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, diſſidentium, & abſque perfecta illa totius fraternitatis & unanimitatis Epiſcoporum cohærente concordia; quibus in ſolidum & regendam ſuam Eccleſiam, & ſervandum fidei integræ depoſitum Chriſtus commiſit.* Iſtam porrò, ut dixi, ſententiam, ſicut & alias nonnullas, tanquam pernicioſas, cenſura ſua proſcribit ac damnat Clerus Gallicanus: nulli autem Gallo Theologo à ſententia Eccleſiæ Gallicanæ, in cujus ſinu reſpirat, & cujus libertatibus fruitur, recedere licitum eſt.

Solvuntur Objectiones.

Priuſquam ſigillatim expendamus ea quæ ex Concilio Ariminenſi, & ex Honorio Summo Pontifice hìc urgeri ſolent, nonnulla alia proponenda, quæ tam operoſam diſcuſſionem non exigunt.

Objicies itaque 1. Defenſio veritatis multitudini non eſt ſemper alligata; imò potius ſæpius à vero & recto multitudo aberrat. Hinc Exodi 23. v. 2. dicitur: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Et verò, ſi multitudini foret ſemper adhærendum, qui morti Stephani, imò & ipſius Chriſti Salvatoris conſenſerunt, ii non peccaſſent, quia multitudinem ſequebantur, quod certè abſurdum & impium eſt cogitare.

Reſp. ſatis nos mirari non poſſe, qua ratione Objectio hæc in mentem aliquorum venire potuerit, quæ nonniſi inſulsè, & ab hominibus fanatico ſpiritu abreptis in præſenti cauſa proponi poteſt. De qua enim, quæſo, multitu-

titudine hic ſermo eſt? De multitudine Epiſcoporum qui adjunctum habent Romanum Pontificem; *quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, quæ *terribilis eſt ut Caſtrorum acies ordinata*; quam *qui non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus haberi debet*. Sermo eſt de Epiſcopis, de quibus dixit Chriſtus: *Qui vos audit, me audit*. *Obedite præpoſitis veſtris*; quos miſit ut docerent & baptiſarent: *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Quæ verò eſt multitudo de qua objectio? hominum ſceleratorum & impiorum, qui apertiſſimæ veritati tot ſplendidis coram ſe miraculis confirmatæ pertinaciùs obſtitere, ac immani tandem furore & invidia perciti Chriſtum Regem ſuum ac benefactorem turpiſſima morte affecerunt: quibus meritò dicebat S. Stephanus, Act. 7. v. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis; ſicut Patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Juſti, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis*. Quis ſanæ mentis tam cæcam, tam impotentem & injuſtam hominum multitudinem ſequendam eſſe unquam dixerit? Pudet nos in tanta dementia confutanda immorari.

Act. 20. v. 28. Cant. 6 v. 9. Matth. 18. v. 17. Luc. 10. 16. Heb. 13 17. Matth. 28. 20.

Objicies 2. auctoritatem S. Auguſtini ductam ex Libro de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 14. n. 23. ubi ſic loquitur: *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica conſtituti: quorum Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat. Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptiſatos, tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptiſandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat. Multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant, utrique cum eis in unitate conſiſtentes*: *Multi* ergo erant ex parte Stephani, *quidam* ex parte Cypriani: iſti verò nulla ſe lege teneri ac obſtringi contendebant, ut aliorum multorum ſententiæ ſubſcriberent. Ergo ſemper neceſſe non eſt adhærere multorum Epiſcoporum ſententiæ. *T. 9. p. 538. F.*

Reſp. diſt. conſeq. Ubi res de qua controvertitur obſcura eſt, implicata, nondum publico ac ſolemni Eccleſiæ decreto prædamnata, & ex utraque parte militant adverſæ nobiliorum Eccleſiarum ſententiæ, quales hinc erant Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ, Ponti & Orientis Eccleſiæ, quæ Cyprianum; inde verò Eccleſiæ Occidentales quæ Stephanum ſequebantur, concedo: in his certè circumſtantiis concedimus poſſe quoſlibet Epiſcopos ſalva pace & unitate ſuam tueri ſententiam. Si verò quæſtio involuta non ſit; ſi jam proſcripta; ſi pauci contre ſexcentos quibus præeſt Romanus Pontifex viſibile Eccleſiæ Caput, nego: tunc enim nefas eſt à ſententia & judicio multitudinis recedere. Porrò de quæſtionibus hujuſmodi dumtaxat loquimur in præſenti Concluſione; de his ſcilicet in quibus multò major Epiſcoporum numerus Summo Pontifici adhæret, paucis ex adverſo reclamantibus. Non dixit autem, quod obſervandum, ſanctus Auguſtinus, paucos pro Cypriano ſtetiſſe, ſed tantùm quoſdam: illi verò quidam in ſe reipſa multi erant, ut certum eſt, quamquam certè plures ex parte Stephani.

Inſtabis: Idem ſanctus Doctor Lib. 3. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 4. num. 6. manifeſtè ſupponit in quæſtione obſcuriſſima veritatem *ab uno*

dum-

dumtaxat vel paucis cognoſci & teneri poſſe. Sic loquitur occaſione diſſidii
ib. p. quod erat Stephanum inter & Cyprianum circa Baptiſmum Hæreticorum:
111. *Jam legi fateor* (quid ad Jubajanum ſcripſerit Cyprianus) *& profectò iſſem in eandem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortaſſe doctiores, per tot Gentes Latinas, Græcas, Barbaras, & ipſam Hebræam, Eccleſia toto orbe diffuſa parere potuit, quæ ipſum quoque pepererat, qui mihi nullo modo videri potuerunt, fruſtra noluiſſe iſtam tenere ſententiam: non quia fieri non potuit, ut in obſcuriſſima quæſtione veriùs pluribus unus paucivè ſentirent; ſed quia non facilè pro uno vel paucis adversùs innumerabiles ejuſdem Religionis & unitatis viros, & magno ingenio & uberi doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribus atque perfectis rebus ferenda ſententia eſt.* Ergo, judice Auguſtino, *unus vel pauci* veriùs ſentire poſſunt, quàm alii multò plures. Ergo veritas non ſemper ex parte multitudinis.

Reſp. 1. diſtinguo conſeq. *Unus vel pauci veriùs ſentire poſſunt in quæſtione obſcuriſſima*: de qua ſanctus Doctor loquitur, quæ nondum eſt eliquata & Judicio Eccleſiæ definita, eſto: in aliis quæſtionibus, nego.

Reſp. 2. dici non immeritò poſſe, S. Auguſtinum loqui de hypotheſi impoſſibili, cùm obiter dicit, *unum vel plures veriùs ſentire poſſe*: quo ſenſu dicebat Apoſtolus ad Galat. 1. v. 8. *Licèt nos aut Angelus in Cælo evangeliſet vobis præter id quod evangeliſavimus vobis, anathema ſit.* Non quòd putaverit S. Auguſtinus, contingere aliquando poſſe, ut unus vel pauci veriùs oppoſita multitudine ſentire poſſint; ſed quòd licet in controverſia, quam verſabat, id abſolutè fieri poſſe ſupponeret, *non facilè pro uno vel paucis adversùs innumerabiles ejuſdem Religionis & unitatis viros, & magno ingenio, & uberiori doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribus atque perſpectis rebus ferenda ſententia eſt.*

Objicies 3. auctoritatem ſancti Athanaſii Tractatu adversùs eos qui ex ſola multitudine veritatem dijudicant. *Quomodo igitur non miſerandi illi,*
T. 2. p. 561. D. ait, *qui vim auctoritatemque doctrinæ ſola multitudine metiuntur; nec conſiderant Dominum noſtrum Chriſtum duodecim Diſcipulos, ſimplices, illiteratos, pauperes, ignaros, fiducià adversùs mundum totum gratis muniviſſe? ſic illos inſtruens, non ut duodecim illi, myriades ſequerentur, ſed myriades, duodecim illos ſequi vellent? Ita ſemper vincit veritas, quantumvis apud paucos inveniatur. . .*
Ib. E. F. *Multitudo ſua auctoritate ſine demonſtrationibus comprobans, eſt illa quidem idonea ad incutiendum metum: ſed ad perſuadendum, nullo modo.... Quis igitur ſa-*
Ibid. p. 562. A. *na mente præditus non malit in paucorum eſſe numero, per anguſtam portam ad ſalutem ingredientium, quàm multorum per latam ad interitum ruentium?*

Reſp. 1. Tractatum illum, quem ſub nomine Athanaſii auſus eſt referre Auctor famoſi Libelli, cui titulus gallicè, *Le faux Proſelyte &c.* an. 1724. non eſſe Athanaſii, ſeu Eutherii Tyanenſis Epiſcopi, Neſtoriique aſſeclæ. Photius. Codice 46. Opus iſtud Theodoreto adſcribit. Lege monitum Auctorum novæ Editionis ſancti Athanaſii T. 2. p. 540.

Reſp. 2. Auctorem illum, quiſquis ſit, meritò improbare ac refellere falſam eorum opinionem qui generatim & indiſcretè ex quacumque hominum multitudine veritatem metiuntur, quorum certè turpis & abſurdus error eſt: at ex multitudine benè ordinata æſtimandam eſſe veritatem non negat

gat illius Tractatus Auctor. *Cæterùm*, inquit versùs finem, *mihi nihilominus veneranda multitudo, non illa quæ diſquiſitionem fugit, ſed quæ probationem adfert; non quæ acerbè pugnat, ſed quæ paternè corrigit; non quæ gaudet novitate, ſed quæ paternam ſervat hæreditatem. Tu verò qualem mihi multitudinem nominas? Eam nimirum quæ adulatione & muneribus conducta eſt; eam, quæ imperitia & inſcitia abrepta eſt; eam quæ lapſa timiditate, & metu, eam quæ momentaneam peccati voluptatem vitę præfert æternæ; id quod multi palam ſunt confeſſi. Multitudine mendacium roboras? Mali vehementiam innuis: hoc enim major eſt calamitas, quo plures malo ſunt implicati.* *Ib.* C.

Hæccine verò multitudo eſt, quam hic cum Catholicis defendimus? Pudeat, ſi pudoris capax eſt, qui ſtudio partium obcæcatus, Athanaſium vel ipſum Eutherium Tyanenſem adversùs Concluſionem noſtram proferre hìc auſus eſt, ut mulierculis ac rudioribus illuderet.

Objicies 4. inſignem Theologum & Epiſcopum Canarienſem Melchiorem Canum Lib. 5. de auctoritate Conciliorum, ubi docet res Theologicas non numero, ſed pondere auctoritatis judicandas eſſe. *Non itaque*, inquit, *quod in humanis conceſſionibus fit, plurium apud nos ſententia prevalet. Quòd ſi ſemel fidei cauſam ad humanas conjecturas prudentiamque deducimus, verendum eſt ſanè, ne Eccleſiæ negotium ex divino humanum faciamus. Quin etiam certum eſt, qui probabili multorum judicio nituntur, eos fidei noſtrę firmitudinem labefactare. Secundum quippe Concilium generale centum quinquaginta Patrum numero conſtitit, quartum verò Patres habuit ſexcentos triginta: utrumque tamen pari veneratione ſuſcepit Eccleſia. Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere.* *Pag.* 263.

Reſp. mirum videri non debere, quòd exiſtimet Canus res fidei non numero Epiſcoporum, ſed pondere & auctoritate Romani Pontificis definiri, à quo vim omnem & auctoritatem Conciliorum derivari arbitratur; atque ubi diſcordes ſunt inter ſe Epiſcopi, ei parti ſemper adhærendum, pro qua ſtat Romanus Pontifex. *Pondus Conciliis dat Summi Pontificis gravitas & auctoritas*, pergit Canus, *quę ſi adſit, centum Patres ſatis ſunt, ſin deſit, nulli ſunt ſatis, ſint quamlibet plurimi. Nec ſi major pars Patrum verè ſentiat, Summus Eccleſiæ Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Chriſti procurationem pertinet, ſemperque pertinuit, ne Eccleſia in factiones duas dividatur; nec Romanus unquam Epiſcopus contra Patres Concilii verè ſentientes dixit.* *Ibid.* Hanc Cani doctrinam diſſimulare non debuiſſent, qui nobis illum objiciunt. In quamcumque illi ſe vertant partem, nihil obtinebunt; ſive multitudini deferendum ſit, ſive Pontifici Romano qui vim & auctoritatem Judicio Epiſcoporum communicat, ut Cano videtur.

Expenditur factum Concilii Ariminenſis & Seleucienſis.

Factum illud objecere primùm Pelagiani, Donatiſtæ, Luciferiani; tùm Lutherani, ac Calviniſtæ, ut oſtenderent Eccleſiam in multitudine errare ac deficere poſſe, in paucis verò conſervari.

Ariani à Conſtantio Imperatore, quem deceperant, impetrarunt Nicææ generalem convocari Synodum, haud dubiè ut nominis ſimilitudine decepti fideles, arbitrarentur formulam fidei quam meditabantur, hanc ipſam

eſſe

eſſe quæ in primo Concilio Nicæno anno 325. condita fuerat. *Synodum ſub*
T. 1. p. *ementita aſſerendæ fidei ſpecie impetrarunt*, ait S. Athanaſius Lib. de Synodis,
716. C. *rati ſe Nicænam poſſe Synodum obruere, atque ita omnes à ſententia dimovere, ut impietas veritatis loco obtineat ubique*. Verùm, narrat ibid. ſanctus
Ib. A. B. Doctor, *Concilium nequaquam Nicææ, uti ſtatutum fuerat, celebratum eſt: ſed ſecunda prodiit juſſio, ut Occidentales Epiſcopi Ariminium in Italia convenirent, Orientales verò Seleuciæ, quæ aſpera dicitur, in Iſauria, convocarentur*.

Itaque anno 359. habita eſt Synodus Ariminenſis, in qua *Epiſcopi plu-*
Ibid. p. 720. F. *res quadringentis*; & Seleucienſis, in qua *circiter centum ſexaginta interfuere*.
Ibid. p. 725. E. Utriuſque Concilii rem ſic ab ovo, ut ita dicam, orditur S. Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos. *Sub Rege Conſtantio, Euſebio & Hippatio Conſu-*
To. 4. part. 2. p. 299. *libus, nomine unitatis & fidei, infidelitas ſcripta eſt, ut nunc agnoſcitur. Nam illo tempore, nihil tam pium, nihil tam conveniens ſervo Dei videbatur, quàm unitatem ſequi, & à totius mundi communione non ſcindi. Præſertim cùm ſuperficies expoſitionis nihil jam ſacrilegum præferret*. Tùm verba profeſſionis fidei Urſacii, Valentis, Germinii & aliorum profert.

Duo hìc ſunt controverſiæ capita.

Primum, an utriuſque Synodi Ariminenſis & Seleucienſis Epiſcopi in hæreſim Arianam lapſi reipſa fuerint.

Secundum, an, ſi revera lapſi ſunt, longè plures numero fuerint aliis Epiſcopis per univerſum orbem diffuſis; ita ut dictu verum ſit, multò majorem Epiſcoporum numerum, paucis admodum exceptis, hæreſi ſubſcripſiſſe.

Utrumque affirmant Reformatores noſtri Lutherani & Calviniſtæ, nos negamus.

An omnes Epiſcopi Ariminenſis & Seleucienſis Synodi in hæreſim Arianam lapſi fuerint.

Duplex quaſi ſtatus Ariminenſis Concilii diſtingui poteſt: primus, libertatis; alter, oppreſſionis ac violentiæ. In confeſſo eſt apud omnes, Epiſcopos Ariminenſes, quamdiu liberi fuere, ſummo conſenſu Nicænam fidem
T. 1. p. 725. D. ſtrenuè propugnaſſe. *Rerum Arimini geſtarum*, ait ſanctus Athanaſius Lib. de Synodis, *celerrimus ejuſmodi fuit exitus. Nulla enim ibi fuit ſententiarum diſcrepantia; ſed omnes una mente quæ decreta fuerant conſcripſerunt, Arianoſque depoſuerunt*. De infauſto hujus Concilii exitu nihil dixit S. Athanaſius,
Ibid. p. 767. F. quia, ut fatetur ibidem num. 55. nondum ad ſe delatæ fuerant res omnes Arimini geſtæ, quando iſtud de Synodis Opuſculum aggreſſus eſt. Quamobrem nihil de lapſu Epiſcoporum; nihil de Legatis habet. Res ſic peracta fuit: Epiſcopis Occidentalibus Arimini congregatis, primùm lectæ ſunt Imperatoris Litteræ, quibus jubebat de ſola fide tractari, prohibebatque ne quidpiam de Orientalibus, qui ſeorſim Seleuciam convenirent, ſtatueretur. Tùm verò duo Epiſcopi Ariani, Valens & Urſacius, poſtularunt, ut antiquatis omnibus fidei formulis antea confectis, tertia formula Sirmienſis juxta Imperatoris votum approbaretur, ſolaque deinceps retineretur. Verùm cùm auctores hujus formulæ voces *ſubſtantiæ & conſubſtantialis* de induſtria ſuppreſſiſſent, ut fidem Nicænam everterent, & ad Arianam impietatem

tatem patefacerent aditum, comperta Hæreticorum fraude; formulam hanc rejecerunt omnes Epiſcopi Catholici, & in ſolo Symbolo Nicæno ſtandum eſſe unanimi conſenſu definierunt, & inſuper Valentem, Urſacium alioſque Arianos fidei Nicænæ ſubſcribere renuentes depoſuerunt. His peractis, decem Legati nomine Concilii ab Epiſcopis Catholicis, & totidem ab Arianis ad Imperatorem mittuntur. Ariani Catholicos prævertunt, Imperatoris animum falſis relationibus occupant, & ita exaſperant adverſùs Patres Concilii, ut ne in conſpectum quidem horum Legatos admittere velit, prohibeatque ne Patres Arimino diſcedant donec parata contra Barbaros expeditio confecta fuerit. Interim, Catholicorum Legati diuturna expectatione fatigati, miſeriis & calamitatibus oppreſſi, tandem violentię cedunt, vocem *conſubſtantialis* reticeri & ſupprimi conſentiunt, cum Arianis communione junguntur, & ſubſcribunt formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, quæ formula integra legitur apud Theodoretum Lib.2. Hiſt. cap.21. eademque eſt ac tertia formula Sirmienſis, excepto quòd hæc Filium Patri *ſecundùm omnia ſimilem*, illa verò Patri *ſimilem* duntaxat dicat, nec addat has voces, *ſecundùm omnia*. *Ed. Valeſ. par. 101. & 102. B.*

Legatorum exemplum paulò poſt ſecuti ſunt Patres Ariminenſes, quippè qui diuturnæ ab Eccleſiis ſuis abſentiæ tædio, contumeliis & ærumnis fracti, Hæreticorumque, præſertim Valentis, qui ſe Arianos non eſſe palam conteſtabantur, fraudibus circumventi, eamdem formulam, quam velut hæreticam initio conſtanter rejecerant, approbarunt ſummo totius Eccleſiæ luctu ac ſcandalo.

Qui verò Seleuciæ congregati erant Epiſcopi circiter centum & ſexaginta, in tres factiones diviſi fuere. Prima & numeroſior erat centum quinque Epiſcoporum, (teſte S. Hilario Lib. contra Conſtantium n. 12.) quorum principes erant Georgius Laodiceæ in Syria Epiſcopus, Eleuſius Cyzicenus, Baſilius Ancyranus, Sylvanus Tarſenſis, S. Cyrillus Hieroſolymitanus. Hi, referente S. Athanaſio Lib. de Synodis n. 12. & Socrate Lib. 2. Hiſt. cap. 39. aliàs 32. omnia Nicænæ Synodi Scripta ſuſcipiebant præter ſolam *conſubſtantialis* vocem, quæ ipſis obſcura & ſuſpecta videbatur. Altera factio erat Epiſcoporum Arianorum, numero triginta quatuor, juxta Socratem loco citato, vel triginta ſeptem juxta Sozomenum Lib. 4. Hiſt. cap. 22. Hujus factionis duces erant Georgius Sedis Alexandrinæ invaſor, Acacius Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus, & Eudoxius Antiochiæ. Tertia denique pars erat paucorum Ægyptiorum, qui cum ſancto Hilario Pictavienſi pro voce *conſubſtantialis* retinenda acriter ac conſtanter decertabant. *P. 1148. A.* *To. 1. p. 726. B.*

Quæritur utrum omnes illi Epiſcopi qui ſubſcripſere formulæ ſibi ab Urſacio & Valente oblatæ, in Arianam hæreſim intus & animo lapſi fuerint.

CONCLUSIO.

Patres Ariminenſes ſubſcribendo formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, in Arianam hæreſim intus & animo lapſi non fuerunt.

Probatur: Nam qui bono ac ſimplici animo nihil fraudis ineſſe ſuſpicati

ſubſcribunt formulæ, quæ, ut verba præ ſe ferunt, errorem non continet: quique detectis Hæreticorum dolis ac fraudibus ſtatim ſubſcriptionem ſuam revocant, emiſſa Catholica fidei Nicænæ profeſſione, ii ſubſcribendo in errorem Arianum lapſi reipſa non fuere. Atqui Patres Ariminenſes &c.

I. Quamvis illa fidei profeſſio ab Urſacio & Valente oblata hæretica foret, ſi conſideretur auctorum ſenſus & conſilium, attamen ſpectatis præcisè verbis quibus concepta illa erat, nihil continebat, niſi ſanum & Orthodoxum, ſicut probat ſanctus Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos, & ut cuique illam attentiùs expendenti patebit. Enim verò auctores hujus formulæ apertè profitebantur ſe credere *in Unigenitum Filium Dei, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principium natus eſt ex Deo. Natum autem Unigenitum ſolum ex ſolo Patre, Deum ex Deo; ſimilem genitori ſuo Patri ſecundùm Scripturas &c.* Quæ ſanè verba Catholicam de æternitate & divinitate Verbi fidem exprimunt. *Quid eſt natum?* inquiebat Hieronymus, *Certè non factum. Nativitas ſuſpicionem auferebat creaturæ....ſonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat. Superficies expoſitionis*, dicebat paulò antè, *nihil ſacrilegum præferebat.*

S. Hier. Dial. adv. Lucif. T. 4. p. 2. pag. 299.

Ibid.

II. Cùm Patres Ariminenſes oblatæ ſibi fidei expoſitioni ſubſcripſerunt, nihil in ea fraudis ac doli latere ſuſpicabantur, ac putabant ejus auctores, ſicuti illi apertè conteſtabantur, ab Ariana impietate prorſus alienos eſſe: unde hanc formulam ſimpliciore quidem, at bono animo receperunt in ſenſu Catholico intellectam, idque amore concordiæ, ut Oriens & Occidens communionis vinculo ſibi conjungerentur; omni tamen adhibita cautione, ut à Valente Catholicam elicerent fidei profeſſionem. Rem totam narrat ex Actis ipſiuſmet Concilii Ariminenſis, ſanctus Hieronymus eodem loco. *Ipſo in tempore*, inquit, *cùm fraudem fuiſſe in expoſitione rumor populi ventilaret, Valens què eam conſcripſerat, præſente Tauro Prætorii Præfecto, qui ex juſſu Regis Synodo aderat, profeſſus eſt ſe Arianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemiis abhorrere. Res ſecretè geſta, opinionem vulgi non extinxerat. Itaque alia die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminum, & Epiſcoporum ſimul & laicorum turbis concurrentibus, Muzonius Epiſcopus Provinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus eſt: Ea quæ ſunt jactata per publicum, & ad nos uſque perlata, aliquem è nobis Sanctitati veſtræ legere præcipimus ..... Itaque cùm Claudius Epiſcopus Provinciæ Piceni, ex præcepto omnium blaſphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpiſſet, Valens ſuas eſſe negans exclamavit, & dixit: Si quis negat Chriſtum Deum, Dei Filium, ante ſæcula ex Patre genitum, anathema ſit. Ab univerſis conſonatum eſt: Anathema ſit. Si quis negat Filium ſimilem Patri ſecundùm Scripturas, anathema ſit. Omnes reſponderunt: anathema ſit. Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema ſit. Ab univerſis conclamatum eſt: Anathema ſit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut ſunt cæteræ creaturæ, anathema ſit. Similiter dictum eſt: Anathema ſit. Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, & non de Deo Patre, anathema ſit. Omnes conclamaverunt, Anathema ſit. Si quis dixerit, Erat tempus, quando non erat Filius, anathema ſit. In hoc verò cuncti Epiſcopi, & tota ſimul Eccleſia plauſu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt. Quòd ſi quis*, pergit Hieronymus, *à nobis fictum putat, ſcrinia publica ſcrutetur. Plenæ ſunt*

Ibid. p. 299. & 300.

ſunt certæ Eccleſiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria eſt. Superſunt homines, qui illi Synodo interfuerunt; & quod veritatem firmet, ipſi Ariani hæc ita, ut diximus, geſta non denegant. Cùm ergo cuncti Valentem ad cęlum laudibus tollerent, & ſuam in eum ſuſpicionem cum pœnitentia damnarent, idem Claudius qui ſuprà legere cœperat, ait: Adhuc ſunt aliqua quæ ſubterfugerunt Dominum & fratrem meum Valentem, quæ ſi vobis videtur, ne quis ſcrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit Filium Dei eſſe quidem ante omnia ſæcula, ſed non ante omne omninò tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema ſit. Dixerunt cuncti, Anathema ſit. Multaque alia quæ ſuſpicioſa videbantur, ad pronuntiationem Claudii, Valens condemnavit .... His itaque geſtis Concilium ſolvitur. Læti omnes ad Provincias revertuntur. Idem enim Regi & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis ſibi vinculo necterentur.

Conſtat ex illa narratione, Patres Ariminenſes omni adhibita cautione non priùs formulæ ſubſcripſiſſe, quàm omni, ut putabant, remota ęquivocatione, fidem Nicœnam in tuto collocaſſent.

Nec obſtat quòd illi Epiſcopi conſenſerint ſuppreſſioni vocum *ſubſtantiæ* & *conſubſtantialis*. Namque exiſtimabant fidem aliunde in tuto eſſe, nec iſta vocabula, quæ in Scripturis non extant, ad fidem conſervandam abſolutè eſſe neceſſaria. *De Uſię nomine abiciendo*, ait ibidem ſanctus Hieronymus, *veriſimilis ratio prębebatur. Quia in Scripturis*, ajebant, *non invenitur, & multos ſimpliciores novitate ſua ſcandaliſat. Placuit auferri. Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cùm ſenſus eſſet in tuto*. De hac ipſa voce S. Athanaſius Lib. de Synodis n.41. ait: *Viros autem qui alia quidem omnia Nicęę ſcripta recipiunt, de ſolo autem conſubſtantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos ſpectari par eſt. Neque enim velut Ariomanitas, aut Patrum adverſarios, homines aggredimur; ſed diſputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem qua nos ſunt ſententia, ſolo nomine in controverſiam adducto.* Ibid. p. 299. To. 1. p. 755. D.

III. Non diu latuit Arianorum fraus & calliditas. *Diu*, ait S. Hieronymus eodem loco, *ſcelera non latent; & cicatrix malè obducta, incocta pure dirumpitur*. Detectis ſcilicet Hæreticorum fraudibus, cùm Valens, Urſacius aliique nefariæ impietatis ſocii rumorem circumquaque ſpargerent, ſe Filium Dei non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis, & Epiſcopos Occidentis ſecum de fide conſentire, triumphoſque agerent; tùm ad fraudem reclamarunt Patres, priſtinam ſubſcriptionem revocarunt, & Arianorum blaſphemias deteſtati ſunt. *Concurrebant Epiſcopi*, ait S. Hieronymus ibid. *qui Ariminenſibus dolis irretiti, ſine conſcientia Hęretici ferebantur, conteſtantes corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putavimus, ajebant, ſenſum congruere cum verbis; nec in Eccleſia Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Non ſumus arbitrati Sacerdotes Chriſti adversùs Chriſtum pugnare. Multaque alia quę brevitatis ſtudio prętereo, flentes aſſerebant, parati & ſubſcriptionem priſtinam, & omnes Arianorum blaſphemias condemnare.* To. 4. p. 2. p. 300. Ibid. p. 301.

Hinc idem S. Hieronymus ab omni hæreſeos labe Patres Ariminenſes

P 2 ven-

vendicat. Etenim Luciferianis conquerentibus de Catholicis, quòd dictos
Ibid. Epiſcopos in priſtinas Sedes recepiſſent, *Cur*, reſpondet, *damnaſſent eos qui Ariani non erant? Cur Eccleſiam ſcinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes benè, obſtinatione ſua facerent Arianos?*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 21. ab errore in animo concepto dictos
To.1.p. 387.B. Patres Ariminenſes purgat: *Ea res*, inquit, *permultos è nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit, quamvis mente haudquaquam prolapſi fuerint.*

Damaſus Summus Pontifex in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Illyrici, de iiſdem Epiſcopis Ariminenſibus hæc habet: *Gallorum atque Venetenſium*
Apud Theod. Lib. 2. Hiſt. c. 22.par. 103.A. *fratrum relatione comperimus, nonnullos non hæreſis ſtudio, neque enim hoc tantùm mali cadere in Dei Antiſtites poteſt, ſed inſcitia vel ex ſimplicitate quadam, ſcævis interpretationibus æſtuantes, non ſatis diſpicere, quæ magis Patrum noſtrorum ſit tenenda ſententia, cùm diverſa conſilia eorum auribus ingerantur.*

Denique Sulpitius Severus Lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ ait, Ariminenſibus *tra-*
Bibliot. PP.To. 6. par. 347.A. *ditam ab improbis conſcriptam fidem, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam diſciplinam, perfidia latente, loqueretur.*

Dices 1. Liberius in Epiſtola 13. ad Orientales ſcribit, *Epiſcopos*, qui
Tom.2. Conc.p. 758.A. Ariminium convenerant, *à fide deſciviſſe.*

2. S. Hilarius in fragmento 8. ait Epiſcopos Ariminenſis Concilii *præ-*
P.1346 B. *varicatos eſſe à vera fide.*

3. Sanctus Ambroſius in caput 6. S. Lucæ Lib. 5. n. 71. eoſdem vocat
To.1.p. 1362. *perfidæ prævaricationis auctores.*

4. Ipſemet S. Hieronymus toties hìc citatus, Dialogo adversùs Lucife-
To.4.p. 2.p.300 rianos, *Tunc*, ait, *Uſia nomen abolitum eſt; tunc Nicæne fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.*

To.2.p. 661.F. 5. S. Auguſtinus Epiſtola 185. aliàs 50. ait, *eos* (Ariminenſes) *veneno periiſſe Ariano.*

Reſp. ad primum, diſtinguo: Liberius ſcribit Ariminenſes à fide deſciviſſe, apparenter & interpretativè, ut ajunt, concedo: in rei veritate, nego. Scilicet, qui parùm attenti & in fraudibus Hæreticorum detegendis exercitati decipi ſe permittunt, atque cum iis communione junguntur, & voces, quas ad exprimendam fidem & confutandam hæreſim opportunas Eccleſia judicat, rejiciunt, ii, quamvis Catholicam veritatem interiori conſcientia teneant, nihilominus Hæretici præſumuntur, & à fide deficere quodammodò dici poſſunt. Tales fuere Patres Ariminenſes: neque aliud voluit S. Ponti-
Tom.2. Conc.p. 758.C. fex Liberius, qui ibidem addit, *illos Epiſcopos videri fraudulenter à veritate tanquam abreptos eſſe & per fraudem à fide abductos.* Antea dixerat, *eos vel fallacibus ineſcatos illecebris, vel vi compulſos à fide tunc deſciviſſe.*

Ad ſecundum, diſtinguo antecedens: A vera fide prævaricatos eſſe, communionis ſocietatem cum Hæreticis ineundo, & ſubdolæ ac ambiguæ fidei profeſſioni ab Hæreticis contextæ ſubſcribendo: concedo: ipſi hæreſi conſentiendo, nego.

Ad tertium, eadem eſt reſponſio. Idem enim S. Ambroſius Epiſtola 21.
To.2.p. 862.E. aliàs 32. vel 13. ſic ait: *Et certè major numerus Arimini Nicæni Concilii fidem probavit, Ariana decreta damnavit.*

Ad quartum, ſtupor ille & admiratio denotat reipſa & in animo univer-

ſum

ſum orbem Arianum non fuiſſe. Miratus eſt ſe Arianum circumferri: ut quid autem miratus fuiſſet, ſi revera errorem animo conceptum habuiſſet? Miratus ergo eſt, quòd id novum, quod præter mentem, voluntatem ac conſcientiam ſuam factum eſſet, ut Ariano errori verbis fallentibus involuto, ſimplici quidem, ſed bono animo ſubſcripſiſſet. Et verò, ſi reipſa exiſtimaſſet S. Hieronymus, Epiſcopos Ariminenſes animo & corde ſubſcripſiſſe impietati Arianæ, ut quid eos ab errore purgaret & vindicaret? Ut quid indulgendum ipſis cenſeret? Non alia certè de cauſa, quàm quòd ſciret eos communione dumtaxat externa, non interna fidei conſenſione, cum Arianis junctos fuiſſe, ne fortè Sedes ſuas impiis occupandas traderent. Conclamatam autem intelligit fidem Nicænam ab Arianis, non verò ab illis Epiſcopis Ariminenſibus: niſi forſan hoc ſenſu, quòd ex ſuppreſſa voce *conſubſtantialis*, ipſi Ariani malignè jactarent ab illis Epiſcopis abolitam quoque fuiſſe Nicænam fidem. Tota hæc Hieronymi loquendi ratio hyperbolem redolet.

Eadem eſt ad quintum quæ ad ſecundum & tertium reſponſio.

Dices 2. Patres Ariminenſes dici non poſſunt in Arianam fidei profeſſionem conſenſiſſe Arianorum fraudis ignari: eorum quippè artes ac dolos ante ſex menſes detexerant, & oblatam fidei formulam reſpuerant ut hæreticam; ergo cùm poſteà eamdem formulam approbaverunt, non incogitatò ſed ſcientes ac volentes manus dederunt, ideoque hæreſi verè & ex animo conſenſum præbuerunt.

II. Cùm Valens palam dixiſſet Filium Dei non eſſe creaturam, ut ſunt cæteræ creaturæ, verbis ipſius aſſenſi ſunt Patres Ariminenſes, ut conſtat ex dictis: atqui hæc verba Arianam hæreſim apertè redolent. Dum enim Filius cæteris creaturis ſimilis eſſe negatur, ipſe creatura, quamquam aliis præſtantior, aſſeritur.

III. Ignorare non poterant, vocem *conſubſtantialis* à Synodo Nicæna conſecratam, eſſe veluti teſſeram fidei, à qua non ſine erroris ſuſpicione receditur. *Non enim ea verba*, ait S. Athanaſius Lib. de Synodis n. 34. *illis* (Arianis) *ſcandalo ſunt, ſed dolori, quòd quaſi in cippo inſculpta ſuam hereſim traducant.* To. 1. p. 479. E.

Reſp. ad primum, nego ant. Quamvis enim Patres Ariminenſes malas Arianorum artes compertas habuerint initio Concilii, & ideò formulam à Valente & Urſacio oblatam rejecerint ut hæreticam, ſpectato ſcilicet auctorum conſilio, attamen mutatis ſubinde circumſtantiis, ac poſtquam toties anathema dixerunt variis propoſitionibus quæ Arianum errorem referebant, aliud de illis Hereticis judicium tulerunt, ac nihil fraudis ſuſpicati, putantes ſenſum congruere verbis, nec aliud in corde clauſum eſſe, communionem cum iis iniere, & formulam, quam initio reſpuerant, poſteà approbaverunt.

Ad ſecundum, diſtinguo maj. Aſſenſi ſunt ipſius verbis, quæ in ſenſum Catholicum interpretabantur, concedo: hæretico ſenſu intellectis, nego. Ambigua erat Valentis propoſitio: verùm illius ſenſum apertè ſatis determinare videbantur adjectæ profeſſiones. Cùm enim idem Valens Filium Dei ante omne omninò tempus, & nequaquam de non extantibus, ſed de Deo Patre eſſe profiteretur, Filium conſequenter creaturam eſſe negabat, cùm

nulla ſit creatura quæ exiſtentiæ ſuæ initium non habuerit, & ex nihilo non producta ſit. Hinc factum eſt ut Patres Ariminenſes ad captioſam verſipellis Hæretici propoſitionem non attendentes, eam Catholico ſenſu approbaverint. *Valens*, inquit Severus Sulpitius Lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ, *tanquam noſtros adjuvans, ſubjecit ſententiam, cui inerat occultus dolus: Filium*
Bibl. *Dei non eſſe creaturam, ſicut cæteras creaturas, feſellitque audientes fraus pro-*
PP.T. *feſſionis. Etenim his verbis, quibus ſimilis eſſe cæteris creaturis Filius negabatur,*
6.p.347 *creatura tamen, potior tantùm cæteris, pronuntiabatur. Ita neutra pars viciſſe*
C.D. *ſe penitus, aut victam putare poterat, quia fides pro Arianis, profeſſiones verò poſteà adjectæ pro noſtris erant; præter illam, quam Valens ſubjunxerat, quæ tum non intellecta, ſerò demùm animadverſa eſt.*

Ad tertium reponit Hieronymus antea laudatus: *Non erat curæ Epiſcopis*
Dial. *de vocabulo, cùm ſenſus eſſet in tuto.* Maximè verò cùm Valens & alii omnes
adv. Arianorum blaſphemias tot repetitis anathematibus palam ac publicè con-
Lucif. *To.4.p.* demnaſſent. Pacis ergo & concordiæ ſtudio conſenſerunt Patres Ariminen-
2.p.199 ſes, ut in formula ſibi oblata omitteretur vox *conſubſtantialis*.

Utrum Patres Ariminenſes numero longè plures fuerint, quàm cæteri Epiſcopi per orbem univerſum diſperſi.

Ut Novatores efficiant Eccleſiam, ſeu majorem Epiſcoporum partem unà cùm Summo Pontifice errare ac deficere poſſe, toti in eo incumbunt ut oſtendant Patres Ariminenſes, qui juxta illos in hæreſim lapſi ſunt, numero longè multò plures fuiſſe aliis omnibus Epiſcopis per orbem diſperſis.

CONCLUSIO.

Patres Concilii Ariminenſis numero longè inferiores fuere aliis Epiſcopis tunc temporis per orbem diſperſis.

Concilio Ariminenſi interfuere Epiſcopi quadringenti & aliquantò amplius: in Seleucienſi verò circiter centum & quinquaginta. Quis verò in animum facilè induxerit, non multò plures in orbe toto diſperſos extitiſſe Epiſcopos? Eruditus P. Labbæus è Societate Jeſu, mille cognitas in Occidente Sedes Epiſcopales recenſet, & in Oriente octingentas. Illuſtriſſimus Epiſcopus Abrincenſis Carolus à ſancto Paulo in notitia antiqua Epiſcopatuum numerat mille trecentas & ſexdecim in Occidente, & ſeptingentas viginti tres in Oriente.

Probatur itaque I. Quia vel in una Africa, quæ pars ſolùm erat Eccleſię occidentalis, numeratæ ſunt Sedes Epiſcopales Catholicorum quadringentæ octoginta ſex; ex parte verò Donatiſtarum, ducentæ ſeptuaginta novem. Ita conſtat ex Breviculo Collationis cum Donatiſtis in Collatione pri-
To.9.p. mæ diei apud S. Auguſtinum cap. 14. Porrò, ſi in una Africa tot extitere E-
550.F. piſcopales Sedes, quot extitiſſe neceſſe eſt in Illyria, Italia, Gallia, Hiſpania, Germania, Anglia, Pannonia, Belgio, cæteriſque orbis univerſi Regionibus quibus lux Evangelica affulſerat.

II. Idem S. Auguſtinus teſtatur extitiſſe plura Epiſcoporum millia, à quibus

bus Cypriani & Donatiſtarum error damnatus fuerat. *Proinde*, inquit Lib. 3. contra Creſconium cap. 3. n. 3. *ſi omninò jam credendum ſit, quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris vel aliquantò etiam pluribus, contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit.*

Ibid. p. 437. A. B.

Ad hæc ſancti Auguſtini teſtimonia nonnulli recentiores, maximè verò Auctor Libelli cui gallicè titulus, *La verité renduë ſenſible &c.* duo reponunt.

Duplex ad ea S. Auguſtini teſtimonia reſpōſio.

Primum: Ex quadringentis ſexaginta ſex Epiſcopalibus Sedibus quæ in Africa numerabantur, plurimas à Donatiſtis erectas fuiſſe & ab illis occupatas, teſte S. Auguſtino Lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 11. & 13. Ibidem refert ſanctus Doctor, in Conciliabulo Bagaitano interfuiſſe decem & trecentos Epiſcopos Donatiſtas.

Verùm, aut inſcitia, aut mala hujus Scriptoris fides hìc manifeſtè deprehenditur: ſiquidem ex ſola loci inſpectione palam eſt, hoc quadringentarum ſexaginta ſex Sedium Epiſcopalium numero ſolas comprehendi Sedes Epiſcoporum Catholicorum Africæ. Namque, ut refert S. Auguſtinus loco citato, & Lib. poſt Collationem cap. 24. cùm in illa celebri Collatione Donatiſtæ ſe de Epiſcoporum ſuorum numeroſitate jactarent, facta eſt præſente Cognitore Regio, accurata enumeratio & deſcriptio Epiſcoporum Africæ, tam Catholicorum, quàm Donatiſtarum, quibus omnibus recenſitis & recognitis, conſtitit Catholicorum, qui Carthagine præſentes aderant, nomina eſſe ducenta octoginta ſex, præter centum viginti, qui in urbem non venerant, & præter ſexaginta Cathedras, Paſtoribus viduatas; qui numerus multò major erat Donatiſtarum numero, quorum nomina reperta ſunt ducenta ſeptuaginta novem, annumeratis etiam illis pro quibus abſentibus alii ſubſcripſerant. Ac per hoc, inquit ſanctus Doctor ibid. *falſitas deprehenſa eſt*, (in Donatiſtis) & numerus eorum multò minor.

Refellitur 1. reſpōſio.

Ibid. p. 550. & 605.

Ibid. p. 552. A.

Secundum: Plura illa Epiſcoporum millia in orbe Chriſtiano olim extitiſſe, merum eſſe imaginationis figmentum quod nullo nititur fundamento. Namque S. Auguſtinus citato cap. 3. Lib. 3. contra Creſconium, loquitur de illis Epiſcopis, qui non ſimul eodemque tempore vixiſſent, ſed de illis qui ſucceſſivè à tempore ſancti Cypriani uſque ad tempus, quo ſcribebat S. Auguſtinus, alii poſt alios vixerant per centum quinquaginta annos.

2. Reſpōſio.

Verùm, & id merum eſt imaginationis hujus Scriptoris figmentum, quod nullo fundamento nititur. Namque comparatio quam S. Auguſtinus inſtituit inter millia Epiſcoporum, quibus rebaptiſantium error in toto orbe diſplicuit, & paucos Orientales ac Africanos qui in eo errore verſabantur, quo tempore exortum eſt Donatiſtarum ſchiſma, clarè demonſtrat ſanctum Doctorem loqui de millibus Epiſcoporum qui tunc eodemque tempore vivebant, ſicut & pauci illi Epiſcopi errantes. Nam ſi paucis errantibus eodem tempore viventibus oppoſuiſſet plura millia Epiſcoporum qui diverſis ſucceſſivè temporibus extitiſſent, nemo non videt ineptam prorſus futuram fuiſſe hanc comparationem, qua & ipſi abuſi fuiſſent Donatiſtæ. Si enim dixiſſent Catholici, millibus Epiſcoporum qui diverſis temporibus extiterunt, errorem rebaptiſantium diſplicuiſſe; vice verſa, repoſuiſſent Donatiſtæ, errorem ingenti quoque numero Epiſcoporum diverſis temporibus placuiſſe. Loquitur ergo ſanctus Auguſtinus de millibus Epiſcoporum

Refellitur.

eo tempore viventium, quo emerſit ſchiſma Donatiſtarum. Nimirum Creſconium Donatiſtam ibi refellit, qui propugnabat ſeptuaginta Epiſcopos Africanos à quibus circa annum Chriſti 311. Donatiſtarum ſchiſma ortum duxit, meritò ſe ſe ab Orientalium Epiſcoporum communione ſejunxiſſe, eo quòd Orientales judicium de Baptiſmate Hæreticorum à ſe anteà latum reſcidiſſent. Ad hæc reponit ſanctus Auguſtinus, Orientales illos Epiſcopos (ſi qui tamen idem aliquando cum ſeptuaginta Afris Donatiſtis ſenſerunt) paucos fuiſſe in comparatione tot millium Epiſcoporum, quibus tunc temporis rebaptiſantium error in toto orbe diſplicebat; proindeque eos dicendos non eſſe ſuum reſcidiſſe judicium, ſed potiùs emendaſſe, utpotè qui priorem mutando ſententiam, Judicio ſteterunt plurium millium Epiſcoporum per totum orbem diſperſorum, quos paucis Donatiſtis meritò prætulerunt. *Si omninò*, ait ſanctus Doctor Lib. 3. contra Creſconium cap. 3. n.

Ibid. p. 437. A. B. 3. *jam credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot mille Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit; cur non potiùs etiam ipſos paucos Orientales ſuum judicium correxiſſe dicamus, non ut tu loqueris, recidiſſe?* Ubi evidens eſt ſanctum Doctorem loqui de millibus Epiſcoporum tunc temporis exiſtentium, in quorum ſententiam conceſſerunt pauci illi Orientales initio ſchiſmatis Donatiſtarum.

Probatur 2. ex Reſcripto Epiſcoporum Conſtantinopoli inventorum ad Commonitorium ſanctæ Synodi, (Epheſinæ) in quo Reſcripto ſic loquitur Dalmatius Archimandrita ad Theodoſium Imperatorem: *Sex millia*

Tom. 3. Conc. p. 755. D. *ne Epiſcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium? ſex millia autem eos ajebam, qui ſub Metropolitanorum ſanctiſſimorum Epiſcoporum poteſtate degunt.* Audis ſex millia Epiſcoporum extitiſſe: quando? Tempore Concilii Epheſini anno 431. id eſt, annis ſeptuaginta poſt Concilium Ariminenſe.

At, inquit Auctor Libelli jam citati, (*La verité renduë ſenſible.*) teſtimonium boni illius Archimandritæ Dalmatii nullius eſt momenti. Unde etenim Monachus ille intra arcta Monaſterii clauſtra à quadraginta octo annis recluſus, reſcire potuit ſex Epiſcoporum millia ætate ſua fuiſſe in Eccleſia? Numquid omnes Chriſtiani orbis Epiſcopales Sedes luſtraverat & computaverat?

Reſpõſio ad teſtimoniũ Dalmatii.

Verùm, quod hic Auctor ille merum effugium eſt hominis pondere auctoritatis oppreſſi, & viam, qua elabatur, quærentis. Quaſi verò nihil pendenda ſit illuſtris Archimandritæ, cauſam Catholicam apud Imperatorem agentis, auctoritas, quem ut virum gravem & eximia ſanctitate inſignem commendant Epiſcopi Conſtantinopoli tunc degentes; quem ipſe Imperator crebrò inviſebat, ut iidem teſtantur; cujus denique teſtimonium laudant iidem Præſules ad Synodum generalem ſcribentes. Sed, inquies, unde ſcire potuit Dalmatius tot millia Epiſcoporum ætate ſua fuiſſe in orbe Chriſtiano? Ex fama & notitia publica. Sicut enim centum viginti quatuor nunc in Gallia Sedes eſſe Epiſcopales, ducentas ſeptuaginta in Italia, res eſt hodie pervulgata, ſic tempore Dalmatii notum erat & apud omnes pervulgatum, plura tunc in orbe Chriſtiano fuiſſe Epiſcoporum millia.

Refellitur.

Quòd ſi de numero Epiſcoporum minùs accuratè inſtructum Dalmatium fuiſſe citatus auctor fingat, eo quòd Monachus intra Monaſterii ſcepta

ab

ab annis quadraginta octo reclufus ille fuiſſet, quo in loco habebit Illuſtriſſimum Epiſcopum Abrincenſem Carolum à ſancto Paulo, qui, ut dictum eſt paulò antè, Sedes Epiſcopales 1316. numerat in Occidente, & 723. in Oriente, quarum expreſſa habetur mentio ſive in Conciliis, ſive apud ſanctos Patres aliosque Scriptores ſex priorum Eccleſiæ ſæculorum, miſſis aliis de quibus non meminere Veteres in ſuis Scriptis, & quarum notitiam ad nos non tranſmiſit priſcorum ætas? An non extitiſſe illas Eccleſias dicemus, quia eas ignoramus?

Idem prorſus hic reponendum adverſariis noſtris, quod S. Auguſtinus Donatiſtis reſpondebat Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 12. num. 31. ubi multas ab Apoſtolis fundatas eſſe Eccleſias, enumeratione facta oſtendebat. *To.9.p.* *Jam verò*, inquiebat, *Galatia non una Eccleſia eſt, ſed in ea Regione innumerabiles. Corinthios autem videte quemadmodum ſalutaverit: Paulus Apoſtolus J. C. per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, cum ſanctis omnibus qui ſunt in univerſa Achaja. Quot putatis eſſe Eccleſias in univerſa Achaja? Fortaſſe ubi Achaja ſit, neſcitis, & de tam incognita Provincia tanta cæcitate judicatis, ut eam criminibus Afrorum periiſſe dicatis. Nonne plena ſunt florentiſſimis Eccleſiis omnia loca quæ Petrus nominavit, Pontus, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithinia? Quid Joannes quibus ſcripſit, Smyrnæ, Pergamo, Sardis, Tiathyræ, Philadelphiæ, Laodiceæ, quæ ſunt Eccleſiæ? Jam Epheſum commemoravimus .... Cognoſcite ergo quàm longè ab Africa remotæ ſunt, & dicite nobis, cur eas omninò vobis incognitas, & in Apoſtolicis Litteris manifeſtas tam ſacrilega temeritate accuſetis, & tanta dementia criminibus Afrorum periiſſe dicatis?* Appoſitè omninò accommodari iſta poſſunt noſtræ præſenti cauſæ, ut demonſtretur quàm falsò affirment adverſarii omnes ferè orbis univerſi Eccleſias impietati Arianorum aſſenſiſſe. *359.B.* *Ibid.D*

Porrò Eccleſiæ illæ numero ac dignitate illuſtres, fidei Nicænæ conſtanter ſemper adhæſerunt, paucis exceptis Arianis. Ita teſtatur S. Athanaſius in Epiſtola quam ſcripſit anno circiter 363. hoc eſt duobus annis poſt Concilium Ariminenſe, ad Jovinianum Imperatorem. *Scito*, inquiebat, *Religioſiſſime Auguſte .... hanc ipſam fidem .... ſuffragio ſuo comprobare univerſas totius orbis Eccleſias, nempè Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatię, Daciæ, Myſiæ, Macedonię, Gręcięque & Africę univerſę, necnon Sardinię, Cypri, Cretę, Pamphylię, Lycię, Iſaurię, Ægypti, Lybię, Ponti, Cappadocię, vicinas quoque nobis, necnon Orientis Eccleſias, paucis exceptis, qui Arii hæreſim ſequuntur. Quę enim ſit omnium illarum Eccleſiarum ſententia, & experientia novimus; & earum habemus Litteras. Nec te fugit, piiſſime Auguſte, tametſi pauci quidam huic fidei adverſentur, prejudicium tamen facere non poſſe, quippè cùm orbis univerſus Apoſtolicam fidem retineat.* *Tom.1. Oper.S. Athan. p.781.B*

Probatur 3. Quia Liberius Summus Pontifex, qui tunc temporis, (Concilii Ariminenſis) quod à ſe ante duos annos erat peccatum, correxerat, formulæ ab Ariminenſibus ſubſcriptæ, non modò conſenſum ſuum denegavit, ſed eam conſtanter repudiavit, & poſteriora hujus Concilii Acta reſcidit, ut conſtat ex Epiſtola hujus Pontificis ad Orientales, in qua formulam Ariminenſem tanquam blaſphemiam reprobat, teſtaturque Epiſcopos

pos qui huic ſubſcripſerant, ad ſanam mentem reverſos eamdem anathemate damnaſſe: tùm ex Epiſtola Synodica jam citata Concilii Romani ſub Damaſo anno 369. ad Epiſcopos Illyrici, in qua ſic loquuntur Patres; *Neque præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum qui apud Ariminum convenerunt: cùm conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cuius ante omnes fuit expetenda ſententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium inlibatè ſervavit, neque alios, hujuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.*

Apud Theodor. L. 2. Hiſt. c.22. p. 103. C. D.

Probatur 4. ex Lucifero Calaritano qui Conſtantio Imperatori parvum & exiguum ejus ſectariorum numerum exprobrat in Libro cui titulus eſt, *Quòd moriendum ſit pro Filio Dei. Omnes*, inquit, *momento ſi poſſes peragrare gentes, inveniſſes ubique Chriſtianos ſicuti nos credere, in hac defenſione noſtra perſtantes, pro Dei Filio ut nos mori cupere. At tua novella prædicatio & recens Religio ſub prætextu fidei blaſphemia in perniciem ſalutis tuæ per te prolata, non ſolùm adhuc limitem Romanum peragrare non valuit, & utique te ſatis agente; ſed & ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus ſcilicet omnibus Dei famulis à te, atque paucis tuis, quos lolium eſſe ſuper frumentum ſeminatos Dominus prędixerat, tecum manentibus.* Hæc porrò, quod notandum, Lucifer ſcribebat ſub ipſum tempus Concilii Ariminenſis, anno ſcilicet 360. Siquidem in illo Libello Conſtantio exprobrat, quòd is Eudoxium Arianum in Sedem Conſtantinopolitanam intruſiſſet: hanc autem Sedem invaſit Eudoxius, teſte Socrate Lib.2. cap.42. & 43. in Conventiculo quod quinquaginta Epiſcopi Ariani, præſente Imperatore, Conſtantinopoli habuerunt, ineunte anno 360. quo tempore Ariminenſes Epiſcopi Arimini adhuc detinebantur, ut patet ex ſancto Athanaſio in Epiſtola de Synodis n. 30. Aliunde verò S. Hieronymus in Catal. Script. Eccleſ. cap.95. refert Luciferum ſua adversùs Conſtantium Opuſcula in Palæſtina exulem edidiſſe. Porrò tempore mortis Conſtantii, quæ contigit die 3. Novembris anni 361. non amplius in Palæſtina degebat Lucifer, ſed in Thebaide, quò juſſu Conſtantii deportatus fuerat, ſicut teſtatur Theodoretus Lib.3. Hiſt. cap.2.

Bibliot. PP. T. 4. par. 243. G.

Accedit & Socrates Lib.2. Hiſt. cap. 27. ubi loquens de temporibus, quæ Concilium Ariminenſe paulò anteceſſerunt, *Achajæ verò*, inquit, *& Illyrici Civitates & reliquiæ Occiduarum partium Eccleſię, tranquillæ adhuc erant & inconcuſſæ; tùm quòd inter ſe conſentirent; tùm quòd fidei regulam à Niceno Concilio traditam conſtantiſſimè retinerent.*

Edit. Valeſ. p. 118. B. C.

Accedit & Synodus Tyanenſis. *Eodem tempore*, ait Hiſtoricus, *cùm Synodus Epiſcoporum congregata eſſet Tyanis, cui intererant Euſebius Cęſareę Cappadocię Epiſcopus, Athanaſius Ancyrę . . . & alii complures, qui, regnante Joviano, Antiochię collecti, conſubſtantialis doctrinam retinendam eſſe decreverant, Liberii & Occidentalium Litteræ recitatę ſunt. Qua ex re ingenti gaudio affecti, ſcripſerunt ad omnes Eccleſias, ut Occidentalium Epiſcoporum Decreta perlegerent, & Epiſtolas tùm Liberii, tùm Epiſcoporum Italię, Africę, Gallię & Sicilię; nam & iſtorum Litteras attulerant Legati à Synodo Lampſacena miſſi: atque omnium illorum numerum conſiderarent. Multò enim plures erant iis qui in Ariminenſi Concilio ſederant.* Nihil disertius ad rem noſtram proferri poteſt. Si numerus Epiſcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ & Siciliæ ſuperabat numerum Epiſcoporum Ariminenſium, quantò magis nume-

Apud Sozom. L. 6. c. 12. pa. 652.

numerus cæterorum Epiſcoporum, qui per univerſum orbem diffuſi ac ſparſi Catholicam fidem profitebantur?

Confirmari iſtud poteſt ex numero Epiſcoporum qui Concilio Chalcedonenſi adfuerunt. In Relatione Synodi ad S.Leonem numerantur quingenti & viginti. Idem ſtatuitur in Lege Marciani Imperatoris. Epiſcopi verò Provinciæ Heleſponti in Epiſtola ad Leonem Imperatorem ſexcentos & triginta, S.Leo Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum quæ eſt 77. aliàs 52. c. 2. ſexcentos ferè Epiſcopos numerant. Notandum autem ex Occidente paucos admodum interfuiſſe, quinque nimirum; ex quibus tres Legati erant, & alii duo Africani Aurelius Adrumetanus, & Reſticianus. Et verò inter ſubſcriptiones hujus Concilii Epiſcoporum 472. quinque tantùm Occidentales erant, alii numero 467. Orientales. Imò & ex ipſis Orientalibus Epiſcopis quamplurimos non interfuiſſe conſtat ex Actione 4. ubi tredecim Epiſcopi Ægyptiaci Epiſtolæ ſancti Leonis ſubſcribere & Eutychen damnare recuſarunt iſto prætextu: *Epiſcopi noſtræ Religionis*, inquiebant, *nimis multi ſunt, nos pauci, non poſſumus pauci numero illorum perſonas ſuſcipere*. Porrò veteres Sedes Epiſcopales Ægypti, quarum notitia ad nos uſque pervenit, 114. recenſet Illuſtriſſimus Carolus à S.Paulo jam laudatus. Pauci ergo ex Ægypto adfuerunt Epiſcopi in comparatione abſentium. Idem conjicere poſſumus de Regionibus à Chalcedone remotis. Et certè Act. 6. legimus quoſdam Metropolitas Patriarchatuum Conſtantinopolitani & Alexandrini, pro abſentibus Epiſcopis ſub ſe conſtitutis centum & decem ſubſcripſiſſe. Porrò ſi 630. Epiſcopi Chalcedonenſi Synodo adfuere, ſi ex Orientalibus benè multi abſentes fuerint, ſi ex Occidente quinque dumtaxat ſubſcripſerint, quanta fuerit cæterorum Epiſcoporum, qui ſuis in Sedibus remanſerant, multitudo, cuilibet facile eſt conjicere.

Tom. 4. Conc. p. 833. Ibid. p. 868.

Ibid. p. 515. A.

Probatur denique ex variis iiſque frequentibus ac numeroſis Synodis, quas S.Athanaſius Epiſtola ad Rufinianum, & Severus Sulpitius Lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ referunt in Oriente & Occidente, paulò poſt lapſum Epiſcoporum Ariminenſium celebratas eſſe, ut ageretur de illis Epiſcopis & aliis qui cum Arianis communionem inierant, ſuamque deflebant culpam, utrum ſcilicet in ſuis Sedibus forent relinquendi, an ab iis removendi. *Quoniam interrogaſti*, ait S.Athanaſius, *de iis, qui vi quidem ſubducti, lapſi ſunt, nec tamen prava fide corrupti; & voluiſti me reſcribere, quæ de illis, cùm in Synodis, tum ubique aliàs decreta ſunt: ſcito .... in principio quidem cùm vis illa deſiiſſet, coactam Synodum fuiſſe præſentibus exterarum partium Epiſcopis: celebratam item aliam fuiſſe apud Græciæ Comminiſtros, nihiloque ſeciùs apud illos qui in Hiſpania & in Gallia degunt; atque idipſum hic & ubique placuiſſe, nimirum ut iis, qui lapſi ſunt, ſi impietatis fuerint præfecti, venia concedatur, ſiquidem reſipiſcant, nec detur tamen in Clero locus: iis verò qui impietati patrocinati non ſunt, ſed neceſſitate ac violentia tracti fuere, decretum eſt, ut & venia concedatur, & in Clero detur locus; potiſſimùm quia conſentaneam attulerunt excuſationem, & quòd œconomia quadam id factum videatur. Affirmabant quippè ſe minimè in impietatem lapſos fuiſſe; ſed ne impiiſſimi quidam homines ad Epiſcopatum evecti, Eccleſias corrumperent, ſe maluiſſe cum violentia concurrere, & id oneris ferre, quàm populos perdere.*

To. 1. p. 963. B.

Severus verò Sulpitius, *Cùm pleriſque*, inquit, *videretur non ineundam*

Bibliot. PP. T. 6. par. 347. E.

cum

cum his communionem qui Ariminenſem Synodum recepiſſent, optimum factu arbitratus, (loquitur de ſancto Hilario Pictavienſi) *revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus ferè Epiſtolis* (aliàs *Epiſcopis*) *de errore profitentibus apud Ariminum geſta condemnant.*

Ex illis porrò tam frequentibus ac numeroſis Conciliis, inter quæ extat Pariſienſe anno 360. invictè demonſtratur, numerum Epiſcoporum qui Arimini non adfuerant ſuis in Sedibus commorati, longè majorem ac ſuperiorem fuiſſe numero eorum qui adfuerant, & ſubſcripſerant Arianæ formulæ. Namque non facilè intelligitur, qui fieri potuerit, ut Epiſcopi illi Ariminenſes, aliis, ut fingitur, numero tam ſuperiores, pacificè ac tranquillè paſſi fuerint ab aliis tam paucis ſe judicari, deponi, pœnitentiæ addici: non ita profectò ſe natura hominum habet. *Quotus quiſque enim*, ait ſanctus
To.2.p. 2.p.301 Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos, *benè ſibi conſcius patitur ſe deponi? Præſertim cùm omnes populi, Sacerdotes ſuos diligentes, penè ad lapides & ad interemptionem deponentium eos convolaverint.*

Ex dictis hactenus manifeſtum eſt, tempore Conciliorum Seleucienſis & Ariminenſis, fidei Nicænæ conſtanter adhæſiſſe Romanum Pontificem cum omnibus, aut ſaltem ferè omnibus Epiſcopis in univerſum orbem diſperſis, quorum numerus longè multùmque ſuperabat numerum Epiſcoporum utriuſque hujus Concilii; ac proindè licèt omnes Epiſcopi Ariminenſes in hęreſim lapſi eſſent, (quod tamen falſum eſt) ex eo tamen non conſecuturum, Eccleſiam Catholicam viſibilem, ſeu majorem Epiſcoporum numerum cum R. Pontifice in hæreſim tunc conſenſiſſe.

Supereſt ut jam expendamus quæ ſolent hìc opponi ex nonnullis SS. Patribus ac Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Solvitur Objectio ex S. Gregorio Nazianzeno.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 21. teſtatur omnes Epiſcopos, paucis exceptis, tempore Conciliorum Seleucienſis & Ariminenſis in Arianam hæ-
To.1.p. 387.B. C. reſim lapſos eſſe. En verba: *Procul dubio ſtultè egerunt Paſtores, (ut cum Scriptura loquar) & Paſtores multi vineam meam pervaſtaverunt, ac deſiderabilem partem, hoc eſt Eccleſiam Dei.... probro ac dedecore affecerunt. Nam ſi perpaucos exceperis, qui vel ob nominis obſcuritatem contemptui habiti fuerunt, vel ob virtutem reſtiterunt.... omnes tempori obſecuti ſunt: hoc tantùm inter eos diſcriminis fuit, quòd alii citiùs, alii ſeriùs in eam fraudem inciderunt.* Ergo &c.

Reſp. nego antecedens.

I. Quia ſanctus Doctor in eo Epiſcoporum numero non comprehendit Occidentales, qui erant apprimè Catholici tempore perſecutionis, quam ibi deſcribit ſanctus Gregorius. Nam, ut ex ſola textus inſpectione liquet, loquitur de iis tantùm, quæ in Oriente acta ſunt poſt Conciliabulum quinquaginta Epiſcoporum Arianorum Conſtantinopoli habitum anno 360. Porrò tunc temporis Epiſcopi, qui Arimini decepti fuerant, culpam ſuam deflebant, & communione juncti cum Liberio aliiſque Epiſcopis Catholicis Occidentalibus, Arianorum blaſphemias deteſtabantur palam & apertè, ut conſtat tùm ex S. Ambroſio, qui Epiſtola 21. primæ Claſſis

n. 15.

n.15. teſtatur Epiſcopos Ariminenſes *ſtatim* à lapſu *inflexam revocaſſe ſententiam*: tùm ex Epiſtola Concilii Pariſienſis eodem anno 360. ad Orientales ſcripta. Concilium illud Pariſienſe eodem anno, quo Conciliabulum Conſtantinopolitanum, celebratum eſſe, ante reditum ſancti Hilarii in Gallias, probant Monachi Benedictini in editione Operum S. Hilarii ad fragmentum 11. Operis Hiſtorici pag. 1353. in qua Epiſtola Epiſcopi Ariminenſes dicuntur agnoſcere ſe Arianorum fraude deluſos, nimia ſimplicitate in *Uſie* ſilentium conſenſiſſe. Ergo quo tempore lapſi ſunt in Oriente Epiſcopi illi, de quibus S. Gregorius Nazianzenus, fidem Catholicam publicè ac palam propugnabant Epiſcopi Occidentales.

II. S. Gregorius apertè innuit ſe loqui de quibuſdam dumtaxat Orientis Provinciis, decem ſcilicet Aſianis, quas Georgius quidam Cappadox, Arianus Epiſcopus, in Sedem Alexandrinam intruſus crudeliter vexabat, Imperatoris auctoritate abuſus. *Ægyptum*, inquit paulò ante Objectionis verba, *incurſionibus vaſtat, atque impietatis robore Syriam populatur: Orientis etiam, quantùm poteſt, arripit.... Hujus potentiæ opus Concilium illud fuit, quod Seleuciæ primùm ....deinde in hac ampliſſima Civitate* (Conſtantinopolitana) *coactum eſt &c.* Ergo nequidem Orientalium Epiſcoporum partem maximam lapſam fuiſſe, ex citatis ſancti Doctoris verbis concludi facilè poteſt.

III. Quamvis illi Epiſcopi, quos tantoperè culpat S. Gregorius Nazianzenus, graviter deliquerint, ſubſcribendo formulæ Conciliabuli Conſtantinopolitani, non tamen in hæreſim lapſi ſunt. Tùm quia formula hæc ſubdolis & ſenſum Catholicum præſeferentibus verbis callidè compoſita erat: ſupprimebat quidem voces *ſubſtantiæ* & *hypoſtaſeos*, quoniam multis erant offenſioni, nec in Scripturis leguntur; at Filio divinitatem apertè videbatur aſſerere, dum ajebat, *ipſum ante omnia ſecula, & ante omne principium ex Deo genitum eſſe.....Deum de Deo, ſimilem Patri, qui ſe genuit ſecundùm Scripturas.* Hæc porrò verba, ut ait S. Gregorius, *ſimplicioribus hominibus illecebra erant.* Unde formulam iſtam ſenſu Catholico intellectam plerique approbaverunt; & id quidem ab ipſis *œconomia quadam factum videbatur*, inquit S. Athanaſius Epiſtola ad Rufinianum ſuprà citata, *ne impiiſſimi homines in ipſorum locum ad Epiſcopatum evecti, Eccleſias corrumperent, populoſque perderent.* Hinc ibidem ait S. Athanaſius, *eos prava fide non fuiſſe corruptos*. Tùm quia ſanctus Hieronymus hoſce Epiſcopos hæreſi nunquam adhæſiſſe teſtatur in Dial. adversùs Luciferianos. Loquens enim de Synodo Alexandrina in qua actum eſt de Epiſcopis in Oriente lapſis, *Poſt reditum Confeſſorum*, inquit, *in Alexandrina poſteà Synodo conſtitutum eſt, ut exceptis auctoribus hæreſeos, quos error excuſare non poterat, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur: non quòd Epiſcopi poſſint eſſe qui Hæretici fuerant: ſed quòd conſtaret eos qui reciperentur, Hæreticos non fuiſſe*. Tùm quia ipſe S. Gregorius Nazianzenus pleroſque illos Epiſcopos ab hæreſis crimine purgat loco citato. *Ea res*, inquit, *permultos è nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit, qui quamvis mente haudquaquam prolapſi fuerint, ſubſcriptione tamen tranſverſi acti ſunt.... ac, ſi non flammæ, fumi certè participes fuerunt*. Hinc liquet quàm plurimos ex illis Epiſcopis mente puros fuiſſe ab omni hæreſis contagione, tametſi fraudulentæ Hæreticorum formulæ ſubſcribendo, quamdam velut fuliginem ex camino contraxerint.

Idem

To.1.p. 415.C. Idem S.Gregorius Nazianzenus Orat. 23. deſcribens graviſſimam perſecutionem quam Conſtantius in Catholicos excitabat, multos variis pœnarum generibus, etiam Epiſcopos, divexatos fuiſſe non diſſimulat. Ergo non omnes hæreſi conſenſum præbuerant, ſed multi in avita fide conſtantes ac firmi ſteterunt. *Quis*, ait ſanctus Doctor, *temporis illius mala pro dignitate deplorare queat? exilia, bonorum proſcriptiones, ignominiæ notas, infinitam hominum multitudinem, atque adeò integras Civitates, quæ in deſertis locis conventus habebant, & ſub dio ærumnis premebantur .... Quis, ut graviora proferam, cruciatus, mortes, actos de Epiſcopis, Monachis, viris, mulieribus, adoleſcentibus ac ſenibus triumphos?*

Idem teſtatur qui vitam ſancti hujus Doctoris ſcripſit præfixam Tomo primo Operum illius. *Plerique*, inquit, *Antiſtites in exilium acti ſunt, multiplicibus tormentis calumniiſque vexati.* Eandem perſecutionem refert Sozomenus Lib.4.cap.26. Igitur nequidem in Oriente omnes Epiſcopi ad Arianam impietatem tunc temporis defecerant.

Solvitur Objectio ex ſancto Hilario.

S.Hilarius Lib.de Synodis n.63.teſtatur fidem Catholicam extinctam penè fuiſſe in Oriente, atque omnes Orientales Epiſcopos, paucis exceptis, in Arianam impietatem prolapſos eſſe tempore Conciliorum Seleucienſis &
p.1186. C. D. Ariminenſis. En verba ſancti Doctoris: *Tantùm Eccleſiarum Orientalium periculum eſt, ut rarum ſit hujus fidei....aut Sacerdotes aut populum inveniri. Malè enim per quoſdam impietati auctoritas data eſt; & exiliis Epiſcoporum ..... vires auctæ ſunt profanorum .... Nam abſque Epiſcopo Eleuſio & paucis cum eo, ex majori parte Aſianæ decem Provinciæ, intra quas conſiſto, verè Deum neſciunt. Atque utinam penitus neſcirent; cum procliviore enim venia ignorarent, quàm obtrectarent. Sed horum Epiſcoporum dolor ſe intra ſilentium non continens, unitatem fidei hujus quærit, quam jam pridem per alios*
p.1187. A. *amiſit .... Ubique autem ſcandala, ubique ſchiſmata, ubique perfidiæ ſunt. Hinc illud eſt, ut ad profeſſionem ſubſcribendæ fidei, aliqui eorum, qui ante aliud ſcripſerant, cogerentur.*

Reſp.1. Vincentium Donatiſtam hoc ipſum ſancti Hilarii teſtimonium Auguſtino objeciſſe, ut efficeret veram Chriſti Eccleſiam ad paucos reſtringi poſſe. *Hilarii Libros*, ajebat S.Auguſtinus Epiſtola 93. aliàs 48. cap.16.
To.2.p. 240.B. n.21. *mihi opponis, uti neges Eccleſiam creſcentem in omnibus gentibus uſque in finem ſæculi, quam Deus contra incredulitatem veſtram cum juratione promiſit .... Sed Hiſtoricus doctus magnum aliquid inveniſti, quod contra Dei teſtimonia proferendum putares. Dicis enim: Quantùm ad totius mundi pertinet partes, modica pars eſt in compenſatione totius mundi, in qua fides Chriſtiana nominatur.* Tùm verò ſanctus Auguſtinus Vincentii objectionem numeris 31. & 32. diluit, reſpondendo non omnes per orbem Epiſcopos, imò nec omnes illarum decem Aſiæ Provinciarum, de quibus ſanctus Hilarius dumtaxat loquitur, hæreſi conſenſiſſe; atque ſancti Doctoris verba, tametſi de omnibus dicta eſſe videantur, de quibuſdam tantùm eſſe accipienda: multos quippè Catholicos tunc temporis ſubditos fidei profeſſionibus Arianorum deceptos communionem cum eis iniiſſe, quòd crederent illos

illos à vera fide non eſſe alienos; dum interim alii acutiores, at numero pauciores, detectis Hæreticorum fraudibus, ſocietatem illorum refugiebant. *Calumniaris docto viro*, ait S. Auguſtinus n. 31. *qui tardicordes & timidos graviter increpabat.... Quis enim neſcit illo tempore obſcuris verbis multos parvi ſenſus fuiſſe deluſos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant.... Quamquam & illi, qui tunc firmiſſimi fuerunt, & verba Hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, ſed tamen etiam ipſi quidam pro fide exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac ſic Eccleſia, quæ per omnes gentes creſcit, in frumentis Dominicis conſervata eſt .... Hilarius ergo decem Provinciarum Aſianarum aut zizania non triticum arguebat, aut etiam ipſum triticum, quod defectu quodam periclitabatur..... Habent enim etiam Scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quoſdam verbum perveniat.* Ibid. p. 244. A. B. Ibid. C. Ibid. D.

Falsò igitur Objectio ſupponit ſanctum Hilarium loqui de omnibus Orientis Epiſcopis, ſiquidem, vel ipſo judice Auguſtino, dumtaxat loquitur de Epiſcopis decem Provinciarum Aſianarum. Hæ porrò Provinciæ erant exigua portio Eccleſiæ Orientalis, nec niſi tertiam partem Patriarchatus Conſtantinopolitani poſteà conſtituerunt. Conſtat autem ex teſtimoniis ſuprà citatis S. Athanaſii & Luciferi Calaritani, pleroſque Epiſcopos aliarum Orientis Regionum fuiſſe tunc temporis Orthodoxos, quod & ipſe Hilarius innuit, cùm agendi rationem & clementiam Epiſcoporum Orientalium erga lapſos approbat.

Et verò ex dictis antea conſtat, Epiſcopos Orientales, qui Semiariani appellantur, in Concilio Seleucienſi aliis Epiſcopis numero ſuperiores fuiſſe. Aderant enim, teſte Hilario Lib. contra Conſtantium n. 12. quinque ſuprà centum, inter quos S. Cyrillus Hieroſolymitanus; Ariani verò non plures triginta quatuor, juxta Socratem Lib. 2. cap. 39. aut triginta ſeptem, juxta Sozomenum Libro 4. capite 22. reliqui circiter quindecim ex Ægypto pro *homouſio* retinendo cum S. Hilario conſtanter pugnabant: illos porrò Semiarianos tanquam fratres habebat S. Athanaſius, ut ſuprà obſervatum fuit. P. 1248 A.

II. S. Hilarius loco citato teſtatur multos illarum etiam Provinciarum Epiſcopos ob ſuam in fide conſtantiam exilio mulctatos eſſe: *Exiliis Epiſcoporum*, inquit, *vires auctæ ſunt profanorum*; non omnes ergo hæreſi conſenſerunt. P. 1186 D.

Ex eodem S. Hilario nobis opponunt hæc verba ex Libro de Trinitate n. 1. *Non ſum*, inquit, *neſcius difficillimo me tempore ſcribere hæc adversùm veſanam impiorum hæreſim, Dei Filium creaturam eſſe affirmantem, aggreſſum fuiſſe; multis jam per omnes fermè Romani Imperii Provincias Eccleſiis morbo peſtiferæ hujus prædicationis infectis*. Ergo omnes ferè Romani Imperii Provinciæ Ariana lue tunc temporis infecti ſunt. Pagina 879. A.

Reſp. hoc unum ex his ſancti Doctoris verbis colligi poſſe, Arianam ſcilicet hæreſim in omnibus ferè Romani Imperii Provinciis tunc temporis ſerpſiſſe quidem; at conſtat ipſam non prævaluiſſe Occidentalibus ſcilicet Epiſcopis (quorum vigilantiam & conſtantiam tantoperè commendat ſanctus Doctor) in id conſpirantibus, ut peſtiferam luem graſſantem extinguerent. Hinc rectè Monachi Benedictini in hunc locum, *Ne quis fortè*,

inquiunt,

portiunculam quamdam, ſed penè orbem totum contaminaverat, adeo ut propè cunctis latini ſermonis Epiſcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur.... Tunc ſiquidem non ſolùm parvæ res, ſed etiam Pa.251. *maximæ labefactatæ ſunt.... Urbes, populi, Provinciæ, nationes, univerſum* A. *poſtremò Romanum Imperium funditùs concuſſum & emotum eſt*. Et capite ſequenti: *Quis ille tam demens eſt, qui eos....non exoptet ſequi....quos pro religioſe* Ibid.D. *vetuſtatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos...nefarias illas novellæ impietatis non litteras, ſed lituras, infuſo cælitus Epiſcopis fidelium lacrymarum fonte, deleret? univerſum poſtremò jam penè mundum ſæva repentinæ hæreſeos tempeſtate perculſum, ad antiquam fidem a novella perfidia... revocaret*. Ergo hiſce temporibus cuncti propè Epiſcopi & univerſus penè mundus Ariana hæreſi fœdati ſunt.

Reſp. Vincentium eò loci Oratorum more amplificare culpam, & numerum augere eorum, qui ſive per vim ſive per fraudem ab Arianis decepti ſunt. Quapropter verba ipſius interpretanda ſunt ex iis quæ Veteres circa rem illam Scriptis nobis tradiderunt. Et certè, ſi quæ ibi refert Vincentius ad verbum accipiantur, non ſolùm omnes penè Epiſcopi, ſed & cuncti propè fideles in hæreſim conſenſiſſe dicendi ſunt; quod ſi ſemel ita ſit, *Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis*, ut verbis utar S. Optati Milevitani Lib. Pag.26. 2. de ſchiſmate Donat. n. 1. *cùm inde dicta ſit Catholica, quòd ſit rationabilis & ubique diffuſa? Nam ſi ſic pro voluntate veſtra in anguſtum coarctatis Eccleſiam; ſi univerſas ſubducitis gentes, ubi erit illud, quod Filius Dei meruit? Ubi erit quod libenter ei largitus eſt Pater in ſecundo Pſalmo dicens, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?*

Et verò totus eſt Vincentius cap. 3. 4. & alibi, ut probet, *hanc unam fidem* Bibl. PP. *veram eſſe, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: & ſi aliqua Eccle-* T. 7. p. *ſiæ particula ſe ab univerſalis fidei communione preciderit, tunc peſtifero corrupto-* 250. *que membro ſanitatem univerſi corporis eſſe anteponendam*. Quomodo ergo ſentire potuiſſet, niſi per ſummam contradictionem, Paſtorum & fidelium maximam partem à vera fide defeciſſe tempore Arianorum?

Adde, Vincentium in loco qui opponitur, apertè innuere maximam Epiſcoporum & fidelium partem in avita fide firmam & conſtantem tunc temporis permanſiſſe. *Tunc*, inquit, *temeratæ conjuges... profanatæ Virgines*, Ibid. p. *dilacerata Monaſteria, diſturbati Clerici....acti in exilium Sacerdotes, oppleta* 251. B. *Sanctis ergaſtula.....quorum pars maxima, interdictis urbibus, protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas....nuditate, fame, ſiti affecti, contriti & tabefacti ſunt*. Et verò eadem ſermonis exaggeratione dixit Vincentius, *cunctos propè latini ſermonis Epiſcopos* hæreſi conſenſiſſe, qua etiam dixit ducentos Epiſcopos, à quibus primùm damnatus eſt Neſtorius, eſſe omnes ferè Orientis Epiſcopos. At certum eſt extitiſſe in Oriente Epiſcopales Sedes 722. Non abſimili exaggeratione utitur Liberius S. P. in Epiſtola ad Orientales, ubi ait omnes Occidentis Epiſcopos Ariminium confluxiſſe, cùm tamen certum ſit 400. dumtaxat Synodo Ariminenſi adfuiſſe. Apud Socratem Lib. 4. cap. 12. pag. 223.

Inſtabis 1. Quæ ibi refert Vincentius Lirinenſis, ea ſtrictè & ad verum accipienda eſſe de generali Epiſcoporum penè omnium defectione, probat hujus Doctoris ſcopus & regula quam ibi ſtatuit. Videlicet cap. 4.

Ibid. p. 250. F. Commonitorii expendit quid facto ſit opus viro Catholico, *Si quando novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur*; univerſaliſque hujus contagionis exemplum profert ex Hiſtoria Arianiſmi, *Quando nempe*, inquit cap. 6. *Arianorum venenum &c.* Hanc autem in tali caſu, ſeu in tanta rerum confuſione regulam ſequendam tradit;
Ib. p. 251. *Tunc providebit* (Chriſtianus Catholicus,) inquit cap. 4. *ut antiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci*. Et cap. 6. loquens de Arianorum tempore: *Tunc*, inquit, *quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipſius peſte maculatus eſt*. Ubi profectò ſupponit totam penè Eccleſiam hæreſi poſſe fœdari, idque circa tempora Concilii Ariminenſis contigiſſe generali quadam omnium propè Occidentis Epiſcoporum defectione; ergo &c.

Reſp. nego antecedens. Namque Vincentii verba ad litteram intelligi non poſſunt de univerſali omnium penè Epiſcoporum defectione, & de generali contagione, quæ totam pariter Eccleſiam infecerit, quin ille Doctor ſecum ipſe manifeſtè pugnet, & principium, quod ibi ſtatuit, funditùs ſubvertat. Nimirum Vincentius ibi ante omnia hoc generale principium ſtatuit, quo veritas Catholica ab errore ſecernatur: videlicet, nullum eſſe dogma verè proprièque Catholicum, quod tres ſimul characteres, ſeu tres notas inſignes non habeat; *univerſitatem*, hoc eſt, communem totius Eccleſiæ per orbem diſperſæ profeſſionem: *antiquitatem*, & in ipſa antiquitate, com-
Ibid. p. 250. col. 2. E. munem Patrum, qui diverſis temporibus floruerunt, *conſenſionem*. *Quod*, inquit cap. 3. *ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt verè proprièque Catholicum: quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia &c.* Ut autem planiora fiant, quæ de tribus illis Catholici dogmatis characteribus præmiſit, eos exemplis ſigillatim illuſtrat. Ac primò quidem ſectandam univerſitatem probat exemplo fidelium Africæ, qui Donati tempore, cùm ſe multa illius Regionis pars Catholici nominis pariter & Religionis immemor, unius hominis ſacrilegam temeritatem Eccleſiæ
Ibid. H. Chriſti præponeret; *Tunc*, inquit, *quicumque per Africam conſtituti, profano ſchiſmate deteſtato, univerſis mundi Eccleſiis adſociati ſunt.....egregiam profectò relinquentes poſteris formam, quemadmodum ſcilicet deinceps bono more, unius aut certè paucorum veſaniæ univerſorum ſanitas anteferretur*. Atque hoc ipſum multoties repetit, & ab omnibus Catholicis diligenter obſervandum
Ibid. p. 261. col. 1. A. inculcat ſub finem Commonitorii: *Catholicæ*, inquit, *Apoſtolicæque Eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem &c.* Hinc idem
Ibid. p. 250. col. 2. F. Vincentius cap. 4. *Quid igitur faciet Chriſtianus Catholicus*, inquit, *ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab univerſalis fidei communione præciderit? Quid utique, niſi ut peſtifero corruptoque membro ſanitatem univerſi corporis antepo-*
Ibid. p. 261. col. 1. A. B. *nat?* Et cap. 38. *Si quando pars contra univerſitatem....rebellaverit: præferant portionis corruptioni, univerſitatis integritatem*.

Hoc verò principio ſemel poſito, totieſque inculcato, quis non videat Vincentium pugnantia locutum fuiſſe, ſi verba ſuperiùs objecta ad litte-

ram

ram accipiantur de integra omnium propè Epiſcoporum defectione, & de univerſali contagione, quæ totam pariter Eccleſiam commaculaverit? Etenim ſi omnes penè Epiſcopi ab avita fide ad novellam perfidiam deſciſcere ſemel ſupponantur; ſi hæreſeos contagio totam pariter Eccleſiam commaculare, ubi erit *Univerſitas*, primus ille & præcipuus dogmatis Catholici character ſecundùm Vincentium? Quid faciet Chriſtianus Catholicus? An portiunculam univerſitati anteponet, membrum univerſo corpori? Ad antiquitatem, inquies, recurrat; antiquam fidem novellæ perfidiæ præferat. Verùm 1. Novatores omnes antiquitatem, imò & Scripturam ipſam ſuis erroribus prætendere ſolent. 2. Quis Judex erit doctrinæ illius antiquæ? Privatus quilibet poſt privatum examen? At quàm pauci hujus examinis ac diſcuſſionis capaces ſunt! Quàm privato Novatorum ſpiritui ac phanatiſmo favet hæc reſponſio!

Inſtabis 2. Quod ibi à Vincentio dicitur de tempore Arianiſmi, illud ab ipſo non obiter & perfunctoriè, aut quaſi aliud agente dicitur, nec ſpectari poteſt ut aliquod verbum, quod huic Auctori incautè exciderit: namque loquitur ex ſyſtemate in omnibus ſecum cohærente; leges tradit, quibus in quovis caſu veritas à falſitate diſcernatur; inter varios caſus eum proponit, in quo novella aliqua contagio non jam Eccleſiæ portiunculam tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam commacularet: hujus caſus exemplum profert ex tempore Arianorum, quo cuncti propè Epiſcopi Latini decepti ſunt; atque in tali caſu hanc regulam ſtatuit, ut nempe antiquitas, *quæ prorſus jam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci*, conſulatur. Atqui *Ibid. p. 250. col. 2. F.* hæc omnia apertè demonſtrant: 1. fieri poſſe, juxta Vincentium, ut hæreſis contagio generalis ſit, & univerſam penè Eccleſiam commaculet. 2. id contigiſſe Arianorum temporibus, cùm ſcilicet cuncti propè Latini Epiſcopi decepti ſunt; ergo &c.

Reſp. ad ſingulas minoris propoſitionis partes.

Ad primam; diſtinguo: fieri poteſt ut hæreſis contagio generalis ſit reſpectu omnium Chriſtiani orbis regionum, per quas nova aliqua hæreſis graſſetur; concedo: reſpectu omnium, aut ferè omnium Eccleſiæ Paſtorum aut fidelium, quaſi ii propè omnes ab avita fide ad hæreſim poſſint deficere, nego. Hæreſis contagio duplici ſenſu dici poteſt generalis: 1. ſi peſtifera lues in omnes orbis Chriſtiani regiones penetret, ſerpat, graſſetur; etiamſi major fidelium & Paſtorum pars in illis regionibus infectis firma, ſtabilis & inconcuſſa in fide permaneat: quo ſenſu ſanctus Hilarius Lib. 6. de Trinit. num. 1. aſſerit omnes fermè Romani Imperii Provincias & Eccleſias morbo peſtiferæ hæreſeos Filium Dei creaturam eſſe affirmantis, infectas fuiſſe; cùm tamen ſanctus Doctor in Lib. de Synodis circa hoc idem tempus exarato, laudibus ad Cęlum extollat Epiſcopos per omnes illas regiones diſperſos, ob firmam, inconcuſſam & imperturbatam eorum in fide avita retinenda & propugnanda conſtantiam. Quo etiam caſu, ſi morbus peſtilens in Provinciam aliquam invadat, ſolemus dicere, regionem illam univerſam peſte infici, etiam ſi non plùs ſextam partem morbus in illa regione afficiat. Secundo ſenſu dici poteſt hæreſeos contagio eſſe generalis, ſi hæreſis non ſolùm per omnes orbis regiones graſſetur, ſed inſuper omnes aut ferè omnes fideles & Paſtores corrumperet. Jam verò Vincen-

tius de contagione univerſali loquitur priore dumtaxat ſenſu; aliàs & ſecum ipſe pugnaret, & unam è præcipuis Eccleſiæ notis, univerſitatem ſcilicet, ipſi detraheret, omnibuſque adverſaretur Patribus, qui Eccleſiam univerſalem eſſe debere, nec ad paucos reſtringi unquam poſſe, adversùs Donatiſtas, Luciferianos alioſque veteres Schiſmaticos & Hæreticos data opera pro-
T. 2. p. pugnaverunt. *Erit anathema*, inquit S. Auguſtinus Epiſtola 93. ad Vincentium
241. A. cap. 7. *quiſquis annuntiaverit Eccleſiam præter communionem omnium gentium*. Et certè Vincentius loco citato non ait, *Quid ſi novella aliqua contagio... totam pariter Eccleſiam commaculet*? Sed, *commaculare conetur*? Quæ ſanè verba ſenſum præferunt longè diverſum ab eo, quem illi Doctori affingunt adverſarii.

Ad ſecundam: Dum Vincentius ait cunctos propè latini ſermonis Epiſcopos partim vi, partim fraude deceptos fuiſſe, hyperbolicè loquitur, & verba ipſius, quamvis dicta videantur de omnibus Epiſcopis Latinis, reſtringenda ſunt ad ſolos Epiſcopos Ariminenſes, quorum numerus erat quidem abſolutè magnus, ſed tamen minor numero Epiſcoporum qui in Occidente Arianis, horumque formulis fortiter reſtiterunt, ut conſtat ex ſuprà dictis, præſertim verò ex teſtimonio Luciferi Calaritani, quod nobis hac in re invictum videtur. Namque Epiſcopus ille ferventiori & amariori zelo accenſus, omnes quotquot ab Arianis, ſive per vim, ſive per fraudem decepti, formulis ſubſcripſerant, velut apoſtatas ſemper habuit, nec eosun-
Bibl. quam, etſi pœnitentes, ad communionem ſuam admiſit. *Lucifer*, inquit
PP. T. Severus Sulpitius Lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ, *in tantùm eos, qui Arimini fuerant,*
6. p. 347. *condemnavit, ut ſe etiam ab eorum communione ſecreverit, qui eos ſub ſatisfa-*
E. *ctione vel pœnitentia recepiſſent*. Nihilominus adversùs Conſtantium ſcribens aliquot menſibus poſt lapſum Ariminenſium, impio Imperatori exprobrat, quòd cùm is nihil non tentaſſet, ut Occidentem perverteret, vani tamen & irriti fuerint illius conatus. *Tua novella prædicatio*, inquit Lucifer, *&*
Bibl. *recens Religio... non ſolùm adhuc limitem Romanorum peragrare non valuit, &*
PP. T. *utique te ſatis agente; ſed & ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus ſci-*
4. p. 243. *licet omnibus Dei famulis à te, atque paucis tuis... tecum manentibus*. Ex quibus
G. verbis apertum eſt, numerum eorum, qui ſive Arianiſmum apertè profitebantur, ſive ab Arianis decepti erant, quales Ariminenſes Epiſcopi, exiguum fuiſſe in comparationem eorum, qui in Occidente veram fidem tunc temporis conſtanter retinebant.

Sed, inquies, cur ergo in ſecundo illo caſu, quem affert, ad ſolam antiquitatem, non ad univerſitatem provocat; niſi quia ſupponit univerſitatem tunc deficere?

Reſp. Vincentium voluiſſe ſingulas dogmatis Catholici notas exemplis explicare & illuſtrare; atque idcirco primum protulit exemplum, quo doceret ſemper ſectari oportere univerſitatem, hocque deſumpſit ex fidelibus Africæ, qui tempore Donatiſtarum, *profano ſchiſmate deteſtato, univerſis mundi Eccleſiis adſociati ſunt, egregiam relinquentes poſteris formam, quemadmodum deinceps paucorum veſaniæ, univerſorum ſanitas anteferretur*. Tùm verò exemplum attulit, quo doceret adhærendum quoque ſemper antiquitati, atque iſtud exemplum repetiit ex fidelibus, qui Arianorum ætate *antiquam fidem novellæ perfidiæ* prætulerunt. Sicut autem dum priore exemplo univerſita-

ſitatem ſequendam docet, nec excludit antiquitatem, ſed ſupponit; ſic pariter dum poſteriore docet antiquitate ſtandum, non excludit univerſitatem. Hinc in fragmento Commonitorii ſecundi, ſummatim repetens quæ fuſiùs antè explicaverat, utriuſque ſimul, univerſitatis ſcilicet & antiquitatis ſectandæ neceſſitatem diſertis verbis commendat: *Diximus*, inquit, *in ipſa rurſus Eccleſia univerſitatis pariter & antiquitatis conſenſionem ſpectari oportere.* *Bibl. PP. T. 7. p. 261. col. 1. B.*

Solvitur Objectio ex Theodoreto.

Theodoretus Lib. 2. Hiſt. cap. 21. apertè ſignificat maximam Epiſcoporum partem circa tempora Concilii Ariminenſis, formulæ fidei à Valente compoſitæ ſubſcripſiſſe. *Alii*, inquit, *metu perculſi, alii fraude inducti ſubſcripſerunt. Quotquot verò conſentire bis recuſarunt, in ultimos orbis fines relegati ſunt.* *P. 101. B.C.*

Reſp. Theodoretum eò loci non de omnibus, ſed de ſolis Epiſcopis Ariminenſibus agere, quorum multos, eo quòd nollent formulam Valentis approbare, Arimino in Nicen Civitatem Thraciæ juſſu Conſtantii deductos eſſe refert Theodoretus, ubi alii metu perculſi, alii fraude inducti ſubſcripſere; cæteri verò, qui aſſentiri noluerunt, in ultimas terrarum oras relegati ſunt. Addit Hiſtoricus initio Capitis ſequentis, eandem *formulam ab univerſis veritatis propugnatoribus, maximè verò ab Occidentalibus reprehenſam fuiſſe*: *Ibid.* tùm ſubjicit Epiſtolam Damaſi & aliorum Occidentalium ad Epiſcopos Illirici ſcriptam.

Solvitur Objectio ex Marcellino & Fauſtino Presbyteris.

Marcellinus & Fauſtinus Presbyteri in Libello quem ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium obtulerunt, teſtantur omnes Epiſcopos, exceptis pauciſſimis, tempore Conciliorum Seleucienſis & Ariminenſis in Arianam hæreſim lapſos eſſe. *To. 5. Bibl. PP. p. 653.*

Similiter Auxentius Mediolanenſis Epiſcopus Arianus, ad Imperatores Valentinianum & Valentem, apud S. Hilarium Lib. contra Auxentium, ſcribit, paucos fuiſſe Epiſcopos qui formulæ Ariminenſi contradixerint. *Ego quidem*, inquit, *æſtimo non oportere ſexcentorum Epiſcoporum unitatem poſt tantos labores ex contentione paucorum hominum refricari ab abjectis ante annos decem*, (loquitur de SS. Hilario & Euſebio Vercellenſi) *ſicut & Scripta manifeſtant.... Ut autem pietas veſtra veriùs cognoſceret ea quæ geſta ſunt in Concilio Ariminenſi, tranſmiſi, & peto ut ea libenter legi præcipiatis. Sic enim cognoſcet ſerenitas veſtra, quia qui jam dudum depoſiti ſunt, hoc eſt, Hilarius & Euſebius, contendunt ubique ſchiſmata facere.* *P. 1270. A. B.* *P. 1272. A.*

Eadem quoque refert Julianus Eclanenſis Epiſcopus, apud ſanctum Auguſtinum Lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum c. 75. *Cùm*, inquit, *ſub Ariano Principe vir pleniſſimæ fidei Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, dilapſo à fide Apoſtolorum omni penè mundo, impietatis temporibus obſtitiſſet..... de ſexcentis & quinquaginta, ut fertur, Epiſcopis, vix ſeptem inventi ſunt, quibus cariora eſſent Dei præcepta, quàm Regis.* *T. 10. pa. 919. C.*

Reſp. In præſenti cauſa non eſſe audiendos Marcellinum, Fauſtinum,

Auxentium & Julianum. Etenim Marcellinus & Fauſtinus Luciferianorum Schiſmati pertinaciter addicti ab Eccleſia receſſerant, quòd ipſa in ſinum ſuum & in gradum priſtinum recepiſſet Epiſcopos tempore perſecutionis lapſos. Unde mirum non eſt, ſi his cæteriſque Catholicis Epiſcopis à quibus ſchiſmate disjuncti erant, hæreſeos crimen impoſuerint. De duobus illis Schiſmaticis ſic ſcribit S. Hieronymus initio Dialogi adversùs Luciferianos: *Proximè accidit ut quidam Luciferi ſectator, cum alio Eccleſiæ alumno odioſa loquacitate contendens, caninam facundiam exercuerit. Aſſerebat quippe univerſum mundum eſſe diaboli; & , ut jam familiare eſt eis dicere, factum de Eccleſia lupanar.*

To. 4. part. 2. p. 289.

Quod ſpectat ad dictum Auxentii, rectè Monachi Benedictini in admonitione in Librum ſancti Hilarii contra hunc Hæreticum, *Ea verba*, inquiunt, *ſunt Hæretici in æſtu diſputationis, qui quò meliorem cauſam ſuam faciat, hyperbolicè loquitur: quomodo proximè ante Ariminenſis Concilii (quod Sulpitio teſte, eique conſentiente S. Athanaſio, non multi ſuprà quadragintos, imò juxta Maximinum Arianum, trecenti & triginta dumtaxat convenere,) ſexcentorum Epiſcoporum unitatem jactitare non erubeſcit.*

P. 1262. n. 5.

Denique Julianus unus fuit è Pelagianorum anteſignanis, quorum maximè intererat conceſſum Eccleſiæ non errandi privilegium denegare. Aliunde verò Hæreticus iſte falſi manifeſtè convincitur, dum in loco citato ait, Patres Ariminenſes numero ſexcentos & quinquaginta fuiſſe; & ideo Trinitatis confeſſionem negaſſe, ne Athanaſiani vocarentur.

Apud Aug. T. 10. pa. 919. D.

Solvitur Objectio ex Socrate & Sozomeno.

Narrant duo illi Hiſtorici, etiam poſt finitum Ariminenſe Concilium & Epiſcoporum diſceſſum, formulam Ariminenſem in omnes Occidentis Eccleſias, juſſu Imperatoris, ut ſubſcriberetur, directam fuiſſe. Ergo tunc temporis impietas Ariana omnes Occidentis Eccleſias occupavit.

Socrates Hiſt. Lib. 2. cap. 37. *Imperator*, inquit, *jam quidem antea in animo habebat, opinionem Arii per omnes Eccleſias diſſeminare. Tum verò maximè ſtudens id perficere, ut illa reliquis omnibus prævaleret, diſceſſum Epiſcoporum contumeliam ſuam interpretatus eſt: contemptum ab illis ſe dicens, eo quòd præter ipſius ſententiam Concilium diſſolviſſent. Quapropter Urſacio ac Valenti eorumque aſſeclis, quidvis contra Eccleſias agendi liberam poteſtatem dedit. Expoſitionem autem fidei quæ lecta fuerat Arimini, ad Eccleſias Italiæ mitti juſſit: mandans ut quicunque ei ſubſcribere nollent, pellerentur Eccleſiis, & in eorum locum alii ſubſtituerentur. Et primus quidem Liberius Romanæ urbis Epiſcopus, cùm fidei illi conſenſum accommodare renuiſſet, in exilium mittitur, Felice in ejus locum ab Urſacianis ſuffecto.*

P. 140. B. C.

Reſp. 1. deceptum fuiſſe Socratem, cùm ſcripſit Epiſcopos Ariminenſes ſoluta Synodo formulæ fidei Arianorum ſubſcripſiſſe. Longè veriſimilius eſt eos, ſtante adhuc Synodo, tædio variiſque ærumnis affectos tandem ſubſcripſiſſe formulæ, quam paulò antè conſtanter rejecerant. Namque conſtat ex S. Hieronymo aliiſque monumentis antea laudatis, Patres illos Ariminenſes ſtatim à Concilio, ubi Urſacianorum triumphos audivere, fraude detecta, errorem ejuraſſe, cæteroſque per orbem diſperſos Epiſcopos perfidiam Arianam

nam

nam multis in Conciliis proſcripſiſſe. Id etiam manifeſtè conſtat ex Confeſſione Euſtathii, Silvani ac Theophili apud Sozomenum Lib. 6. Hiſt. cap. 11. *Anathema præcipuè dicimus* (ajunt) *Ario, & iis quæ in Ariminenſi Synodo geſta ſunt contra prædictam fidem ſancti Concilii Nicæni, quibus ab oppido Thraciæ Nice allatis, dolo ac perjurio circumventi, Conſtantinopoli ſubſcripſimus.* Pag. 651. D.

Sozomenus Lib. 4. cap. 19. duplicem, eamque diverſam hujuſce facti relationem commemorat. *Jam verò*, inquit, *quemadmodum formulæ à Valente & Urſacio prolatæ poſtea conſenſerint, commemorandum eſt; quod quidem diverſimodè relatum comperi.* Narrat deinde, nonnullos ſenſuiſſe, ſtante Synodo, alios verò, ea ſoluta, Epiſcopos dictam formulam approbaſſe. Prior verò narratio longè magis ad verum accedit, ut dictum eſt. Pag. 568. C.

Reſp. 2. etiam admiſſa Socratis narratione, hoc unum ſequi, nempe Conſtantium imperaſſe quidem ac tentaſſe, ut omnes Arianæ formulæ acquieſcerent, ſed fruſtra & incaſſum. Tot quippe Epiſcoporum, Presbyterorum, ac populorum reſiſtentia, etiam intentatis exilii aliorumque ſuppliciorum pœnis, & firmam ac conſtantem eorum in doctrina Catholica retinenda fidem, & Imperatoris impium ac irritum conatum clariſſimè demonſtrant.

Expenditur factum Honorii Summi Pontificis.

Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus datis ad Honorium Summum Pontificem Litteris refert, Cyrum Alexandrinum in reducendis ad unitatem fidei Hæreticis, qui in Ægypto, Thebaide ac Lybia verſabantur, feliciter allaboraſſe, propoſitis novem doctrinæ Capitibus, quorum ſeptimum erat, unam dumtaxat in Chriſto operationem eſſe; Sophronium verò tunc ſimplicem Monachum, deinde Patriarcham Hieroſolymitanum, adversùs Cyrum ſtrenuè pugnaſſe pro duplici in Chriſto voluntate & operatione. Addit, periculum eſſe ne hujus novæ quæſtionis occaſione pax & concordia Eccleſiæ turbetur, ac difficilior fiat Hæreticorum ad Eccleſiam reditus: ſibi longè conſultius videri, ſi ex utraque parte ſilentium imponeretur; quandoquidem nec Scriptura, nec ulla Eccleſiæ definitione conſtat, aut unam, aut duas in Chriſto dicendas eſſe voluntates, *quas*, ait Honorius Summus Pontifex, *neque Evangelicæ vel Apoſtolicæ Litteræ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita, viſe ſunt terminaſſe.* Hujus ſilentii obtentu patentem ad errorem Monothelitarum aditum diſſeminandum apertum fuiſſe, eventus ipſe comprobavit. Viam hanc ſilentii à Sergio propoſitam probavit & amplexatus eſt Honorius: hinc in ſuſpicionem erroris adductus, ac ſaltem velut hæreſeos fautor à ſexta Synodo anno Chriſti 680. damnatus fuit. *Epiſtola Honorii T. 6. Conc. p. 932. A.*

Magnum ex illo Honorii facto cauſæ ſuæ præſidium repetunt, qui nobis hic adverſantur; ac duo inde probare nituntur: primum, longè majorem Epiſcoporum tùm Orientis tùm Occidentis partem unà cum Summo Pontifice Honorio, errori Monothelitarum conſenſiſſe: alterum, ex ſilentio Epiſcoporum Occidentalium circa Epiſtolam Honorii, malè inferri eam probatam ab illis ac receptam fuiſſe; adeoque caſſum ac nullum eſſe argumentum, quo ex ſilentio Epiſcoporum tacitus illorum conſenſus eruitur.

Tria ſunt quæ hic in quæſtionem veniunt.

Primum, utrum Honorius S. Pontifex in errorem Monothelitarum lapſus revera fuerit.

Secundum, utrum Epiſtola Honorii ad Sergium vim habeat & auctoritatem Apoſtolicæ definitionis.

Tertium, utrum major pars Epiſcoporum Orientis & Occidentis dictam Epiſtolam cognoverit, ac tacito ſaltem, ut vocant, conſenſu approbaverit.

Utrum Honorius in errorem Monothelitarum lapſus reipſa fuerit.

Theologi ferè omnes Honorium ab errore vendicant; quamquam fateantur, ſuo ſilentio ſeu intempeſtiva ſua diſſimulatione, errori impenſiùs illum faviſſe.

Hoc certum: Honorium à ſexta Synodo generali perſtrictum ac damnatum fuiſſe. Qua verò præciſè de cauſa? Controvertitur. S. Maximus Honorio coætaneus, id errore facti contigiſſe arbitratur, nempe ex malè reddita in Græcum ſermonem, quæ latinè ſcripta fuerat, Honorii Epiſtola, ſive fraude, ſive inſcitia aliquorum Græculorum id obtigerit. *Veri-*
T. 2. p. 132. *ſimile eſt*, ait S. Maximus Tomo dogmatico ad Marinum Presbyterum, inter Opuſcula Theologica, *eos mentiri ac ſubdere, quod ille in ſuis verè Sermonibus non ſcripſit; hocque moliri adverſarios, ut opinioni ſuæ, quæ planè non optima ſit, ex viri Litteris velamentum quærant, quas contra ejus mentem malè*
Ib. p. 130. *interpretantur*. Unam ſcilicet dixit Honorius in Chriſto voluntatem, *quia à Deitate aſſumpta eſt natura noſtra, non culpa*; (ſunt verba Honorii) *hoc eſt*,
Ib. p. 131. ait S. Maximus, *non ex peccato..... Hoc enim ſolùm ſpectat, ut libidinoſam ac vitiatam, non ut naturalem voluntatem à Salvatore eliminaret; quodque in naturali quoque ac humana illi cum Patre ac Deo voluntate conveniret, nulla cum eo ex repugnantia univerſitate*. Atque hunc verum ac genuinum eſſe Honorii ſenſum oſtendit tum ex Abbate Anaſtaſio, tùm ex amanuenſi cujus opera uſus eſt Summus Pontifex ut ſuam ad Sergium Epiſtolam exararet. *Ego quidem*,
Ib. p. 132. pergit ſanctiſſimus Martyr, *ſic ſe habere ſenſum exiſtimo, ab omni planè ſuſpicione purum. Certiorem autem ipſum reddidit ſanctiſſimus Presbyter Dominus Abbas Anaſtaſius, è ſeniore Roma reverſus, vir, ſi quis alius, divina virtute ac prudentia ornatus; qui & dixit, diu ſe multùmque cum magnæ illic Eccleſiæ ſacratiſſimis viris ſermonem contuliſſe, ejus, quam ad Sergium ſcripſerant, Epiſtolę gratia: ſciſcitando, quid cauſę eſset, ac quomodo una illi voluntas inſerta eſset: inveniſſeque ejus rei cauſa dolentes, ac excuſantes; prætereaque, qui jubente Honorio hanc latinè dictaverat, ſanctiſſimum Abbatem Joannem, ei ab Epiſtolis adjutorem, affirmantem, nullo modo in ea per numerum unius prorſus voluntatis mentionem feciſſe, licèt hoc nunc ab eis confictum ſit, qui Epiſtolam græcè reddiderunt. At neque ullo modo abolendam ſeu excludendam cenſuiſſe naturalem Salvatoris, qua homo eſt, voluntatem; ſed eam dumtaxat quæ noſtra eſt, atque vitii labem habet, penitus eliminaſſe ac ſuſtuliſſe.*

Et in diſputatione cum Pyrrho, reſpondens ſanctus Doctor objectio-
Ib. p. 181. ni quam Pyrrhus ex Honorii Epiſtola ducebat, vult legitimum illius ſenſum ab eo reſciendum eſſe qui Honorii juſſu Epiſtolam illam adornavit.

Quis,

Quis, inquit, *fide dignus iſtiuſmodi Epiſtolæ interpres*, *is*, *qui eam ex perſona Honorii ſcripſit*, *cùm & adhuc vitæ ſuperſtes ſit*, *ac qui cum aliis ſuis virtutibus*, *pietatis dogmatibus omnem Occidentem illuſtrat*; *an ii*, *qui Conſtantinopoli loquuntur quod in mentem venit* ? . . . . *Is igitur ipſe cùm ad ſanctum Conſtantinum Imperatorem* , *ex perſona rurſus ſancti Joannis Papæ de hac Epiſtola ſcriberet*, *dixit*: „ Unam voluntatem diximus in Domi- „ no, non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis dumtaxat . „ Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quòd quidem duas voluntates in Chriſto „ contrarias dicerent, reſpondit: unam voluntatem diximus Chriſtum „ non duas contrarias voluntates habuiſſe, carnis ſcilicet & ſpiritus, ſi- „ cut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter „ ejus humanitatem inſigniret „ Nihil certè ad ſanam Epiſtolæ Honorii interpretationem aptius, commodius nihil ac illuſtrius proferri poteſt.

Verùm quidquid ſit de mente ac ſententia Honorii , ſive Monothelitarum errori conſenſerit, ſive ſilentio tantùm faverit, hac inpræſentiarum miſſa controverſia, dato & non conceſſo Honorium erraſſe , nobis ad præſens inſtitutum ſatis eſt demonſtraſſe, majorem Epiſcoporum tùm Orientis, tùm Occidentis partem, cum Honorio errorem contra fidem non propugnaſſe.

Utrum Epiſtola Honorii ad Sergium vim & auctoritatem habuerit dogmaticæ & Apoſtolicæ definitionis.

Obſerva dogmaticam & Apoſtolicam æſtimari de fide vel moribus definitionem, quæ à Romano Pontifice, virtute & auctoritate ſuæ Sedis, fuſis ad Deum precibus , conſulta & ſedulò expenſa Eccleſiæ ſuæ Romanæ Traditione , rogata Cardinalium , ſeu Concilii ſui ordinarii ſententia , promanat , & toti Eccleſiæ velut regula ad obſervandum proponitur . *Pontifex quippe*, vel ipſo judice Bellarmino Lib. 1. de Conc. cap. 11. *non debet ſolo ſuo judicio fidere* , *aut expectare divinam revelationem* , *ſed adhibere diligentiam quantam res tanta poſtulat*, *& ordinaria media*.; *& tum demum expectare aſſiſtentiam Spiritus ſancti & directionem divinam*. To. 1. p. 8. col. 1. C.

Dico igitur Honorii ad Sergium Epiſtolam, publicam & dogmaticam non continere fidei definitionem quæ ad omnes fideles pertineat , ſed privatam dumtaxat, atque ex quadam œconomia & politia hujus Summi Pontificis de ſilentio imponendo ſententiam.

Probatur: Quia ea Epiſtola nec dogmatica eſt, nec publica, ſed privata dumtaxat , & ſolius œconomiæ ſeu politiæ , quæ nec ſpeciale aliquod dogma determinat, nec ad omnes fideles dirigitur: atqui talis eſt Epiſtola Honorii ad Sergium; ergo &c.

I. Ad omnes fideles eam directam non fuiſſe, probat vel una inſcriptio , quæ eſt ad Sergium: probat, quòd Epiſtola Honorii non aliunde quàm ex Scrinio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ deprompta fuerit, autographum ipſum Latinum cum Græca interpretatione: ad unum ergo Sergium miſſa fuerat , & ab eo recondita in Archivio Eccleſiæ ſuæ; unde tardiùs hinc educta, annis ferè poſt mortem Honorii quadraginta, diu incognita latuit, etiam in Act. 12. Conc. 6. Tom. 6. Conc. p. 928.

Orien-

Oriente. Non ita certè eſt de iis Summorum Pontificum Litteris quæ ad fidem pertinent, videlicet, Anaſtaſii, Innocentii, Zozimi, Cæleſtini, Leonis &c. quæ licet ad aliquos nominatim dirigantur, quia tamen publicum dogma continent, per orbem totum Chriſtianum, Orientem, Occidentem, diffunditur, ac vim & auctoritatem publicæ legis obtinent. Accedit quòd Summi Pontifices, ſive ante, ſive poſt Honorium, ſummo conſenſu affirmant, Eccleſiæ ſuæ Romanæ datum à Chriſto non errandi privilegium. Iſtud porrò etiam tempore Honorii integrum perduraſſe non aliter defendere poſſunt, quàm quòd Honorius in ſua ad Sergium Epiſtola, non publicam ex auctoritate Sedis Pontificiæ, ſed privatam dumtaxat Doctoris perſonam ſuſtinuerit.

II. Epiſtolam Honorii dogmaticam non eſſe, ſed dumtaxat œcumeniæ ac politiæ cujuſdam.

Probatur 1. Quia nullum novum dogma fidei proponit aut determinat, niſi hoc unum, quod veriſſimum eſt, & de quo nulla movebatur controverſia; duas ſcilicet in Chriſto naturas eſſe diſtinctas, inconfuſas & impermixtas, divinam nempe & humanam: Chriſtum operari divina & humana; non tamen duas in ipſo eſſe voluntates & operationes contrarias ac ſibi mutuò adverſantes; humanam, ſeu naturalem ejus voluntatem vitiatam non eſſe nec corruptam, qualis noſtra eſt: *Quia*, inquit, *à divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa*. Hoc capitali dogmate in tuto poſito, cùm intelligeret Summus Pontifex Cyrum Alexandrinum ex una parte, unam dumtaxat in Chriſto voluntatem & operationem prædicare; Sophronium ex altera, duas; Sergium verò, nec unam nec duas dicendas, ſed ſilentium eam in rem ſervandum eſſe putaret, Honorius œconomiæ cauſâ & animo ſervandæ pacis, viam ſilentii, quam Sergius aperuerat, probavit & ſequutus eſt, ratus *novas eſſe vocum quæſtiones*, laudatque Sergium, *novitatem vocabuli auferentem*; ac prohibet, *ne quis vel duas energias, vel unam audeat prædicare, quas*; *inquit*, *neque Evangelicæ vel Apoſtolicæ Litteræ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita, viſæ ſunt terminaſſe* .... Neque æquum ſit, *ad Eccleſiaſtica dogmata trahere, quæ unuſquiſque in ſenſu ſuo abundans videtur ſecundùm propriam ſententiam explicare*. Quibus certè verbis apertè ſignificat nihil ſe eam in rem definire. Quòd *Dominus Jeſus Chriſtus*, pergit ibidem Honorius, *ſit unus operator divinitatis, atque humanitatis; plenæ ſunt ſacræ Litteræ* ... *Utrum autem propter opera divinitatis, & humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare*. Addit ibidem: *ſecundùm ſanctiones divinorum eloquiorum oportet ſapere vel ſpirare, illa refutantes, quæ novæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur, aut certè, ſi rurſus unam operationem Domini noſtri J. C. fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*. Hæ profectò cauſæ ſunt & rationes, quibus motus eſt Honorius, ut œconomiæ cujuſdam ac politiæ cauſâ, ſilentium utrique parti imponendum æſtimaret.

Probatur 2. Quia Sophronius ipſe, ſtrenuus ille erroris impugnator, ac Catholicæ fidei vindex acerrimus, miſſis ad Honorium Legatis, re diligenter expenſâ, Honorio ſilentium imperanti acquievit.

Tom. 6. Conc. p. 929. B.

Ibid. p. 928. B.

Ibid. p. 932. A.

Ibid. B.

Ibid. D. E.

An

An porrò acquieviſſet, ſi pro comperto habuiſſet ſilentium illud in ipſo Pontifice errorem tegere ac fovere? Non puto. Conſtant iſta ex ſecunda Honorii ad Cyrum & Sophronium Epiſtola quæ refertur Actione 13. Synodi ſextæ generalis, ubi ſic loquitur Pontifex: *Scribentes etiam communibus fratribus Cyro, & Sophronio Antiſtitibus, ne novæ vocis, id eſt, unius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere, vel immorari videantur: ſed abraſa hujuſmodi novæ vocis appellatione, unum Chriſtum Dominum nobiſcum in utriſque naturis divina vel humana prædicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos prædictus frater & Coepiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulo deinceps prædicare innitatur, quod inſtantiſſimè promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & Coepiſcopus noſter, ab unius operationis vocabulo diſceſſerit.* Ibid. p. 968. p. 969. C.

Probatur 2. Conſtat, ut jam vidimus, tùm ex Anaſtaſio Abbate, tùm ex ipſomet Honorio, excitatam de una vel duplici in Chriſto voluntate & operatione quæſtionem, diſcuſſam Romæ fuiſſe ſimul & à Deputatis Sophronii, & à Clero Romano, inter quos nullus reclamavit, nullus fidem Pontificis in ſuſpicionem adduxit; ne unus quidem ejus Epiſtolæ vel ſententiæ auctoritate ad ſectam Monothelitarum attractus legitur: non ſub ipſo, non ſub Severino, non ſub Joanne & Theodoro ejus ſucceſſoribus, vel Romæ, vel in Italia, vel in Africa, vel in Occidente, quiſquam hujus erroris contagione infectus apparet; quod quidem invictè probat, iis omnibus tunc temporis ante ſextam Synodum perſuaſum fuiſſe, ſanam & puram eſſe Honorii fidem, nec quidquam ab ipſo in Epiſtola, quam ad Sergium ſcripſit, de dogmate pronuntiatum, ſed uno dumtaxat pacis ſervandæ ſtudio ex œconomia impoſitum circa excitatam controverſiam ſilentium.

Accedit ad confirmationem, quòd multis in Conciliis damnati fuerint, Cyrus, Sergius, Paulus, Pyrrhus. Primates Africani, Stephanus Numidiæ, Reparatus Mauritaniæ, Victor Carthaginenſis, totidem Synodos collegere, quibus mox appellatos Monothelitarum Coriphæos damnavere; de Honorio altum ſilentium: aliis dictum anathema, non item Honorio. Intempeſtiva profectò ac periculoſa diſſimulatione, ſi reipſa Honorius parem cum aliis errorem in ſua Epiſtola docuiſſet, ac hæreticam evulgaſſet definitionem.

Dices 1. Ex mox dictis, quæſtio de una vel duplici in Chriſto voluntate Romæ quaſi Synodicè ventilata & expenſa fuit, tanquam dogmatica quæſtio ad fidem pertinens; & ita quidem eam nuncupat Synodus ſexta generalis: *Oportet*, ait Actione 12. *ad nos afferri regeſta ac dogmatica ſcripta . . . quæ ſunt ab Honorio ad Sergium facta ſuper preſenti quæſtione dogmatica*. Et reipſa Synodus Scripta hæc hæretica pronuntiat, & flammis jubet abſumi. Ibid. p. 933. B.

Reſp. nego quæſtionem in Epiſtola Honorii expreſſam velut dogmaticam habitam fuiſſe ab iis qui eam Romæ expenderunt; quaſi quæ ad diſciplinam & œconomiam pertinent, in examen & quæſtionem adduci non deberent, an expediant, vel non. Equidem ſexta Synodus errore facti decepta ob perverſam Epiſtolæ Honorii è Latino in Græcum ſermonem translationem, exiſtimavit Honorium reipſa unam in Chriſto voluntatem, non duas admiſiſſe: at de facto, teſtantibus Anaſtaſio Abbate, & ipſo Honorii amanuenſi qui Epiſtolam ſcripſit, in primigenio autographo dictæ Epiſtolæ non legebatur unam eſſe in

Chriſto

Chriſto voluntatem, ſed tantùm duas non eſſe, nempe contrarias ac ſibi repugnantes. Quapropter, licèt iſta quæſtio in ſe conſiderata ad fidem revera pertineat, ac ſic judicaverit ſexta Synodus; non is tamen Honorio & aliis multis ſenſus & animus fuit, qui ſalva duplicis in Chriſto inconfuſæ & impermixtæ naturæ diſtinctione, putavit in iis in quibus verſabatur circumſtantiis, abſtinendum eſſe ab una vel duplici aſſerenda voluntate. Sexta quidem Synodus, inſpecta, quam præ oculis habebat, Epiſtolarum Honorii verſione ſeu interpretatione Græca, quæ falſum & erroneum ſenſum præſeferebat, jure ac meritò tanquam hæreticam damnavit Honorii doctrinam: at, ut dictum eſt, error erat facti; quia reipſa talis expreſſa non erat Honorii in ſuis autographis Epiſtolis Latinè ſcriptis, ſententia & doctrina.

Dices 2. Honorius idem omnino ſcripſit & eodem modo locutus eſt ac Sergius: uterque duas contrarias voluntates dumtaxat excludere videbatur: uterque ſilentium imponendum cenſebat. Atqui tamen jure ac meritò damnatus fuit Sergius. *Anathematiſari prævidimus*, ait ſexta Synodus in ſententia adversùs Sergium & Honorium, *eo quòd invenimus per ſcripta ejus, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium; quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* *Ibid. p. 914. E.*

Reſp. perverſam & hæreticam Sergii mentem apertè ſatis patuiſſe ex Conciliis quæ celebravit, ex inſidiis quas ſtruxit Dorenſi Epiſcopo quem Sophronius Romam deſtinaverat, ex perſecutionibus, quibus Catholicos miſerè vexavit. Doli ergo ac fraudis plenum erat ſilentium quod Sergius ſervandum eſſe contendebat; nempe ut tempori ſeſe accommodaret, ac tutiori & promptiori via poſſet ſubinde errorem diſſeminare: non ita Honorius, qui bono quidem, ſed paulò faciliori, ac minùs cauto animo, ſilendum ea in quæſtione voluit; nondum ſatis in dolis ac fraudibus Hæreticorum detegendis eruditus & exercitatus. Neque enim Honorium ab omni culpa hìc immunem omnino purgare volumus.

Utrum major pars Epiſcoporum, tùm Orientis tùm Occidentis, Epiſtolam Honorii cognoverit, & probaverit expreſſo vel tacito conſenſu.

Reſp. 1. quæſtionem iſtam inutilem planè ac otioſam videri erga illos Theologos quibus perſuaſum eſt Honorium non erraſſe. Eſto, inquiunt, ad notitiam Orientalium & Occidentalium pervenerit illius genuina ad Sergium Epiſtola; eò magis accepta & probata inde dicenda erit, quò magis cognita & non reprehenſa.

Et verò, eò deveniant neceſſe eſt quotquot hoc ipſo imprimis Honorii exemplo utuntur, ut probent Eccleſiam in ſuo de factis dogmaticis Judicio falli & errare poſſe: ſic enim illi præjudicant puram & ab omni erroris labe immunem fuiſſe Honorii fidem. At, inquies, nonne à VI. VII. & VIII. Synodis damnatus eſt Honorius? Ita eſt, reponunt: ſed errore facti, quia nempe adulterata & interpolata Honorii Epiſtola ipſis Patribus oblata fuit, pro genuina & ſincera. At nonne educta illa fuit, inquies rurſum, ex Archivio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ? Quid tum? Quaſi à Græcis interpolari & corrumpti non potuerit in patrocinium erroris quem tuebantur? At ſaltem

ſexta

Digitized by Google

ſexta Synodus hac ſua in Honorium cenſura, tametſi errore facti lata ſupponatur, ſignificat, exiſtimare ſe Romanum Pontificem errare contra fidem, & cenſuræ ſubjici poſſe. Eſto, inquiunt, ita ſit: at de multitudine Epiſcoporum id nunquam ſexta aut alia qualibet generalis Synodus pronuntiavit. Hic verò quæſtio movetur de majori Epiſcoporum numero; an ſimul cum Pontifice Romano poſſit à fide deficere.

Reſp. 2. Ut ſententia eorum qui Honorium contra fidem reipſa peccaſſe, ac multò majorem Epiſcoporum partem ei adhæſiſſe arbitrantur, dilucidè intelligatur, duo ſunt diſtinguenda tempora, nimirum ante, & poſt ſextam Synodum. Honorius Epiſtolam ad Sergium ſcripſit anno 634. anno verò 638. moritur. Vacat per menſes novendecim Sedes Apoſtolica: Synodus verò ſexta habita eſt anno 680. annis 40. à ſcripta Honorii Epiſtola.

Certum eſt 1. poſt ſextam Synodum Epiſtolam Honorii omnibus Orientalibus & Occidentalibus pervulgatam & cognitam fuiſse; atque Summos Pontifices, quotquot ſubſecuti ſunt, cenſuræ in Honorium latæ adhæſiſse.

Certum eſt 2. ante ipſam ſextam Synodum, Epiſcoporum multitudinem publicè ac ſummo zelo adverſùs hæreſim Monothelitarum inſurrexiſſe, ſicut
invictè probant benè multa Conciliorum, Epiſcoporum, Abbatum, Presbyterorum monumenta, quæ referuntur in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *Tom.6.*
anno 1649. Ab iſta igitur ætate & aliquanto antè, ad ſextam uſque Synodum *Conc.p.*
generalem, fingi non poteſt, niſi per ſummam abſurditatem, majorem Epiſ- 112.
coporum partem Monothelitis aſſenſiſſe. Tota igitur difficultas eò devolvi- 121.
tur, utrum ſpatio annorum circiter decem à ſcripta Honorii Epiſtola, præva- 128. 137.
luerit Monothelitarum error apud omnes ferè, paucis admodum exceptis, In quo
Orientales & Occidentales Epiſcopos. poſita

Baronius ad annum Chriſti 639. de Orientalibus affirmare videtur, cùm re- ſit præ-
ferr fidei expoſitionem ab Heraclio editam, ab Epiſcopis Patriarchalium Se- ſès quæ-
dium ultrò admiſſam fuiſſe. *Quam*, inquit, *cum multa ſatisfactione & gratia* ſtio.
exceperunt Patriarchalium Sedium Præſules, & gratanter ei conſenſerunt .... De
Cùm in Oriente impietas prævaleret. At longè abeſt Baronius ut dicat, ſimul Orientalibus.
cum illis lapſum fuiſse Honorium. Quamquam per illos *Sedium Patriarcha-* *Edit.*
lium Præſules, ſolos Patriarchas, non autem omnes, qui ſub illis erant, Epiſ- *Antu-*
copos, Baronium intellexiſse, non immeritò dici poſset. Ignorat enim ne- *erp.T.8*
mo, Epiſcopos interdum ſententia diſcrepare ac diſſidere à ſuis Patriar- *p.* 351. D.
chis, Primatibus vel Metropolitanis quibus ſubjiciuntur. Neque levis hæc *p.* 349. A.
conjectura eſt in præſenti Monothelitarum cauſa, ſed certa probatio, quam
ſuppeditat Theodorus Papa I. in Epiſtola Synodica ad Paulum Patriarcham
Conſtantinopolitanum, ubi dilgenter jubet inquiri in culpam Pyrrhi. *Primò*
quidem, inquit, *quoniam Heraclium*, (Imperatorem) *qui anathematiſavit* *Tom.5.*
inviolabilem Orthodoxorum Patrum fidem, diverſis laudibus extulit, & ſophi- *Conc.p.* 1779.
ſticam juſſionem ipſius, in qua quaſi Symbolum fidei compoſuit, ſubſcribendo B.
firmavit, furtiviſque ſurreptionibus quoſdam Sacerdotes apud ſe ſingulatim prædictam chartam (Ecthesim) *roborare coegit*. Quoſdam, ait, non omnes.
Idem prorſus colligitur ex Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Actione *To.2.p.*
ſeu Secretario primo, ubi de Sergio dicitur: *Sergius autem illicitè præſu-* 75. *col.*
mens Ecthesim, quam præ foribus Eccleſiæ ſuæ ſuſpendens, divulgare 1.
ſtuduit;

ſtuduit; & non ſolùm hoc, ſed & per ſuam ſententiam cum quibuſdam ab eo ſubreptitiis modis deceptis Epiſcopis in ſcripto firmavit. Igitur per Præſules Sedium Patriarchalium Baronius intelligit Patriarchas ipſos, non omnes, qui ſub Patriarchatu ſunt, Epiſcopos.

Et verò S. Maximus Epiſtola ad Petrum Illuſtrem, teſtatur quo tempore Cyrus & Sergius primùm impietatem ſuam evulgarunt, Eccleſiam
To.2.p. tranquillam & pacificam fuiſſe. *Erat*, inquit, *domus omnium per divinam*
75. col. *concordiam & unanimitatem in unum Dei favente gratia in univerſitate, quæ*
1. *ſub Sole conſiſtit, pacifica & tranquilla fide munitis Eccleſiis. Hi verò qui horum invidebant conſonantiæ . . . repente contra veram Chriſtianorum fidem excogitaverunt Ecthesim*.

Quis porrò facilè intelligat, Epiſcopos omnes Orientis potuiſſe tam ſubitò ab avita fide ad errorem traduci? Non ita profectò comparatus eſt hominis animus: paulatim ſerpit error, nec ſtatim omnes occupat. Equidem, ſi ei non obſiſtitur, magnos progreſſus facit: ſed reipſa ſtrenuè ac conſtanter Cyro & Sergio obſtitit Sophronius cum ſuis: obſtitere Summi Pontifices Seve-
Ib. col. rinus, Joannes, Theodorus; obſtitere fideles omnes. Audiatur idem S. Ma-
2. ximus loco mox citato. *Quid autem*, pergit, *& divinus Honorius; quid verò & poſt illum Severinus ſenex; quid denique & is, qui poſt hunc extitit, ſacer Joannes? Porrò is qui nunc præſidet beatiſſimus Papa, omiſit quidquam ſupplicationi conveniens? Nonne Oriens totus & Occidens lachrymas, lamenta, obſecrationes, deprecationes ex æquo tam Deo per orationes, quam his per Epiſtolas offerebant?*

Stephanus Dorenſis Epiſcopus, quem Sophronius Romam deſtinaverat, ut Romanum Pontificem de his quæ in Oriente agebantur, certiorem faceret, narrat in prima Concilii Lateranenſis Actione, quomodo Legationem illam urgente Sophronio ſuſceperit; quot inſidias tetenderint adverſarii; quot ab ipſis mala perpeſſus. *Quantocyus*, ajebat Sophronius, *de finibus terræ ad terminos ejus* (Romani Pontificis) *deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem*,
Tom.6. Conc.p. 104. E. *ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias, non ſemel, non bis, ſed multò ſæpius aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundùm veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt . . . . Quod addiſcentes con-*
Ibid. p. 105. C. *trarii, non levibus me implicuerunt afflictionibus, præceptiones propter me per loca & Provincias dirigentes, quatenus comprehendi, & ferris conſtrictus ad eos deberem deſtinari, ſicut omnes cognoſcunt.*

At, inquit Auctor Libelli cui titulus, *Le Temoignage de la Veritè*, ex hac ipſa Dorenſis narratione evidens eſt, longè majorem tunc fuiſſe Hæreticorum quàm Catholicorum numerum. Non ita: ſed tunc prævaluiſſe Hæreticorum, qui gratia Principis abutebantur, ad quidlibet audendum, furorem & audaciam. Longè etenim major tunc erat Catholicorum, quàm Monothelitarum multitudo; *Oriens totus & Occidens*, ait S. Maximus, *lachrymas*, *lamenta*
Ibid. B. *&c. Deo offerebant*. Et ipſemet Dorenſis paulò ante verba mox citata, *Conſiderans*, inquit, *ſupplicationes omnium penè habitantium Orientalium, tractum Reverendiſſimorum Epiſcoporum & Chriſtianorum populorum, conſonanter prædicto beatæ memoriæ Sophronio ad hoc me invitantium . . . . huc properavi &c.* An quæſo verba hæc, *Oriens totus & Occidens: Omnium Epiſcoporum & Chriſtianorum populorum ſupplicationes*, benè referunt ac exprimunt paucitatem,

Digitized by Google

citatem, ut adverſariis placet, quæ tunc erat, Catholicorum Epiſcoporum & Chriſtianorum populorum; & non potius eorum longè majorem præ cæteris multitudinem?

Verùm, inquies, Orientis nomine non omnes Orientales ſeu Græci intelligendi ſunt; ſed, iij dumtaxat qui verſabantur in ſpeciali tractu ſeu regione, quæ Oriens dicebatur, & ſubjecta erat Epiſcopis Antiocheno & Hieroſolymitano: porrò iſti aliis numero longè inferiores erant.

Reſpondeo, reipſa quidem per Orientem nonnunquam intelligi ſpecialem illam regionem quæ ſuberat Antiocheno & Hieroſolymitano Patriarchis; at longè frequentiùs Orientalis ſeu Græca generatim Eccleſia intelligitur, prout ſecernitur ab Occidentali ſeu Latina: quo ſenſu uſurpatur à Baronio loco paulò antè citato, & à ſancto Maximo, ubi de Cyro Alexandrino & Sergio Conſtantinopolitano loquitur.

Et certè Honorii Epiſtolam in Oriente non ita evulgatam & cognitam fuiſſe, Probatur duplici graviſſimo momento, negativo uno, poſitivo altero. *Epiſtola Honorii in Oriente communiter incognita.*

Primò: ſi dicta Epiſtola in publicam apud Orientales veniſſet notitiam, haud dubiè in defenſionem erroris aliquo in Concilio adducta & laudata fuiſſet à Cyro vel à Sergio: eorum enim plurimùm intererat, apertè tueri ſe auctoritate Romani Pontificis: at nullo in Concilio aut Epiſcoporum Conventu refertur & laudatur. Quin & in ipſa Heraclii Ecthesi, quæ errori tam impensè favet, nulla dictæ Epiſtolæ mentio, quamquam utraque ad idem ſilentium conſpiret. Summis laudibus extollit Sergius Heraclii Ecthesim; fraude, dolo ac violentia Epiſcopos ad ejus ſubſcriptionem adigit; ſummum in ea erroris ſui præſidium collocat: de Honorii autem Epiſtola ne verbum quidem. Quæ porrò cauſa & ratio fingi poteſt? Non alia certè, niſi quòd vel latebat, vel inutilis ad errorem defendendum ipſis videbatur. Quippe ſi publica illa fuiſſet; ſi tanquam regula fidei habita, quomodo à Cyro, vel à Sergio neglecta & omiſſa fuiſſet? Quomodo in Conciliabulis in quibus Heraclii Ecthesim illi promulgarunt, de Honorio ejuſque Epiſtola ſiluiſſent?

Secundò: Conſtat ex Joanne IV. Theodoro, Martino I. Summis Pontificibus, & ex S. Maximo, ſtatim ac prodiit & promulgata fuit Heraclii Ecthesis, commotum omnino ac perturbatum fuiſſe populum Conſtantinopolitanum; adeo certè ut ad illum ſedandum ac placandum, neceſſe fuerit Paulum Patriarcham illius revocationem ab Imperatore impetrare. Porrò ex ipſa Honorii Epiſtola, ſi nota illa fuiſſet ac publica, non minùs quàm ex Ecthesi Heraclii offenſus ac turbatus fuiſſet populus Conſtantinopolitanus; quia par hinc & inde doctrina, par ex utraque parte ſilentium imponitur.

Dices: Conſtat ex antè dictis, tùm ex Abbate Anaſtaſio, tùm ex ipſomet Honorio Epiſtola 2. quæſtionem illam de una vel duplici in Chriſto voluntate, Romæ, cum Deputatis Sophronii diſcuſſam fuiſſe. *Tom. 2. Op. S. Max. p. 32. To. 6. Conc. 968. & 969.*

Conſtat 2. impiam Ecthesim Heraclii à Cyro in Synodo Alexandrina, & à Sergio in Conſtantinopolitana, probatam & ſcriptam fuiſſe; ergo tunc temporis multò major Epiſcoporum numerus errori ſubſcripſit.

Conſtat 3. Epiſtolam Honorii Sergio Conſtantinopolitano, ad quem ſcripta fuerat, imò & Cyro Alexandrino, & Sophronio Hieroſolymitano apprimè cognitam fuiſſe: quin & Cyrum & Sergium pro defenſione Ecthesis abuſos illa fuiſſe, teſtatur ſanctus Maximus. *In ſuis*, inquit, *contextis pro impia Ecthesi actioni-*

Fragmentū Epiſt. S. Maximi ad Petrum Tom. 5. Conc. p. 1767. A. Tom. 2. Op. S. Maximi p. 75.

actionibus ſecum magnum Honorium acceperunt, ſuæ præſumptionis oſtentationem ad alios facientes viri in cauſa pietatis maximam eminentiam.

Reſp. ad primum: Fatemur Sophronii Deputatos cum Romanis de mota quæſtione unius vel duplicis in Chriſto voluntatis, colloquium habuiſſe, atque ab ipſomet Honorio benè inſtructos, ſilentio, quod Pontifex nihil mali ſuſpicatus imperabat, modò & illud Cyrus ac Sergius ſervarent, tandem conſenſiſſe. Sed quid inde? Hoc unum: ex ſilentio illo quod ex œconomia & politia dumtaxat erat impoſitum, nullum dogmati Catholico circa duas in Chriſto voluntates præjudicium revera inferri; tametſi poſtea eo turpiter abuſi fuerint Cyrus, Sergius cæterique Monothelitæ, qui Honorium in partes ſuas, hujus imperati ſilentii prætextu, trahere conati fuerunt.

Tom. 5. Conc. p. 1779. Ibid. p. 90. To. 2. p. 194.

Ad ſecundum: nego conſeq. Quia non ab omnibus, ſed ab aliquibus dumtaxat Epiſcopis Ecthesis ſubſcripta fuit, quos violentia & furtivis molitionibus Cyrus & Sergius ad ſubſcribendum coegerunt. Ita colligimus ex Theodoro I. Papa in Epiſtola ad Paulum Conſtantinopolitanum, & ex Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Actione ſeu Secretario primo, verba paulò ſuperiùs retulimus. Non hæc profectò vera Concilia fuere in quibus Ecthesis promulgata fuit, ſed Conciliabula ac latrocinales Conventus, *Subit me admiratio*, dicebat Maximus in ſua cum Pyrrho diſputatione, *quomodo Synodum vocas, quæ non eſt habita ut Leges & Canones Synodici & iura Eccleſiacica iubent. Nec enim Epiſtola encyclica ex Patriarcharum conſenſu edita eſt; neque locus aut dies conveniendi ſtatutus. Non fuit aliquis actor aut accuſator. Commendatitias Litteras non habuerunt, nec Epiſcopi à Metropolitis, nec Metropolitæ à Patriarchis. Nullæ Epiſtolæ aut Vicarii ab aliis Patriarchis miſſi ſunt. Quis igitur vel rationis mica præditus Synodum vocare ſuſtineat, quæ ſcandalis & diſcordia replevit orbem terrarum?*

Ibid. p. 75. col. 1.

Et in Epiſtola ad Petrum Illuſtrem, ea Conciliabula vocat *latrocinales Synodos & concurſus Epiſcoporum, non voto convenientium, ſed violentia contractorum; non exhortatione properantium, ſed ex fuga Barbarorum peregrè proficiſcentium. Dein iuſſiones & minas huc atque illuc adversùs pios tranſmiſſas.*

Hæccine ſunt Concilia, hi Epiſcopi à quibus dogma Catholicum, de duplici in Chriſto voluntate generatim proclamatum fuiſſe adverſarii ventitant? Qui nec numero ſuperabant *pios illos*, quos perſecutio vexabat; nec ea libertate fruebantur, quæ Epiſcopos decet in rebus ad Religionem ſpectantibus.

Ad tertium: Certum quidem eſt Epiſtolam Honorii Sergio & Cyro apprimè cognitam fuiſſe: quis ea de re dubitat? At non minùs etiam certum videtur, ab illis evulgatam illam non fuiſſe, ſed occultè ſervatam, ne fortè ſi eam malè interpretati fuiſſent, ſtatim falſitatis ab Honorio ipſo redarguerentur.

To. 2. p. 75. col. 1.

Quapropter clanculùm & in occulto dumtaxat ſeſe hujus Epiſtolæ auctoritate tuebantur, non apertè, non publicè, cujus in nullo publico Inſtrumento, in nullo Concilio, vel Epiſcoporum Conventu mentionem unquam feciſſe leguntur. Eadem illis erat agendi ratio erga Honorium, quæ erga Sophronium, quem ſuas in partes ſe pertraxiſſe illi gloriabatur; non quidem apertè ac publicè, ſed clanculùm & per occultas ſuſurrationes. Ita teſtatur ſanctus Maximus citata ad Petrum Illuſtrem Epiſtola. *Deterior*, inquit,

illis

Digitized by Google

illis mos eſt, & veluti ſpeciale omnium univerſorum Hæreticorum indicium; quia & ſuæ ipſius impietatis obnoxios, ſcribunt innoxios. Sophronium quippe, qui prudenter divina perdocuit & prædicavit Eccleſiæ Catholicæ dogmata, ſe in errorem moviſſe hac illacque ſuſurrant.

Occidentalibus etiam Epiſcopis communiter incognita fuit Honorii ad Sergium Epiſtola, antequam Pyrrhus de illa fecerit mentionem. Quapropter mirum videri non debet, ſi de illa diu ſiluerint: unde ex tali eorum ſilentio approbatam ab illis eam fuiſſe ſaltem tacitè, concludi meritò non poteſt. An pervulgata apud Occidentales Honorii Epiſtola.

Probatur 1. ex Summo Pontifice Joanne IV. in ſecunda ad Conſtantinum Imperatorem filium Heraclii Epiſtola, ubi teſtatur Occidentales offenſos plurimùm fuiſſe variis, quas Pyrrhus circumquaque ſpargebat, relationibus, quibus Honorium etiam ſuas in partes adducere nitebatur. *Quantùm enim*, inquit, *ex diverſis ſuggeſtionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quin imò & ex ipſo quoque auditu dicimus, omnes Occidentales partes ſcandaliſatæ turbantur, fratre noſtro Pyrrho Patriarcha, per Litteras ſuas huc atque illuc tranſmiſſas, nova quædam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium ſenſum, quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Papam deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante, quod à mente Catholici patris erat penitus alienum.* Cùm hæc ſcribebat Joannes IV. tredecim jam anni effluxerant à ſcripta Honorii Epiſtola; ergo ante tempus communiter Occidentalibus incognita fuerat. Qua igitur ratione potuiſſet illa, tanquam regula fidei, tacito ſaltem conſenſu ſeu ſilentio ab illis approbari, de qua nihil audierant? *Tom. 5. Conc. p. 1759. A.*

Probatur 2. Quia conſtat apud omnes, & Ecthesim Heraclii, & Typum Conſtantii ſummo omnium conſenſu in Occidente damnatum ac proſcriptum fuiſſe à Joanne IV. Theodoro ejus ſucceſſore, Martino I. &c. ob hæreſim Monothelitarum quæ in illis fidei expoſitionibus continebatur. Porrò ſi Honorii Epiſtola in cognitionem Occidentalium tunc deveniſſet, cenſuram & publicam damnationem effugere profectò non potuiſſet, ob eam, quam in verbis habere videtur cum Ectheſi Heraclii, & Conſtantii Typo ſimilitudinem. Nihilominus tamen eam vendicat Joannes IV. miſſa ad Imperatotem illius apologia; qua tamen non obſtante, ubi divulgata fuit Honorii Epiſtola, à ſexta Synodo generali gravi & pari cenſura cum Cyro, Sergio, Pyrrho cæteriſque Monothelitis confixa fuit. *Ibid.*

ARTICULUS V.

An & quæ unanimitas ſuffragiorum in Epiſcopis neceſſaria ſit ad firmam & inconcuſſam ferendæ vel latæ definitionis auctoritatem.

TAntam affinitatem habet præſens Quæſtio cum præcedenti, ut ſejungi ab illa non poſſit.

Quippe ſi à vero aberrare nunquam poteſt, virtute promiſſionum Chriſti, Corpus Epiſcoporum qui Capiti ſuo Romano Pontifici adhærent, conſequens omnino eſt, definitionem dogmaticam Sedis Apoſtolicæ, quæ à longè majori Epiſcoporum multitudine recipitur ac probatur, paucis admodum reclamantibus, illa paucorum reſiſtentia infirmari non poſſe; adeoque per-

fectam unanimitatem abſolutè non requiri, ut lata definitio vim & auctoritatem ſupremæ legis obtineat. Neceſſe igitur eſt hìc revocare animum ad ea quæ paulò antè fuſiùs diſputata ſunt circa auctoritatem pluralis numeri, ſeu multitudinis Epiſcoporum, ut plenior præſentis difficultatis diſcuſſio ac ſolutio habeatur.

Obſervandum autem 1. duplicem generatim unanimitatem diſtingui, unam phyſicam & abſolutam, alteram verò moralem. Phyſica dicitur & abſoluta, quæ ex ſuffragiis omnium Epiſcoporum, ne uno quidem excepto; moralis verò, quæ ex ſuffragiis multò majoris partis, paucis admodum exceptis, coaleſcit. Solet hæc vulgò *Quaſi unanimitas* appellari, ut diſtinguatur à phyſica & rigoroſè ſumpta unanimitate. In moralibus quippe ſola requiritur ac ſufficit moralis unanimitas, ſeu ſuffragiorum conſenſio, cujus vim & auctoritatem imminuere ac labefactare non poteſt paucorum reſiſtentia: alioqui nihil unquam fixum ac ratum in humanis Judiciis haberi poſſet.

Dixi, *paucis admodum exceptis*. Namque ſi tanta foret Epiſcoporum diſcordia, ut hinc & inde diverſas in partes ſcinderentur numeroſæ ac inſigniores Eccleſiæ, ſicut contigit in controverſia de Baptiſmo ab Hæreticis collato, tempore Stephani Summi Pontificis & S. Cypriani, tunc nequidem moralis adeſſet unanimitas, ſaltem completa & perfecta, adeoque ad Concilium generale recurrendum foret. Non quòd in eo etiam majoris diſcordiæ ac diſſenſionis caſu, Eccleſia diſperſa ſufficienti auctoritate abſolutè careat ad rem ultimò finiendam ac terminandam: (fieri enim poteſt ut diù impoſſibilis evadat multis ex cauſis Concilii Oecumenici congregatio; fieri verò non poteſt, Deo ita providente, ut Eccleſia omni ope ac remedio deſtituta maneat ad errorem propulſandum, & ſtabiliendam fidei veritatem) ſed quòd in his circumſtantiis generale Concilium commodior & aptior videatur ad elucidandam controverſiam, & animos conciliandos via & ratio.

Obſervandum 2. nonnullos è recentioribus unanimitatem illam moralem ſubdividere in priorem & antecedentem, & in poſteriorem ſeu conſequentem: antecedentem vocant eam quæ definitionem præcedit; ſubſequentem verò, eam quæ ſequitur. Fatentur illi quidem, nec unanimitatem phyſicam, nec etiam moralem, quę definitionem ſeu Judicium Eccleſiæ antecedit, neceſſariam eſſe, imò nec ordinariè nec moraliter loquendo poſſibilem: tanta nimirum eſt ingeniorum & opinionum diverſitas, atque in iſtis tenaciùs propugnandis vulgò firmitas ac conſtantia; unuſquiſque enim in ſenſu ſuo abundat: ſubſequentem verò unanimitatem ſic neceſſariam eſſe arbitrantur, ut qui latæ definitioni reluctantur, nec ſunt ab Eccleſia damnati ac præciſi, ii ſua reſiſtentia unanimitatem neceſſariam abrumpant; & conſequenter omnem latæ ſententiæ vim adimant & auctoritatem. Adversùs novum iſtud figmentum ſit

CON-

CONCLUSIO.

Ad robur & firmitatem dogmaticæ definitionis ſufficit moralis Epiſcoporum unanimitas, quam non impedit paucorum reſiſtentia. Diſtinctio verò unanimitatis antecedentis & conſequentis, ſenſu expoſito, novum eſt figmentum.

Probatur 1. Quia ea ſufficit unanimitas, quæ eſt totius Corporis Eccleſię, cui à Chriſto Domino promiſſum eſt donum inerrantiæ: *Vobiſcum ſum omnibus diebus. Portæ inferi non prævalebunt.* Atqui unanimitas multitudinis Epiſcoporum qui Capiti ſuo Romano Pontifici adhærent, eſt moralis unanimitas totius Corporis Eccleſiæ cui à Chriſto Domino promiſſum eſt donum inerrantiæ; ergo unanimitas illa ſufficit, nec paucorum reſiſtentia nocere ipſi poteſt. *Matth. 28. v. 20. Ibi. 16. v. 8.*

Utraque propoſitio certa & evidens videtur. Prima quidem: Namque conſentiunt Orthodoxi omnes, veritatem fidei ita indiſſolubili nexu Corpori Eccleſiæ alligatam à Chriſto fuiſſe; ut nunquam deficere illa poſſit: *Portæ inferi non prævalebunt.* Ergo ubi eſt Eccleſia, ibi eſt veritas. Atqui (quæ ſecunda eſt propoſitio) ubi eſt multitudo Epiſcoporum Capiti ſuo Romano Pontifici adhærentium, ibi eſt Eccleſiæ Corpus ac totius corporis moralis unanimitas; ergo ibi eſt veritas. Ubi enim, quæſo, eſſet Eccleſia, ſi non eſſet in ea Epiſcoporum ſimul cum Romano Pontifice multitudine? An in illis pauciſſimis qui reluctantur ac contradicunt? at quid abſurdius? Nonne Eccleſia multitudine ac diffuſione conſtat? Quis in animum unquam ſuum induxerit, Chriſtum poſtpoſita multitudine, paucis adeſſe; præſertim cùm non uni aut alteri, ſed omnibus Epiſcopis, ſed toti Corpori Eccleſiæ omnibus diebus adfuturum ſe pollicitus fuerit?

Ita eſt, inquies, ſed illi pauci Epiſcopi, qui reſiſtunt, unam & eandem ſimul cum aliis Eccleſiam componunt, à qua præciſi ac ſeparati non ſunt. Eſto, externam illi cum Eccleſia unionem habeant; at certè non internam, quæ in conſenſione ejuſdem fidei ac doctrinæ poſita eſt. *Semper ab illius Eccleſię quæ ſine macula & ruga eſt, unitate diviſus eſt*, ait S. Auguſtinus Lib. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 17. n. 26. *etiam qui congregationi Sanctorum in carnali obduratione miſcetur.* Præterea, illi pauci numero Epiſcopi qui multitudini reſiſtunt, à qua tamen exteriùs ſe non ſeparant, vel prætendunt ſua reſiſtentia poſſe ſe multitudinis unanimitatem neceſſariam impedire, vel non: ſi prius; prætendunt ergo impedire ſe poſſe, ne Chriſti promiſſiones de perpetua Eccleſiæ inerrantia, in ipſo Eccleſiæ totius Corpore impleantur? Quid abſurdum magis ac ridiculum? Si poſterus; ut quid reſiſtunt auctoritati, qua nulla major in terris dari poteſt, & cui omnibus diebus ad futurum ſe Chriſtus ſolemniter promiſit? *To. 9 p. 93. C. D.*

Non repeto momenta quæ ſuprà duximus ex unitate, viſibilitate & Catholicitate Eccleſiæ; ſicut nec ea quæ ex Traditione prolata ſunt: ea conſulat, qui pleniùs de hocce argumento edoceri voluerit.

Addo dumtaxat Tertullianum, qui teſtatur in mente Catholicorum Eccleſiam ex multitudine Epiſcoporum coaleſcere. Lib. de pudicitia c. 21.

Digitized by Google

P. 574. C. *Eccleſia*, inquit, *delicta donabit, ſed Eccleſia ſpiritus per ſpiritalem hominem, non Eccleſia numerus Epiſcoporum*. Sugillat eò loci Tertullianus Montaniſta factus, ſententiam Catholicorum, qui Eccleſiam in numero ſeu multitudine Epiſcoporum collocabant, quam Montaniſtæ in Trinitate, Patre, Filio & Spiritu ſancto poſitam arbitrabantur. Ergo, vel ipſo teſte Tertulliano, Catholici tunc temporis agnoſcebant, Eccleſiam, quæ docet ac miniſterium exercet, in numero ſeu multitudine Epiſcoporum reſidere.

Addo & ſuffragium ipſiuſmet Conſtantii Imperatoris, in Colloquio quod habuiſſe dicitur cum Liberio Summo Pontifice apud Theodoretum. *Quæ jam*, inquiebat, *formam excepere judicii, ea reſolvi amplius non poſſunt. Valere enim debet plurium Epiſcoporum ſententia*.

Theod. Lib. 2. Hiſt. c. 16. pag. 94. C. Equidem fallitur Conſtantius Imperator, cùm ſpeciali facto Concilii Ariminenſis perperam applicat commune iſtud ac tritum principium: tùm quia Summus Pontifex Liberius non conſenſerat, imò potiùs damnaverat quæ eo in Concilio peracta ſunt: tùm quia per vim ac violentiam ad ſubſcribendam formulam Arianam Epiſcopi Ariminenſes coacti fuerant; at in ipſo principio ſeu communi omnium ſententia non fallitur imperator.

Addo, ex uſu ac praxi Concilii Tridentini aliorumque præcedentium, ea doctrinæ capita de quibus multò major pars Epiſcoporum convenerat rata ſemper ac fixa prævaluiſſe, tametſi nonnulli contradixiſſent, aut etiam contradicerent. Narrat Pallavicinus Lib. 18. Hiſt. Conc. Trid. cap. 2. diu agitatam quæſtionem iſtam, An Chriſtus in ultima Cœna ſemetipſum in ſacrificium Deo Patri obtuliſſet; diviſa hinc & inde ſuffragia fuiſſe. *Quæ res*, inquit, *hunc exitum tulit. Cùm initio complures repugnarent declarationi hujuſce oblati, quo hic ſe Chriſtus quocumque modo obtuliſſet, poſtremo contigit adversùs quam evenire ſolet in ſubtilioribus diſputationibus, in quibus ſui quiſque ingenii conceptus amans, in propugnata ſententia inhæret firmiùs. Etenim ferè omnes in primam ſententiam* (nempe Chriſtum ſemetipſum obtuliſſe) *abiere, etiam qui accerrimè illi reſtiterant*. Particula, *ferè*, apertè innuit non omnes omnino Patres conſenſiſſe, ſed extitiſſe aliquos qui repugnarent. Petrus Suavis Lib. 6. Hiſt. Conc. Trid. ait, *mediam ferè* partem in aliam abiiſſe ſententiam: nihilominus ea non obſtante repugnantia, aliter concluſum à Patribus fuiſſe; licèt, ut ait p. 559. viginti tres Epiſcopi reſiſterent.

Tom. 3. Hiſ. Conc. Trid. p. 109. n. 12.

P. 540.

Ibidem pag. 554. refert, Decretum de Miſſæ ſacrificio ac Communione ſub una vel utraque ſpecie, quod Imperator in ſuſpenſo manere poſtulabat, tandem ſuffragiorum pluralitate prævaluiſſe, tametſi qui repugnabant, apertè intercederent. Ibidem repetit pag. 556. & 559.

Addo denique, Illuſtriſſimum bonæ memoriæ Boſſuetium Meldenſem Epiſcopum in Epiſtola ad Moniales Portus Regii, quam Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles publica data approbatione ſuam fecit, affirmare, nihil injuſtius eſſe, quo patentior ad manifeſtam rebellionem aditus aperiatur, quàm ſi quis contendat Judicia Eccleſiaſtica vim omnem ſuam non ſortiri, priuſquam partes adverſæ acquieſcant.

P. 27. n. 19.

Et verò Decreta Eccleſiæ adversùs Arianos, Macedonianos, Novatianos, Neſtorianos, Eutychianos &c. firma ſemper & inconcuſſa permanſerunt, tametſi nonnulli Epiſcopi pertinaciùs illis reluctati fuerint. Ita eſt, reponunt aliqui Recentiores; ſed illi ab Eccleſia ejecti & anathemate percuſſi fuerant,

rant,

rant, qui cùm Eccleſiam non audirent, velut Ethnici ac Publicani habebantur: qui verò multorum ſententiæ obſiſtunt, nec ab unitate communionis excluduntur, ii non præſumuntur ipſimet Eccleſiæ reluctari, aliàs ab ejus ſinu ejicerentur, ſed aliquorum dumtaxat, licèt numero plurium, ſententiæ; atque hac ſua reſiſtentia, unanimitatem etiam moralem conſequentem ac neceſſariam impediendo, caſſam & nullam reddunt quoad vim obligandi, latam ſententiam ſeu definitionem. En figmentum quod nonnulli Recentiores, deſperatæ cauſæ tuendæ neceſſitate compulſi excogitarunt: figmentum, ſi quod unquam fuit, rectæ rationi non minùs quàm ſaniori Theologiæ repugnans; de quo jam diximus ubi de Deo ac divinis Attributis T. 1. pag. 147. & ſeq. Non pigebit ea hìc retexere, quæ ad præſens noſtrum inſtitutum maximè pertinent.

Probatur itaque 2. diſtinctionem unanimitatis antecedentis & conſequentis, ſenſu antea expoſito, putidum eſſe figmentum.

I. Diſtinctio hæc nova eſt, gratis ficta, imò abſurditatis & contradictionis plena. Namque ſi unanimitas antecedens non eſt neceſſaria ut definitio condatur, multò minùs conſequens neceſſaria videtur, ut lata definitio rata ſit & firma. Non enim ſatis intelligimus, qua ratione fieri poſſit, ut defectus unanimitatis non obſtet condendæ definitioni, & tamen conditam ſuſpendat & infirmet: manifeſta hìc apparet contradictio ac pugna. Quippe, vel definitio quæ fit ſine unanimitate antecedente, rata eſt ac firma, vel non: ſi rata eſt; ergo infirmari non poteſt per ſubſequentem paucorum diſſenſum, ſeu non unanimitatem, ſicut non potuit impediri per antecedentem: eadem enim auctoritate ſtat lex & confirmatur, qua primùm condita fuit. Sicut ergo Epiſcopi numero plures legem ſtatuere ſeu condere potuerunt, non obſtante paucorum diſſenſu; ita pariter eam conſervare ac firmare poſſunt, tametſi nonnulli obloquantur & contradicant.

Si verò rata non eſt definitio cui nonnulli primùm diſſentiunt, ergo antecedens unanimitas, velint, nolint, neceſſariò requiritur ut definitio condi poſſit. Iſtud tamen fateri non audent, quos hìc impugnamus; quòd nempe ſatis intelligant futurum inde, ut omnia ferè dogmatica Eccleſiæ Decreta ſubvertantur, quæ adverſantes nonnullos Epiſcopos frequenter habuiſſe, Hiſtoriæ monumenta demonſtrant. Ergo diſtinctio illa unanimitatis prioris & poſterioris, antecedentis & conſequentis, ad hoc unum excogitata videtur, ut adverſarii fucum faciant apud incautum & imperitum vulgus; rem tenebris involvant, atque quoquo modo è manibus Catholicorum elabantur.

II. Iſtud quoque ea in opinione abſurdum ac ridiculum maximè videtur; paucos ſcilicet numero Epiſcopos qui latæ definitioni contumaciùs reſiſtunt, ſi ab Eccleſia per tempus aliquod benignè tolerentur, nec ſtatim damnati ejiciantur, vim omnem & auctoritatem latæ definitioni, defectu unanimitatis ſubſequentis, detrahere. Si ita eſt, juvat ergo & expedit, ut Eccleſia ad conſervandam unanimitatem & auctoritatem ſuam, omni depoſito clementiæ ac benignitatis ſenſu, Epiſcopos illos rebelles ac contumaces ſtatim ac ſine mora diſperdat, condemnet, ejiciat è ſinu ſuo, diris omnibus devoveat: ni enim fecerit, peribit ſimul cum unanimitate, auctoritas latæ ſententiæ, & ipſamet Eccleſiæ clementia in præjudicium & rui-

nam auctoritatis ipſius tota convertetur. Quid abſurdius & ridiculum magis?

Præterea: vix in principiis adverſæ ſententiæ intelligitur, qui fieri poſſit, ut Epiſcopi numero plures ſatis quidem auctoritatis habeant ad alios paucos damnandos & ejiciendos; non autem ad conferendam ſuæ definitioni vim legis ſupremam & irrefragabilem. Imò non ſatis intelligitur, quomodo Epiſcopi numero plures, alios paucos rebelles ac contumaces damnare & ejicere valeant, niſi priùs ſupremo Concilii generalis Judicio res terminata & definita fuerit: ſiquidem in adverſa ſententia, ſtante paucorum reſiſtentia, tollitur unanimitas conſequens ſeu perfecta; iſta verò ſublata, quomodo remanet in aliis Epiſcopis, tametſi numero ſuperioribus, ſatis virium & auctoritatis, ut abſoluto & decretorio Judicio juſtam pronuntient excommunicationis ſententiam? Malè iſta cohærent ſecum invicem; niſi eò abſurditatis tandem deveniatur, ut dicant (quod dicere hactenus auſi non fuere) ſententiam excommunicationis eo in caſu nonniſi à Concilio generali ferri poſſe.

III. Si defectus unanimitatis ſubſequentis irritam efficiat definitionem à multo majori Epiſcoporum numero latam, ergo pendebit ex nutu & arbitrio paucorum, qui ſuis occupantur præjudiciis, ſuo diſſenſu legem infringere, aut ſaltem ſuſpendere? Quò igitur, eo in caſu, recidet Eccleſiæ auctoritas, cui Fidelis quilibet, niſi pro Ethnico & Publicano haberi velit, obtemperare tenetur? Ad quos Epiſcopos tunc temporis ſe convertent Fideles? Quos audient ac ſequentur duces & magiſtros in rebus fidei? An liberum erit unicuique, quam voluerit, amplecti ſententiam; ac poſthabita Epiſcoporum multitudine, paucitati adhærere? Quæ inde confuſio & recti ordinis perturbatio? Aut ergo tunc nulla agnoſcenda erit auctoritas in Eccleſia, aut in multitudine collocanda: nulla etenim major in his circumſtantiis aſſignari poteſt auctoritas, quàm quæ in multitudine reſidet; majori autem auctoritati cedendum eſſe, ipſa æquitas & recta dictat ratio.

IV. Denique: Communis hæc ſemper fuit, ut ſuprà jam dictum eſt, ac recepta omnium Tribunalium lex ac regula, ut ex plurali ſuffragiorum numero ſententia pronuntietur. Si enim audiantur qui repugnant ac contradicunt; ſi expectetur eorum conſenſus, nec priùs lata ſententia vim & auctoritatem legis aſſequatur, quàm ſententiæ acquieſcant, nulla unquam finietur controverſia, æternæ erunt ac interminabiles diſcordiæ: quanta inde & in Republica & in Eccleſia rerum perturbatio! Quòd ſi in omni civili ac politico Tribunali lex illa locum habet, quantò magis in Eccleſiaſtico? Etenim multitudo Epiſcoporum qui Romanum ſequuntur Pontificem, eam ipſam Eccleſiam repræſentant, cui ſuprema doctrinæ ac miniſterii auctoritas à Chriſto conceſſa eſt, ſimul cum ſingulari inerrantiæ ſeu infallibilitatis privilegio. *Vobiſcum ſum omnibus diebus. Portæ inferi non prævalebunt.*

Dices 1. Petrus Suavis Lib. 6. Hiſt. Conc. Trid. pag. 561. rationem reddens cur Decretum quod communionem Calicis ſpectat, ſimul cum aliis ad Sacrificium Miſſæ pertinentibus collocatum non fuerit, ait, Patribus Tridentinis id obſervatum ſemper fuiſſe, ut in Decretis diſciplinæ ac reformationis, pluralitas ſuffragiorum ſufficeret, non verò in Decretis quæ ad fidem pertinent, quando plures ex alia parte contradi-

cunt

cunt & adverſantur; ergo ſententia Patrum Tridentinorum hæc fuit, non ex majori tantùm ſuffragiorum numero, ſed ex perfecta unanimitate decreta fidei efformanda eſſe.

Reſp. perfectam reipſa eſſe unanimitatem, quando pauci tantùm numero reclamant: ſi verò ante latam definitionem plures fuerint, qui reclament, ut fert textus Suavis; ſi auctoritate vel dignitate Sedis illuſtres ac conſpicui, ita ut periculum ſit graviſſimæ alicujus diſcordiæ ac diſſenſionis, ut contigit tempore S. Cypriani, tunc non ex una ſimpliciter ac mathematicè ſumpta pluralitate res ultimò dijudicanda eſt ac terminanda, ſed maturiùs expendenda, donec vel ad unitatem & conſenſionem redeant, qui repugnabant, vel Eccleſiæ Judicio & auctoritate decretoriè finiatur ac terminetur.

Dices 2. S. Auguſtinus perfectam & concordiſſimam poſtulat Eccleſiæ auctoritatem & unanimitatem, ubi de rebus fidei illa pronuntiat. Sic loquitur ſanctus Doctor Lib. 2. de Baptiſmo contra Donat. cap. 4. n. 5. *Satis oſtendit* (S. Cyprianus) *facillimè ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam ſi quis ei demonſtraret Baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis qui foras exierunt, quemadmodùm amitti non potuit cùm foras exirent: unde multa jam diximus. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio crederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.* To. 9. p. 98. D. E.

Reſp. perfectam & concordiſſimam Eccleſiæ auctoritatem & unanimitatem, juxta ſanctum Auguſtinum, paucorum reſiſtentia non impediri. Et certè ſanctum Doctorem non exigere ad plenam & perfectam latæ ſententiæ firmitatem & auctoritatem, donec qui repugnant ac contradicunt ipſi tandem conſenſerint, patet maniſeſtè exemplo Pelagianorum, quorum cauſam finitam eſſe affirmat, licèt non ignoraret decem & octo inter illos pertinaces in errore ſuo permanſiſſe, interpoſita ad Concilium generale appellatione, quos Imperator, tanquam Eccleſiæ & Imperii perturbatores, in exilium deportari mandavit.

ARTICULUS VI.

Quale ſit à Chriſto inſtitutum regimen Eccleſiæ.

TRiplex à Philoſophis diſtinguitur regiminis ſeu gubernationis ſpecies: Monarchia, quæ eſt imperium unius, cujus arbitrio & voluntate rerum ſumma definitur: Ariſtocratia, id eſt, regimen Optimatum; cui opponitur Oligarchia, hoc eſt, factio paucorum: & Democratia, hoc eſt, populi totius imperium, quod in ſeditiones non rarò degenerat.

Quamquam autem, ait Bellarminus Lib. 1. de R. Pontifice c. 1. *tres tantùm iſtæ ſint formæ ſimplicis gubernationis, poſſunt tamen inter ſe illæ quaſi permiſceri; ex qua permixtione quatuor aliæ formæ mixti regiminis producentur. Una, temperata ex omnibus tribus: altera, ex Monarchia & Ariſtocratia: tertia, ex Monarchia & Democratia: poſtrema, ex Democratia & Ariſtocratia.* To. 2. p. 193. co. 1. B.

Non hic jam inquirimus quænam ſit optima regiminis politici ac civilis ſpecies, de qua Philoſophi in Moralibus; ubi monarchicum regimen ſolent cæteris anteponere.

De forma regiminis Eccleſiaſtici à Chriſto inſtituta & præſcripta hic dumtaxat diſputamus.

Supponimus 1. regimen Eccleſiæ ſub Chriſto Summo ejus Capite & animarum Paſtore, eſſe purè monarchicum, abſolutum & omnino pendens ab ejus voluntate; atque hoc ſenſu Chriſtum meritò Regem appellari, juxta illud Pſal. 2. v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus*. Quo etiam ſenſu Eccleſia Regnum ejus appellatur, Lucæ 1. v. 33. *Regni ejus non erit finis*.

Supponimus 2. regimen Paſtorum Eccleſiæ eſſe dumtaxat miniſteriale externum, legibus à Chriſto poſitis aſtrictum, juxta illud S. Pauli 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti ac diſpenſatores myſteriorum Dei*.

Supponimus 3. tanquam rem inter Catholicos omnino certam & exploratam, regimen Eccleſiæ democraticum non eſſe, hoc eſt, plebi & multitudini Chriſtianæ non conceſſum: quia nuſquam plebi dedit Chriſtus claves Regni Cœlorum, & auctoritatem ligandi ac ſolvendi; nuſquam jus conceſſit Miniſtros ordinandi ac conſecrandi, ſicut ex profeſſo oſtendemus in noſtro de Sacramento Ordinis Tractatu, ac demonſtrat Bellarminus Lib. 1. de R. Pontifice cap. 6.

Supponimus 4. neque Principibus ſæcularibus à Chriſto conceſſam Eccleſiæ regendæ ac gubernandæ auctoritatem. Sunt enim utriuſque poteſtatis ſpiritualis ſeu Eccleſiaſticæ, ac temporalis ſeu Regiæ fines ac officia planè diſtincta, uti etiam inferiùs demonſtraturi ſumus, expendendo an Eccleſia jus aliquod directum aut indirectum habeat in res Principum temporales. Celebre eſt iſtud Oſii Epiſcopi Cordubenſis ad Conſtantium Imperatorem effatum: *Ne te rebus miſceas Eccleſiaſticis: neu nobis his de rebus præcepta mandes; ſed à nobis potius hæc ediſcas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Eccleſiaſtica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium ſubripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne ſi ad te Eccleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus fias*. Si aliquas ergo in tractandis Eccleſiæ negotiis aliquando partes habuere Imperatores ac Reges; ſi leges condiderunt ad fidei, morum, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervationem ac tutelam, certè non tanquam Religionis Judices, ſed tutores dumtaxat, defenſores Canonum, ac vindices diſciplinæ Eccleſiaſticæ id fecerunt.

Epiſt. ad Conſtantiũ quam refert S. Athan. in Ep. ad Solitariam vitam agentes. To. 1. p. 371. A. B.

Supponimus 5. verè monarchicum eſſe Eccleſiæ regimen: ſiquidem unus eſt primus ac Summus in Eccleſia Pontifex, cui, ut jam oſtendimus, conceſſus à Chriſto fuit primatus honoris & juriſdictionis in alios Epiſcopos. Unde etiam ſequitur Eccleſiaſticum regimen purè ariſtocraticum non eſſe, ſeu penes ſolos Epiſcopos; utpote qui ſuperiorem agnoſcant Romanum Pontificem, cui omnes parere tenentur.

Tota igitur quæſtio hic à nobis expendenda in eo eſt, an Eccleſiæ regimen ſit purè monarchicum, an verò ſit Ariſtocratia temperatum.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Regimen Eccleſiæ purè monarchicum non eſt, ſed Ariſtocratia temperatum.

Duæ ſunt Concluſionis partes. Prima, regimen Eccleſiæ verè monarchicum eſſe: ſecunda, non eſſe purè monarchicum, ſed Ariſtocratia temperatum.

Prima pars ex dicendis poſtea de primatu Summi Pontificis ſupra alios Epiſcopos, abundè demonſtrabitur. Namque illud regimen verè monarchicum dicitur ac reipſa eſt, in quo eſt aliquis ſuperior cui omnes parere tenentur in iis quæ ad Eccleſiæ gubernationem pertinent. In hoc quippe diſtinguitur Ariſtocratia à Monarchia, quòd in priori omnes quibus regendi munus incumbit, ſint in auctoritate ac juriſdictione pares; in poſteriori autem, penes unum aliquem ſit poteſtas univerſalis regendi, & cæteris imperandi. Atqui eſſe in Eccleſia Chriſti Romanum Pontificem cæteris Epiſcopis honore & juriſdictione ſuperiorem, ex dicendis manifeſtum erit; ergo regimen Eccleſiæ verè monarchicum eſt ac dici poteſt, non verò ſimpliciter & abſolutè ariſtocraticum, ut volebat Marcus Antonius de Dominis, qui ſuam hanc ſententiam falsò ſacræ Facultati imponebat. *Pariſienſium doctrina*, inquiebat ille, *enucleatè intellecta nihil diſcrepat à mea his Libris tradita doctrina, & ab ipſa veritate*. Et paulò poſt: *Schola itaque Pariſienſis & noſtra eſt & reipſa poteſtati ſtudet ariſtocraticæ, non monarchicæ: quare ex ejus quoque doctrina Papatus nullo poteſt ſolido ſubſiſtere fundamento*. Ad quam popoſitionem ſacra Facultas in ſua contra quatuor priores Libros de Republica Eccleſiaſtica, auctore Marco Antonio de Dominis anno 1617. n. 9. cenſura ſic habet: *Mera eſt contra Facultatem Pariſienſem impoſtura*.

Et certè Gerſonius Lib. de poteſtate Eccleſiaſtica, Conſideratione 10. & & 11. docet poteſtatem Eccleſiaſticam *in ſua plenitudine eſſe formaliter & ſubjectivè in ſolo R. Pontifice* quem *appellat Monarcham primum*.

Pariter Cardinalis Cameracenſis Petrus de Alliaco, in Tractatu de auctoritate Eccleſiæ, quem in ipſa Synodo Conſtantienſi ſcripſit, tertia parte c. 1. diſtinguit triplicem modum quo res in alio eſſe poteſt. 1. *Tanquam in ſubjecto, ſicut virtus eſt in anima, accidens in ſubſtantia*. 2. *Tanquam in objecto, ſicut aliquis effectus dicitur eſſe in cauſa ſua vel in ſuo fine, quia in illum tendit tanquam in ſuum objectum finale*. 3. *Tanquam in exemplo, ut res viſa dicitur eſſe in ſpeculo, vel aliqua doctrina in libro, quia ibi eſt repræſentativè. Primo modo*, pergit de Alliaco, *plenitudo poteſtatis eſt in Papa, tanquam in ſubjecto eam recipiente, & miniſterialiter exercente. Secundo, eſt in univerſali Eccleſia, tanquam in objecto ipſam cauſaliter & finaliter continente. Tertio, eſt in Generali Concilio, tanquam in exemplo ipſam repræſentante & regulariter dirigente*. Hæc de Alliaco.

Secunda pars, nempe regimen Eccleſiæ non eſſe purè monarchicum, ſed Ariſtocratia temperatum, ab omnibus Catholicis Doctoribus admittitur, ait Bellarminus Lib. 1. de Romano Pontifice cap. 5. Sumi poſſunt argumenta ex articulo ſecundo quæſtionis tertiæ, ubi ſatis actum eſt de Epiſcoporum ſollicitudine, & auctoritate in Eccleſia Dei.

QUÆ

QUÆSTIO QUARTA.

De membris Eccleſiæ.

ECcleſia corpus eſt, cujus Chriſtus eſt caput, fideles membra. Epheſiorum 1. v. 22. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ipſius.* Et cap. 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubmiſtrationis.*

Senſus propoſitæ quæſtionis eſt, qui ſint illi homines quos ſinu ſuo complectitur Eccleſia, vel à ſe repellit. Inter illos verò ſunt baptiſati, & non baptiſati. Et rurſus inter baptiſatos, ſunt prædeſtinati; ſunt & perfecti: ſunt peccatores; ſunt hæretici, ſive publici ſive occulti; ſunt apoſtatæ; ſunt ſchiſmatici; ſunt excommunicati. Inter non baptiſatos, ſunt infideles ſive publici ſive occulti; ſunt Catechumeni: de iis ſigillatim agendum.

In ipſo præſentis Quæſtionis limine obſervandum cum Bellarmino Lib. 3. de Eccleſia cap. 2. quod dicendis lucem maximam afferet, *Eccleſiam eſſe corpus vivum in quo eſt anima & corpus, & quidem anima ſunt interna dona Spiritus ſancti, fides, ſpes, charitas &c. Corpus ſunt, externa profeſſio fidei, & communicatio Sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam ſint de anima & corpore Eccleſiæ, & proinde uniti Chriſto Capiti interiùs & exteriùs, & tales ſunt perfectiſſimè de Eccleſia; ſunt enim quaſi membra viva in corpore; quamvis etiam inter iſtos aliqui magis, aliqui minùs vitam participent, & aliqui etiam ſolum initium vitæ habeant, & quaſi ſenſum, ſed non motum, ut qui habent ſolam fidem ſine charitate. Rurſum aliqui ſint de anima, & non de corpore, ut Catechumeni, vel excommunicati, ſi fidem & charitatem habeant, quod fieri poteſt. Denique aliqui ſint de corpore, & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen ſpe, aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicant ſub regimine Paſtorum, & tales ſunt ſicut capilli aut ungues, aut mali humores in corpore humano.* His ſuppoſitis,

T. 2. p. 44. F.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſoli prædeſtinati ſint vera Eccleſiæ membra.

AFfirmant Novatores VVicleſitæ, Lutherani & Calviniſtæ, de quibus initio hujus Tractatus, cùm Eccleſiæ definitionem expendebamus.

CONCLUSIO.

Nec omnes, nec ſoli prædeſtinati ſunt in Eccleſiâ Chriſti.

Duæ ſunt partes. Prima pars probatur. 1. Multi ſunt prædeſtinati, aut ſaltem poſ-

poſſunt eſſe prędeſtinati, qui ad tempus nec ad animam nec ad corpus Eccleſię pertinent aut pertinere poſſunt, ſi nempe in hæreſim manifeſtam labantur, quam poſtea ejurent ſingulari Dei miſericordia; ſicut & multi reprobi ſunt in Eccleſia. Quo ſenſu dixit S. Auguſtinus Tractatu 45. in Joan. *Secundùm præſcientiam Dei & prædeſtinationem, quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus; & quàm multæ oves intus, quàm multi lupi foris?* To. 3. part. 2. p. 600. A.

2. Prædeſtinatio non eſt ratio formaliter conſtituens in Eccleſia, aut ſaltem neceſſaria non eſt ut aliquis ad Eccleſiam pertineat. Primò, non eſt ratio formaliter conſtituens in Eccleſia: hæc enim viſibilis eſt & conſpicua, velut Civitas ſupra montem poſita: illa verò tota interior & inviſibilis: unde fieret ut illi prædeſtinati, qui ſoli dicuntur eſſe de Eccleſia, nec ſeipſos cognoſcerent, nec ipſam Eccleſiam. Atqui tamen fatentur adverſarii, plurimùm intereſſe ut cognoſcamus & Eccleſiam cui adunari debemus, & eos qui non ſunt de Eccleſia, ut cum ipſis ſocietate non jungamur in iis quæ pertinent ad Religionem & cultum Dei. Non eſt etiam neceſſaria prædeſtinatio ut aliquis pertineat ad Eccleſiam, cùm & ipſi reprobi ejus ſinu contineantur, ut poſtea demonſtrabimus.

Secunda pars probatur.

Primò, tùm ex variis nominibus, figuris & parabolis quibus in Scripturis Eccleſia deſignatur, de quibus initio hujus Tractatus. Comparatur ſcilicet Agro Dominico Matth. 13. In agro autem inter nitentia culta, lappæque, & tribuli, & ſteriles dominantur avenæ. Comparatur Areæ Matth. 3. In area verò paleæ frumentum operiunt. Comparatur Sagenæ miſſæ in mare, in qua boni & mali piſces concluduntur. Matth. 13. Comparatur Convivio nuptiali, ad quod intrarunt boni & mali, poſtea verò mali non habentes veſtem nuptialem projiciuntur in tenebras exteriores, unde concludit Chriſtus Matth. 22. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi:* id eſt, multi ſunt in Eccleſia, quæ eſt evocatio quædam, ſive cœtus vocatorum, qui tamen non ſunt de electis. Comparatur Matth. 25. decem Virginibus, inter quas quinque ſunt prudentes, quinque verò fatuæ. Comparatur ibid. Ovili, in quo ſunt oves & Bæredi; & illæ, Chriſto interprete, ſignificant electos, iſti reprobos. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt hac in vita bonos cum malis, prædeſtinatos cum reprobis ſimul confundi & permiſceri, donec veniat diſcretionis tempus, quo boni, juſti, prædeſtinati in vitam æternam, mali verò & reprobi in ignem æternum mittendi ſeparabuntur.

Probatur ſecundò ex SS. Patribus, Cypriano Epiſtola 51. ad Confeſſores & 52. ad Antonianum, quas ſæpe laudat S. Auguſtinus agens contra Donatiſtas; S. Hieronymo Dial. adversùs Luciferianos poſt medium, S. Auguſtino Tract. 45. in Joann. & Lib. 2. contra Creſconium Grammaticum, S. Fulgentio Lib. de fide ad Petrum cap. 43. S. Gregorio Magno Hom. 33. in Evangelia, qui omnes ex iiſdem mox indicatis Scripturæ teſtimoniis noſtram probant & confirmant Concluſionem. Sufficiat hic retuliſſe verba ex Breviculo Collationis cum Donatiſtis tertia die cap. 9. n. 16. ubi S. Auguſtinus & plus quàm trecenti Epiſcopi in famoſa Collatione anni 411. Donatiſtis multa Scripturæ loca opponentibus, ut oſtenderent peccatores membra Eccleſiæ non eſſe, nec ad eam ullatenus pervenire, ſic loquuntur: *Hæc duo tempora Eccleſiæ, quæ nunc eſt, & qualis tunc erit, ſignificata* T. 9. p. 562. G.

ſunt

ſunt etiam duabus piſcationibus: una ante reſurrectionem Chriſti, quando mitti juſſit retia, nec ſiniſtram nec dexteram nominans partem, ut nec ſolos malos, nec ſolos bonos, ſed commixtos bonis malos intra retia ſuorum Sacramentorum futuros doceret: poſt reſurrectionem autem quando juſſit retia mitti in dexteram partem, ut poſt reſurrectionem noſtram ſolos bonos in Eccleſia futuros intelligeremur.

Probatur 3. nonnullis momentis Theologicis.

I. S. Paulus dum Eccleſiam Chriſti velut atrox lupus perſequebatur, haud dubiè non erat in illa; erat tamen prædeſtinatus. Unde S. Auguſtinus Sermone primo de Converſione S. Pauli, rectè docet Paulum licèt prædeſtinatum, priùs fuiſſe lupum, deinde ovem. E contra Judas erat reprobus, & tamen ad Apoſtolatum vocatus ſimul cum aliis Apoſtolis, ad eandem pertinuit Eccleſiam.

II. Si Eccleſia ex ſolis prædeſtinatis conſtaret, foret inviſibilis, & à nemine certò dignoſci poſſet; adeoque excuſaretur quiſquis ab ejus diligenti inquiſitione abſtineret, quod eſt maximè abſurdum & contra ipſorum Proteſtantium principia, qui volunt nemini licere ſectam privatam inſtituere.

III. Sequeretur Paganos, Judæos, Hæreticos & quoslibet impios, ſi prædeſtinati ſint, jam eſſe de Eccleſia; è contra verò quoslibet fideles baptiſatos, atque etiam ſanctioris vitæ homines, ſi prædeſtinati non ſint, non eſſe de Eccleſia. Atqui utrumque abſurdiſſimum eſt; cùm exploratum eſſe debeat, Baptiſmum januam eſſe per quam aditus ſit ad Eccleſiam, & eos qui à fide defecerunt, non ampliùs eſſe in Eccleſia; & è contra omnes baptiſatos, licèt non ſint prædeſtinati, eſſe de Eccleſia, juxta Apoſtolum dicentem in Epiſtolis ad Corinthios & Galatas, *eos omnes qui baptiſati ſunt, Chriſtum induiſſe*: quamquam veriſimiliter aſſeri poteſt, eos omnes Corinthios & Galatas qui baptiſati fuerant, non fuiſſe de numero prædeſtinatorum.

1. Corinth. 12. & Galat. 3.

IV. Sequeretur ex adverſa doctrina, omnem penitus auctoritatem Superiorum, ac debitam ipſis reverentiam & obedientiam labefactari, quippe cùm nec oves Paſtores ſuos, nec Paſtores oves ſuas cognoſcerent. Nutabit ergo auctoritas non ſolùm ipſius Eccleſiæ & clavium quas accepit à Chriſto, ſed etiam ipſius fidei & Scripturæ ſacræ, omniumque Sacramentorum: nemo quippe ſciret quæ ſit vera fides, quæ vera Scriptura, quæ vera Sacramenta, cùm à ſola Eccleſia tutò poſſit ea omnia accipere; unde autem habebit hanc eſſe veram Eccleſiam, ſi tota lateat in prædeſtinatis?

V. denique, vera Chriſti Eccleſia eſt maximè diffuſa, ut ſuprà oſtendimus: at ubi erit illa Eccleſiæ amplitudo ac diffuſio, ſi ſolis concludatur prædeſtinatis, quos, reproborum comparatione, conſtat eſſe paucos, & gregem puſillum, juxta verbum Chriſti Matth. 20. & Lucæ 12.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Arca Noe figura fuit Eccleſiæ, ſicut docet S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo capite ultimo. At in Arca Noe non fuerunt niſi qui ſalvandi erant ex aquis diluvii; ergo etiam in Eccleſia non ſunt niſi qui ſalvandi ſunt, id eſt prædeſtinati.

Reſp. diſtinguo maj. Arca Noe figura fuit Eccleſiæ quantùm ad aliqua; concedo: quantùm ad omnia, nego. In duobus maximè Arca typus fuit Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ; primò; ſicut in Arca includebantur cujuſcumque generis animalia, munda & immunda &c. ita in Eccleſia continentur boni & mali, prædeſtinati & reprobi. Secundò; ſicut extra Arcam nemo potuit ſalvus eſſe ab aquis diluvii, ita pariter extra Eccleſiam nulli patet ad ſalutem aditus: atque in hoc potiſſimum ſtare comparationem Arcæ cum Eccleſia docent S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ, S. Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum de tribus Symbolis, S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo capite ultimo. In aliis verò urgenda non eſt comparatio Arcæ cum Eccleſia, alioqui ſequeretur omnem baptiſatum eſſe prædeſtinatum: cùm enim S. Petrus 1. Epiſt. cap. 3. v. 21. comparet Baptiſmum cum Arca Noe, ſequeretur omnes malos, immundos, peccatores, ſalvandos eſſe, quia immunda animalia pariter ac munda in Arca ſalvata ſunt, quas conſecutiones non admittunt noſtri adverſarii.

Objicies 2. Eccleſia quæ eſt verè Chriſti Sponſa, Canticorum 4. v. 12. dicitur, *Hortus concluſus*, *Fons ſignatus*, *Puteus aquarum viventium*: quæ omnia propter electos & prædeſtinatos dicta de Eccleſia fuiſſe docet S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo c. 27.

Reſp. Ea omnia intelligi de Eccleſia vel triumphante, vel militante. Si primum, nobis non adverſantur, cùm in ea ſoli electi & prædeſtinati contineantur: hanc autem eſſe mentem S. Auguſtini, vel ex uno ejus teſtimonio Lib. 2. Retractationum cap. 18. inferri poteſt, in quo ſic loquitur: *Ubicunque Eccleſiam commemoravi non habentem maculam neque rugam, non ſic accipiendum eſt quaſi jam ſit, ſed quæ præparatur ut ſit quando apparebit etiam glorioſa*. Si ſecundum, potuit etiam Eccleſia militans vocari hortus concluſus & fons ſignatus, propter electos & prædeſtinatos quos ſuo ſinu complectitur, tametſi non omnes qui ad eam pertinent ſancti ſint & prædeſtinati: quemadmodum ſolet ſæpe Scriptura per ſynecdochen tribuere aliquid toti, quod tantùm convenit parti. Vel etiam dici poteſt hortus concluſus & fons ſignatus, non quaſi ſolos contineat electos; ſed hoc ſenſu quòd ſolis occludatur alienis & extraneis à fide. Sicut ergo in horto etiam concluſo vepres ſimul admixti reperiuntur cum floribus, & ſpinæ cum roſis, ſic & in Eccleſia ſimul cum ſanctis & prædeſtinatis ſunt reprobi. To. 1. p. 48. C.

Adde, quod ait hic Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante c. 7. ea, quæ in Canticis de ſponſa dicuntur, non neceſſariò intelligenda eſſe de Eccleſia. Quidam enim ea intelligunt de Eccleſia; quidam de Beata Virgine; quidam de qualibet anima perfecta, quod ultimum Bellarmino videtur probabilius.

Objicies 3. Eccleſia eſt unum Ovile, ut ait Chriſtus Joan. 10. v. 16. Atqui iſtius Ovilis oves ſunt ſoli & omnes prædeſtinati. Sunt, inquam, ſoli: nam S. Aug. Tract. 45. in Joan. expreſsè docet, per oves *intelligi eos quos Dominus per præſcientiam ſuam novit eſſe ſuos*. Sunt etiam omnes: nam in aliis Scripturæ locis prædeſtinati dicuntur oves & filii Dei, etiam cùm in errore Gentilitatis verſantur. Joann. 10. v. 16. *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili.* Joann. 11. v. 52. *Jeſus moriturus erat pro gente; & non ſolùm pro gente, ſed etiam ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum*. 1. Joann. 2. v. 19. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*. Igitur etiam antequam exirent non erant ex nobis, ſed videbantur eſſe. T. 3. par. 1. p. 600. A.

Con-

Confirmatur ex S. Auguſtino Lib. de corrept. & grat. cap. 9. ubi tractans citata loca ſic ait: *Sunt quidam, qui filii Dei propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec tamen ſunt à Deo.... Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; hoc eſt, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.* Et rurſus: *Quia ergo non habuerunt perſeverantiam, ſicut non verè diſcipuli Chriſti, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur & ita vocabantur.*

T. 10. p. 701. A. Ibid. p. 762. C.

Reſp. nego min. quoad utramque partem.

Quoad primam quæ dicit per oves intelligi ſolos prædeſtinatos: nam licèt in Scripturis interdum nomen ovis ſignificet prædeſtinatos, ut Matth. 25. v. 33. ubi ſeparantur oves ab hædis, & Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*; attamen interdum etiam ſignificat alios quàm prædeſtinatos, omnes ſcilicet tam bonos quàm malos, qui externa ſaltem fidei profeſſione pertinent ad Eccleſiam: quo ſenſu Chriſtus alloquens Petrum Joan. 21. v. 18. dicit, *Paſce oves meas*. Et Pſal. 73. v. 1. dicitur: *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ*. Et Ezechielis 34. ubi deſcribuntur oves Dei aliæ pingues, aliæ macilentæ, aliæ ſanæ, aliæ ægrotæ.

Ad auctoritatem S. Auguſtini, reſpondeo eum expreſsè obſervare citato loco, ſecundùm præſcientiam Dei & prædeſtinationem multas oves foris eſſe, & multos lupos intus; ſimiliter & multas oves intus, multos verò lupos foris: quòd multi qui blaſphemant Chriſtum, ſint in ipſum credituri; & multi qui eum intus laudant, ſint poſtea blaſphematuri.

Ad ſecundam partem dico nec omnes prædeſtinatos eſſe in Eccleſia; cùm multi Infideles, Pagani & Hæretici ſint extra Eccleſiam, licèt aliquando convertendi ſint & ad ejus ſinum adducendi.

Ad Scripturæ teſtimonia quæ objiciuntur; non alio titulo oves Chriſti & filii Dei ii appellantur, quàm prædeſtinationis; non autem quaſi actu ſint oves Chriſti & filii Dei. Hoc ſenſu dicitur 2. ad Timoth. 2. v. 19. *Novit Dominus qui ſunt ejus*: ubi ſermo eſt de illis qui ſunt ejus per prædeſtinationem, non autem de tota Eccleſia; ibidem enim ſubjungit v. 20. *In magna domo ſunt vaſa aurea & argentea, & lignea & fictilia*. Et ſimiliter dicuntur reprobi, qui exierunt de Eccleſia, non fuiſſe ex nobis; quia non fuerunt ex nobis ſecundùm prædeſtinationem, licèt fuerint ſecundùm Sacramentorum communionem. Ita intellexiſſe S. Auguſtinum patet ex Lib. 4. de Baptiſmo c. 2. & L. 2. contra Creſconium c. 21.

L. 3. de Eccleſ. Milit. c. 7. T. 2. p. 90. col. 1. C.

Altera diſtinctio eſt, ait Bellarminus loco mox indicato, *poſſe aliquem dici verè filium Dei, aut membrum Corporis Chriſti duobus modis: uno modo veritate eſſentiæ ſive formæ: altero modo veritate finis, vel, ut alii dicunt, veritate permanentiæ. Veritate eſſentiæ eſt filius Dei, qui habet charitatem. 1. Joan. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt. Et ſimiliter veritate eſſentiæ eſt membrum Chriſti, qui de eodem ſpiritu vivit. 1. Corinth. 12. In uno ſpiritu omnes vos in unum corpus baptiſati eſtis. At veritate finis dicitur filius Dei, qui aſſequetur hæreditatem; & qui non aſſequetur, videtur filius, ſed non eſt: finis enim filiationis eſt hæreditas. Quòd ſi filius, & hæres per Deum, Galat. 4. Sic etiam veritate finis eſt membrum, qui ſalvabitur; nam ad hoc univit ſibi Chriſtus Eccleſiam, tanquam corpus Capiti, ut eam ſalvaret, ut dicitur Epheſ. 4. Itaque qui eſt in gratia, & tamen non eſt prædeſtinatus, eſt verè filius & membrum veritate eſſentiæ*;

ſentiæ; non autem eſt filius & membrum veritate finis. E contra, qui non eſt in gratia & tamen eſt prædeſtinatus, non eſt verè filius nec membrum veritate eſſentiæ; & tamen eſt verè utrumque veritate finis. De prima veritate intelligitur illud 1. Joan. 2. Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. De ſecunda intelligitur illud Joan. 8. Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.

Quibus notatis, facilè intelligentur loca S. Auguſtini, ubi dicit juſtos non prædeſtinatos non eſſe verè filios nec membra. Loquitur enim de veritate finis, non de veritate eſſentiæ. Nam ipſe in iiſdem locis ſe explicat. Lib. de corrept. & grat. cap. 9. poſtquam dixit probos non prædeſtinatos non eſſe verè filios, ſubjungit: Non, quia juſtitiam ſimulaverunt, ſed quia in ea non manſerunt. Et Lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 32. reddens rationem cur dixerit, non verè pertinere ad Corpus Chriſti eos qui cum illo non erunt in æternum: Nunc inquit, in uno ſunt, non tamen ſemper in uno erunt: ipſe eſt quippe ille ſervus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus cùm venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis ponet. Hactenus Bellarminus.

Objicies 4. Apoſtolus Hebræorum 3. poſtquam comparatione facta inter Chriſtum & Moyſen, hunc aſſeruit eſſe ſervum, illum verò filium Dei in domo ſua, ſic loquitur v. 6. *Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus.* Quibus verbis innuit Apoſtolus, nos ad domum Dei, hoc eſt Eccleſiam non pertinere, niſi firmam fidem & ſpem retineamus: atqui ſoli prædeſtinati retinent firmam fidem & ſpem uſque ad finem.

Reſp. eò loci hortari Apoſtolum Hebræos ut in fide & vita Chriſtiana perſeverent, neque propter varias tentationes & Judæorum perſecutiones animo frangantur, & à fide deficiant; adeoque agere tantùm de perſeverantia in domo Dei, quaſi hinc concludere deberent Hebræi, parum eſſe, quòd fuiſſent membra Eccleſiæ, niſi uſque in finem perſeverarent.

Addi poteſt, nos eſſe domum Dei, ſeu ipſius Eccleſiæ membra perfecta, ſi perſeveremus in fide & charitate; quia tunc non tantùm ſumus in corpore Eccleſiæ, ſed etiam ipſius animæ hiſce fidei & charitatis vinculis conjungimur.

Objicies 5. Chriſtus non eſt Caput niſi ejus Eccleſiæ quam ſalvabit: atqui ad ejuſmodi Eccleſiam ſoli pertinent prædeſtinati, cùm ſoli ſalvi futuri ſint; ergo &c.

Reſp. diſtinguo maj. Chriſtus non eſt Caput niſi ejus Eccleſiæ quam ſalvabit, aut efficienter, aut ſaltem ſufficienter, concedo: quam efficienter dumtaxat ſalvabit, nego. Eodem quippe modo Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ, quo dicitur Salvator: at Chriſtus Dominus Salvator eſt non tantùm prædeſtinatorum, ſed etiam omnium hominum, ſaltem ſufficienter. Pro omnibus enim mortuus eſt, qui mortui ſunt in Adam: at omnes in Adam mortui ſunt; ergo pro omnibus mortuus eſt ſufficienter ſaltem: omnibus enim dat aut ſaltem offert & præparat media neceſſaria ad ſalutem, ut docent Theologi ubi de Gratia.

ARTICULUS SECUNDUS.

An ſoli juſti & perfecti ſint Eccleſiæ membra.

QUæſtio eſt utrùm Eccleſia ex ſolis juſtis ac perfectis conſtet; an non etiam peccatores admittat & contineat.

Novatianorum & Donatiſtarum ſententia fuit, quam amplexi ſunt Confeſſionis Auguſtanæ Lutherani, Eccleſiam ſolis conſtare bonis, juſtis, & ſanctis hominibus, qui Chriſto conjuncti ſunt, non ſolùm per fidem, ſed etiam per charitatem & gratiam ſanctificantem; ac proindè Eccleſiam ſinu ſuo non complecti peccatores, ſaltem magnos, ſive graves & manifeſtos.

Pelagiani verò, ut obſervat S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus, non tantùm excludebant peccatores, ſed etiam imperfectos, ita ut Eccleſia dici non poſſet ſine ruga & macula, ſi homines imperfectos, hoc eſt, vel levioribus etiam peccatis obnoxios admiſiſſet. Contra quos ſit

CONCLUSIO,

Non ex ſolis perfectis & juſtis conſtat Eccleſia, ſed etiam admixtos habet homines imperfectos & peccatores, etiam manifeſtos.

Duæ ſunt partes. Prima pars, nempe Eccleſiam non conſtare ex ſolis juſtis & perfectis, ſed admixtos habere homines etiam imperfectos,

Probatur: Quia perfectorum nomine duo poſſunt intelligi hominum genera; vel eorum qui nullam unquam contraxerunt peccati etiam levioris maculam; vel eorum, qui licèt peccatis mortalibus non fuerint inquinati, nihilominus propter humanam fragilitatem quælibet venialia declinare non potuerunt: atqui Eccleſia non conſtat ex ſolis illis perfectis, ſeu priori, ſeu poſteriori modo conſideratis.

Non priori; alioquin enim ad ſolum Chriſtum Dominum & beatiſſimam ejus Matrem contrahenda foret Eccleſia: ſolus enim Chriſtus ex natura, beatiſſima autem Virgo ex gratia & privilegio nullum unquam vel tenuiſſimum commiſit peccatum: de cæteris mortalibus generatim pronuntiat S. Joan. Epiſtolæ ſuæ primæ cap. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Non poſteriori; mox enim oſtendemus inſignes etiam & manifeſtos peccatores eſſe in Eccleſia..

Secunda pars, ſcilicet peccatores etiam inſignes & manifeſtos, bonis & juſtis in Eccleſia permixtos eſſe.

Probatur 1. ex Scripturis argumento multiplici.

Primum ducitur ex variis nominibus, figuris & parabolis quibus Eccleſiam adumbratam fuiſſe jam oſtendimus: ex iis etenim cuique palam eſſe debet, hanc eſſe præſentis Eccleſiæ militantis ſortem, ut ſimul habeat admixtos prædeſtinatos & reprobos, bonos & malos. Hoc autem potiſſimum argumento Catholici debellarunt Donatiſtas in celebri Collatione Carthaginenſi; atque eo ita ſuperatos & oppreſſos fuiſſe Schiſmaticos illos obſervat S. Auguſtinus in Breviculo Collationis, ut ab eo ſe ſe expedire nullatenus potuerint,

Digitized by Google

rint. Et ipſemet ſanctus Doctor Lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 3. ad eundem ſcopum urget & explicat quinque parabolas areæ, convivii, retis, paſcuorum, agri, quibus in Scripturis Eccleſia deſignatur.

Secundum petitur ex cap. 18. v. 15. & ſeq. S. Matth. ubi Chriſtus tradens præceptum correptionis fraternæ, jubet ad Eccleſiam deferri peccatores, qui privata correctione emendari non poſſunt, & ab ejus ſinu removendos ſi eam non audierint: Supponit igitur Chriſtus ejuſmodi peccatores in Eccleſia contineri, à qua ejici non debeant niſi propter contumaciam.

Tertium colligitur ex cap. 23. v. 3. S. Matth. ubi Chriſtus loquens de malis Præpoſitis & Doctoribus, jubet ut faciamus quod dicunt, non verò quod faciunt: ſunt igitur illi in Eccleſia, quorum vita verbis non conſentit.

Quartum eruitur ex eodem S. Matth. c. 24. v. 9. ubi ſub nomine mali ſervi percutientis conſervos & bibentis cum ebrioſis, deſcribit Chriſtus malos Eccleſiæ Præpoſitos, qui dum commeſſationibus & voluptatibus indulgent, officia ſua negligunt, & patrimonia diſſipare non pertimeſcunt, ut docent SS. Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus ad hunc locum.

Quintum denique petitur ex Epiſtola 1. ad Corinth. cap. 1. ubi poſtquam præmiſit Apoſtolus ſe ſcribere Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, mox v. 11. ait, eſſe *contentiones* inter ipſos. Et cap. 5. acrem & ſeveram ſubjungit objurgationem, non tantùm inceſtuoſi, qui tantum facinus admiſerat, ſed etiam Eccleſiæ Corinthiorum, quæ hoc ſciebat & impunitum relinquebat non ſine gravi culpa negligentiæ. Hæc porrò Corinthiorum Eccleſia vera erat Chriſti ſocietas, in qua tam inſignis & manifeſtus fuit peccator inceſtuoſus, quem ſatanæ tradidit S. Paulus, id eſt graviſſimæ pœnitentiæ ſubjecit, ut ſpiritus ejus ſalvus eſſet in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Probatur 2. ex conſtanti ac perpetua Eccleſiæ fide & traditione, quam Pelagianis ac Donatiſtis, ſtatim ac exortus eſt circa præſens argumentum eorum error, oppoſuere SS. Patres, imprimis ſanctus Auguſtinus cujus opera & labore uſa eſt feliciter Eccleſia, in illis Hæreticis debellandis. Ita

In tribus Libris contra Epiſtolam Parmeniani, ubi paſſim oſtendit multos eſſe in Eccleſia improbos, eorumque impietatem nulli debere eſſe offendiculo.

In tribus itidem Libris contra Epiſtolam Petiliani, ubi probat Præſulum nequitiam Eccleſiæ ſanctitati & integritati non obeſſe. Et Lib. 3. cap. 12. ita ſubjungit: *Homo*, inquit, *ſum de Eccleſia Chriſti; palea, ſi malus; granum, ſi bonus. Non eſt hujus areæ ventilabrum lingua Petiliani.* T. 9. p. 305. A.

In Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 12. & 13. dicit innumera ſuppetere Scripturæ teſtimonia de mixtione Eccleſiæ, de ejus multitudine ac frequentia; atque in hunc finem affert dicta Prophetarum & facta. Ib. p. 358. & ſeq.

Lib. 2. de Baptiſmo cap. 6. oſtendit communione malorùm non poſſe perire Eccleſiam Chriſti, aut temporibus Cypriani eam periiſſe. Et Lib. 4. c. 7. *Diſtinguamus*, inquit, *inter eos, qui mali foris ſunt, & eos qui intus mali ſunt.* Ibid. p. 100. Ibid. p. 127. C.

Et Lib. 7. cap. 51. poſtquam obſervavit quoſdam ita eſſe in domo Dei, ut ſint etiam ipſi eadem domus Dei, ſcilicet bonos & ſanctos, dicit alios eſſe, *qui licèt ad compagem domus, ſeu ad ſocietatem juſtitiæ non pertineant, ſunt tamen in Eccleſia ſicut paleæ ſunt in frumentis. Iſtos enim*, ait, *eſſe in* Ibid. p. 201. A.

domo negare non poſſumus, dicente Apoſtolo, in eadem domo eſſe vaſa in honorem, alia in contumeliam. Ibidem ait eos qui in Eccleſia vivunt carnaliter & animaliter, eſſe ab illa ſpiritaliter ſeparatos: ſupponit igitur eos verè, realiter & corporaliter, ut ita dicam, eſſe in Eccleſia.

Libro denique de vera Religione; poſtquam cap. 5. ab Eccleſia Ethnicos, Judæos, Hæreticos, & Schiſmaticos procul alienos eſſe pronuntiavit, improbos Catholicos diſertè in ea ponit. *Neque enim in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in langore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda eſt Religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur, ideſt, integritatis cuſtodes & recta ſectantes.* Et poſtea cap. 6. de improbis Catholicis ſic habet: *Carnales autem ſuos, ideſt viventes aut ſentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea, vel frumentum eſt, tandiu ſuſtinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accuſatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat.*

Ibid. F.

Probatur 3. aliquot rationibus Theologicis.

Prima eſt, Quia ſacramentum Pœnitentiæ aliorum non eſt quàm qui ſunt in Eccleſia: atqui ſacramentum Pœnitentiæ juſtorum non eſt ac ſanctorum, ſed peccatorum, ad quorum peccata qualibet poſt Baptiſmum admiſſa eluenda & expianda eſt à Chriſto Domino inſtitutum; ergo &c.

Secunda, Si morum pietas & juſtitia ad Eccleſiæ conditionem requireretur, viſibilis non eſſet & conſpicua Eccleſia: atque incertum omnino foret quinam eſſent de Eccleſia: ſanctitatis enim & vitii conditio latet nos perinde ac prædeſtinationis arcanum, cùm ſcriptum ſit, *neminem ſcire utrum odio vel amore dignus ſit.*

Eccl. 9. v. 1.

Tertia, Quia illi ſunt verè & ſimpliciter in Eccleſia, qui ſunt membra Eccleſiæ ſaltem imperfecta: atqui peccatores ſunt membra Eccleſiæ ſaltem imperfecta: qui enim pertinent ad corpus Eccleſiæ, licèt animam ejus perfectè non participent, ſunt ſaltem membra Eccleſiæ imperfecta. Quemadmodum enim membrum in homine, licèt ſit mortuum, modò tamen cum ejus corpore conjunctum ſit, eſt adhuc membrum hominis licèt imperfectum; ita ſimiliter qui conjunctus eſt cum corpore Eccleſiæ, licèt ejus animæ ſit expers, eſt tamen membrum Eccleſiæ, quamvis imperfectum. Atqui peccatores pertinent ad corpus Eccleſiæ, ſcilicet per profeſſionem fidei externam, quamvis ejus animam perfectè non participent: quia licèt fidem internam habeant, quæ pertinet ad animam Eccleſiæ, charitatem tamen non habent, quæ eſt potiſſima & nobilior illius pars; ergo ſunt membra Eccleſiæ, quamvis arida, mortua, & imperfecta.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Pelagianis duo Scripturæ teſtimonia: alterum ex Lib. Canticorum cap. 4. v. 7. ubi de Eccleſia dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Alterum ex Epiſtola S. Pauli ad Epheſios cap. 5. v. 27. ubi loquens de Eccleſia, ait, *Chriſtum ſe ipſum tradidiſſe pro ea ut exhiberet eam glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi,*

Digitized by Google

modi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Quem Apoſtoli textum de Eccleſia Catholica hujus temporis intelligi debere, docet Conc. Toletanum VI. cap. I.

Reſp. ad primum: 1. textum illum de Eccleſia triumphante intelligi poſſe, ſicut expreſsè docet S. Auguſtinus Lib. 1. Retractationum cap. 19. & Lib. 2. cap. 18. quæ certè explicatio nobis hic non nocet. 2. intelligi poſſe de Eccleſia militante, & quidem ſenſu multiplici eoque planè orthodoxo: ſcilicet, Eccleſia præſentis temporis tota pulchra dicitur & ſine macula; vel propter doctrinæ veritatem, ac ſanctitatem morum, quam præcipit & commendat, non autem propter vitæ juſtitiam quæ ſit in ſingulis ejus membris: ad hanc autem denominationem planè ſufficit ſanctam eſſe in ſe Eccleſiæ doctrinam circa fidem & mores; neque enim ſuorum vitiis aut erroribus inquinari aut labefactari unquam poteſt, cùm perpetuò aſſiſtentem ſibi habeat Spiritum ſanctum. Vel tota pulchra dicitur & ſine macula, quòd ſit myſticum Chriſti corpus variis diſtinctum membris & ordinibus, qui ad tam præclari corporis compaginem rectamque diſpoſitionem pertinent, idque ea proportione quam ejus pulchritudo requirit, per omnem juncturam ſubminiſtrationis in eximia ac penè incredibili miniſtrantium & miniſtrationum varietate, quam egregiè deſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 12. Vel tota pulchra dicitur, comparativè ad veterem Synagogam & alias ſocietates Hæreticorum aut Ethnicorum: quo ſenſu intelligendus videtur S. Auguſtinus Lib. 2. de Civitate Dei cap. 28. Vel denique tota pulchra dicitur, ſumpta denominatione à parte Eccleſiæ nobiliori, anima ſcilicet ipſius, quæ in fide, charitate, cæteriſque virtutibus poſita eſt.

Ad ſecundum: Duplex eſt hujus loci expoſitio: alia S. Auguſtini toto ferè Libro de perfectione juſtitiæ contra Cœleſtium, & pluribus aliis in locis, ubi docet textum Apoſtoli intelligendum eſſe de Eccleſia quæ ſanctificatur quidem ac mundatur in hoc ſæculo per Baptiſmum, fidem & charitatem; ſed tamen non ita perficitur hæc mundatio, ut prorſus immaculata dici poſſit, donec Chriſtus eam ſibi exhibeat in altero ſæculo glorioſam ſine macula & ruga. Græci fermè omnes interpretantur de Eccleſia hujus ſæculi: at neque hic eorum ſenſus nobis officit; cùm non alia ratione præſens Eccleſia dicatur immaculata, quàm quòd in præſtantioribus ſuis membris nullam prorſus habeat hujuſmodi maculam. Ad Conc. Toletanum, dico ita quidem intellexiſſe Patres hujus Concilii verba Apoſtoli; non tamen excluſiſſe aliam interpretationem, neque definiiſſe uno potius quàm alio modo eſſe intelligenda.

Objicies 2. cum Donatiſtis aliquos Scripturæ textus, ex quibus inferri poſſe videtur malos & peccatores non eſſe in Eccleſia Chriſti.

Iſaiæ 52. v. 1. de Sion, hoc eſt Eccleſia Chriſti dicitur: *Non adjiciet ultrà, ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus*. Et v. 11. *Recedite, recedite exinde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*. Quem locum exponens Apoſtolus 2. Corinth. 6. v. 18. addit: *Et recipiam vos, dicit Dominus*. Quibus verbis videtur effici, Deum in Eccleſiam non admittere niſi eos qui ſe ab immundis peccatoribus ſeparant: cujus rei rationem loco citato v. 14. & 15. reddit Apoſtolus his verbis: *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ conjunctio Chriſti cum Belial?*

S 2 I. ad

I. ad Corinth. 10. v. 17. loquens Apoſtolus de univerſo fidelium cœtu, ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. At panis ex frumento dumtaxat perficitur, non verò ex paleis admixtis.

Roman. 8. v. 9. *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Et 1. Corinth. 12. v. 13. *In uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptiſati ſumus*. Atqui improbi non habent ſpiritum Chriſti; ergo non ſunt in Eccleſia.

Reſp. ad ſingula.

Ad primum reſpondet 1. S. Auguſtinus Lib. contra Donatiſtas poſt Collationem cap. 8. & 20. & in Breviculo Collationis diei 3. verba hæc Prophetæ, *Non adjiciet ultrà, ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus*, intelligenda eſſe de Eccleſia triumphante. Quod verò additur, *Recedite, exite &c.* intelligi de ſeparatione, quæ debet fieri animo & moribus, non autem corporali diſceſſione ab eodem Templo & Sacramentis. Ita pariter exponi debet Apoſtolus 2. ad Corinth. 6. ubi abſolutè & ſimpliciter non prohibet quodcunque cum infidelibus commercium; neque enim Corinthii, ad quos ſcribebat, vetabantur habitare cum infidelibus, aut cum iis cibum ſumere &c. alioquin ex hoc mundo exeundum ipſius fuiſſet; aut etiam habere conjuges infideles & cum iis manere, ſicut conſtat ex c. 5. v. 12. ſed iis prohibetur tantùm tam arcta cum Infidelibus ſocietas, ut inde oriatur periculoſa neceſſitas communicandi cum iiſdem in moribus & Religione.

Bell. Lib. 3. de Eccl. c. 9. T. 2. p. 52. col. 1. C.

Reſpondet 2. S. Cyrillus in citatum Iſaiæ locum, juxta ſenſum hiſtoricum agi de temporali perſecutione Judæorum, ut ſenſus ſit: Cùm à captivitate redieris, non adjiciet ultrà, id eſt in longum tempus, aliquis infidelis perſequutor per terras tuas eas vaſtando pertranſire: ſecundùm autem myſticum ſenſum, ſermonem eſſe de Eccleſia, & prædicere Iſaiam, fore, ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam; incircumciſi enim & immundi hoſtes Eccleſiæ præcipuè ſunt dæmones. Pari ratione quod ſequitur, *Recedite, recedite &c.* ſecundùm hiſtoricum ſenſum intelligitur de Judæis, quos hortatur Iſaias ut exeant de Babylone, cùm finitum fuerit tempus captivitatis: ſecundùm myſticum ſenſum intelligitur de Chriſtianis, qui debent poſt Baptiſmum ſeparari ab Infidelium cœtibus, templis, ſacrificiis, conjugiis, & cæteris rebus, quæ quoquo modo ad Religionem pertinent: atque hoc modo locum hunc intellexit & citavit S. Paulus 2. Corinth. 6. non enim de commercio cum quibuſvis peccatoribus, ſed ſolùm cum Infidelibus agit: *Nolite, inquit, jugum ducere cum Infidelibus: quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis?*

Ad ſecundum: 1. Comparationes & ſimilitudines non ſunt in omnibus urgendæ. In hoc ſtat adducta comparatio, quòd ſicut ex multis granis per aquam fit unus panis, ita ex multis hominibus per gratiam Baptiſmi & Spiritum ſanctum fit unus populus Dei. 2. Panis non tantùm ex puro frumento conſtat, ſed etiam interdum ex malitia eorum à quibus conficitur, admiſcentur grana lolii aut alia quædam hujuſmodi à tritico diverſa. 3. Certum eſt, juxta doctrinam Apoſtoli, non ſolùm bonos in Eccleſia, ſed etiam malos & ſacrilegos participare de uno pane Euchariſtico: aliàs enim non arguerentur tam acriter quicunque de illo pane indignè manducarent, quos ait judicium ſibi manducare ac bibere.

Ad

Ad tertium: Qui ſpiritu Dei aguntur, & habent in ſe diffuſam charitatem per Spiritum ſanctum, ii ad Chriſtum pertinent tanquam viva membra, & palmites fructuoſi in vite; adeoque perfectè ſunt in Eccleſia: mali verò ſeu peccatores ſunt membra Chriſti mortua, arida, imperfecta, quæ tamen motum aliquem habent, tùm propter externam unionem cum reliquo corpore quod movet ſpiritus Chriſti, à quo numquam Eccleſia deſeritur; tùm propter internam fidem quæ motum aliquem exercet.

Objicies 3. auctoritatem S. Auguſtini, qui paſſim in ſuis contra Donatiſtas Libris probat immeritò ab iis repeti Baptiſmum qui ab Hæreticis collatus eſt, eo prætextu quòd illi in Eccleſia non ſint, cui ſoli data ſunt Sacramenta: quandoquidem nec datum à facinoroſis & gravioribus peccatoribus Baptiſmum repetant; licèt tam iſti quàm Hæretici in Eccleſia non deputentur. Qua in re doctrinam & praxim Donatiſtarum pugnare ſecum oſtendit ſanctus Doctor, ac parem omnino ſupponit eſſe conditionem Hæreticorum & malorum, quantùm ad eorum ab Eccleſia excluſionem.

Ita verò paſſim arguit contra Donatiſtas.

Tractatu 6. in caput primum Evangelii ſancti Joannis, n. 12. *Hoc ergo quæro*, inquit, *ſi columba eſt ſimplex, innocens, ſine felle, pacata in oſculis, non ſæva in unguibus; quæro utrum ad hujus columbæ membra pertineant avari, raptores, ſubdoli, ebrioſi? &c. Abſit, inquit.* (Donatiſta loquitur) *Et revera, fratres, quis hoc dixerit? Ut nihil aliud dicam, raptores ſolos ſi dicam, membra acciptris poſſunt eſſe, non membra columbæ: milvi rapiunt, accipitres rapiunt, corvi rapiunt: columbæ non rapiunt, non dilaniant: ergo raptores non ſunt membra columbæ. Non apud vos fuit vel unus raptor? Quare manet Baptiſmus quem dedit accipiter, non columba? Quare non baptiſatis apud vosmetipſos poſt raptores & adulteros & ebrioſos & avaros? An iſti omnes membra columbæ ſunt? Sic dehoneſtatis columbam veſtram, ut ei membra vulturina faciatis.* To. 3. part. 2. p. 335. C.

Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 21. n. 60. *Cùm igitur*, inquit, *boni & mali dent & accipiant Baptiſmi Sacramentum, nec regenerati ſpiritualiter in corpus & membra Chriſti coædificentur niſi boni; profectò in bonis eſt illa Eccleſia, cui dicitur: Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his eſt enim quia ædificant ſuper petram, id eſt, qui audiunt verba Chriſti, & faciunt.... Non eſt ergo in eis qui ædificant ſuper arenam, id eſt, qui audiunt verba Chriſti & non faciunt.... Qui ergo compage charitatis incorporati ſunt ædificio ſuper petram conſtituto, & lilio inter ſpinas candenti, ipſi utique poſſidebunt regnum Dei. Qui autem ſuper arenam ædificant, vel in ſpinis deputantur; quis dubitaverit quòd regnum Dei non poſſidebunt?* T. 9. p. 378. G.

Et cap. 22. ejuſdem Libri loquens de illis de quibus Apoſtolus ait Galat. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Omnes itaque iſti*, inquit, *non ſunt in lilio, nec ſuper petram: inter hos autem Hæretici poſiti ſunt. Cur ergo vos, ut omittam cætera, non baptiſatis poſt ebrioſos, luxurioſos, invidos, qui regnum Dei non poſſidebunt, & ideo in petra non ſunt; & quia in petra non ſunt, procul dubio in Eccleſia non deputantur; quia ſuper hanc petram, inquit, ædificabo Eccleſiam meam: & vos vultis ut baptiſemus poſt Hereticos, qui inter eaſdem ſpinas regnum Dei non poſſeſſuras enumerati ſunt.* Ib. p. 379 D.E.

Lib. 2. contra Creſconium Grammaticum cap. 21. *Tingere ergo poſſunt*, Ibid. p. 423. A.

inquit, *boni & mali; abluere autem conſcientiam nonniſi ille qui ſemper bonus eſt. Ac per hoc etiam neſciente Eccleſia propter malam pollutamque conſcientiam damnati à Chriſto, jam in corpore Chriſti non ſunt quod eſt Eccleſia, quoniam non poteſt Chriſtus habere membra damnata. Proinde & ipſi extra Eccleſiam baptiſant. Omnia quippe iſta monſtra abſit omnino ut in membris illius columbe unicæ computentur: abſit ut intrare poſſint limites horti concluſi, cujus ille cuſtos eſt qui non poteſt falli.*

Lib. 3. de Baptiſmo cap. 18. ait Eccleſiam in malis non eſſe, *ſive foris tumultuentur, ſive intus cum gemitu tolerentur.* Et Lib. 4. c. 3. ait improbos videri eſſe in Eccleſia, ad quam tamen omnino non pertinent.

Ibid. p. 118. A. Ib. p. 123. B. C.

Reſp. diſtinguo. S. Auguſtinus parem ſupponit eſſe improborum & Hæreticorum conditionem quantùm ad poteſtatem validè baptiſandi, & maximè in principiis Donatiſtarum quos argumento ad hominem, ut dicitur, premit, concedo: ſupponit parem eſſe improborum & Hæreticorum conditionem quantùm ad excluſionem ab Eccleſia, ſubdiſtinguo: ab Eccleſia inadæquatè ſumpta, hoc eſt ab anima Eccleſiæ, quæ illius pars eſt nobilior, & qua una conſtare Eccleſiam volebant Donatiſtæ, concedo: ab Eccleſia adæquatè ſumpta, tam pro corpore ipſius quàm anima, nego.

Cùm itaque S. Auguſtinus tam frequenter urget adversùs Donatiſtas comparationem improborum & Hæreticorum, & contendit non magis improbos, quàm Hæreticos eſſe in Eccleſia, argumentatur, ut ajunt, ad hominem, & in ipſa Donatiſtarum ſententia, ut oſtendat immeritò ab illis rejici Batiſmum datum ab Hæreticis, quandoquidem non rejicerent datum ab improbis, quorum tamen eadem debet eſſe conditio in ipſiſmet principiis Donatiſtarum, quantùm ad validam Baptiſmi adminiſtrationem.

Scilicet docebant illi, valorem Sacramenti pendere ex perſonali probitate Miniſtri, & Spiritum ſanctum ab eo dari non poſſe, qui eum non haberet; atque toties nullum eſſe Sacramentum, quoties ſuo careret effectu. Docebant pariter, Eccleſiam ſolis juſtis & ſanctis conſtare, & ab iis ſolis validè conferri Baptiſmum, qui ſoli membra ſunt Eccleſiæ, quæ tota ſancta eſt ſine macula & ruga, in qua una vera reperiuntur Sacramenta: conſequenter Baptiſmum ab Hæreticis datum rejiciebant illi, ac iterabant; Baptiſmum verò datum ab improbis, raptoribus, homicidis, adulteris, nec rejiciebant, nec iterabant: qua in re parum ſibi conſtare Donatiſtarum doctrinam rectè oſtendit ſanctus Auguſtinus, argumento ad hominem; atque ab illis debere aut admitti pariter, aut pariter rejici Baptiſmum datum ab Hæreticis & improbis miniſtris; quia ſcilicet non magis improbus habet Spiritum ſanctum, quàm Hæreticus; non magis pertinet ad eam Eccleſiam quæ tota ſancta eſt ſine macula & ruga, quàm Hæreticus: ergo non plùs valet datus ab eo Baptiſmus, quàm valet datus ab Hæretico. Atqui tamen iſtum rejiciunt Donatiſtæ, illum verò admittunt: quomodo hæc conciliantur? Ergo, concludit ſanctus Doctor, ſicut valet Baptiſmus datus ab improbo, quia non ipſius, ſed Chriſti Baptiſmus eſt: ita pariter valet Baptiſmus datus ab Hæretico, quia non ipſius, ſed Chriſti Baptiſmus eſt. Hoc eſſe S. Doctoris ratiocinium & argumentum ab hominem contra Donatiſtas, patet ex omnibus locis quæ hìc adducta ſunt, præſertim ex cap. 22. Libri de unitate Eccleſiæ, & ex cap. 4. Libri 4. contra Donatiſtas, ubi ſic arguit; *Sicut urgeri videor*

T. 9. p. 114. A.

deor cùm mihi dicitur, Ergo Hæreticus dimittit peccata? Sic & ego urgeo cùm dico, Ergo qui cæleſtia mandata non ſervat, avarus, raptor, fœnerator, invidus, verbis, non factis ſeculo renuncians, dimittit peccata? Si per vim Sacramenti Dei; ſicut ille, ita & ille. Si per meritum ſuum; nec ille, nec ille. Illud enim Sacramentum & in malis hominibus Chriſti eſſe cognoſcitur: in corpore autem unicæ columbæ, incorruptæ, ſanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugam, nec ille, nec ille invenitur. Et quomodo accipienti non prodeſt Baptiſmus ei qui ſeculo verbis non factis renuntiat, ſic non prodeſt ei qui in hæreſi vel ſchiſmate baptiſatur: utrique autem prodeſſe incipit, quod antè non proderat. Hactenus S. Auguſtinus.

Diſtingui pariter debent illæ, quæ apud S. Auguſtinum frequenter occurrunt propoſitiones, Improbi non ſunt in Eccleſia, licèt videantur eſſe: Non ſunt membra columbæ puræ, ſanctæ, immaculatæ &c. Diſtinguo: improbi non ſunt in Eccleſia, tanquam viva ipſius membra animata per ſanctitatem & charitatem, & ad ſenſum Donatiſtarum, qui non alia agnoſcebant vera Eccleſiæ membra, concedo: non ſunt in Eccleſia tanquam membra arida, mortua, imperfecta; quæ ad corpus dumtaxat Eccleſiæ pertinent, non verò ad animam, nego. Appoſitè igitur ad ſcopum ſuum & ad doctrinam Donatiſtarum ſæpius repetit ſanctus Auguſtinus, improbos non eſſe in Eccleſia, non eſſe membra columbæ unicæ, ſanctæ, & impollutæ; ut nempe inde arguat Donatiſtas contradictionis & erroris. Si enim Eccleſia ex ſolis juſtis conſtat, ut illi contendebant; ſi illi ſoli validè baptiſant, qui ſunt membra columbæ unicæ &c. non tantùm Hæretici, ſed nequidem improbi validè baptiſant: non enim (ut diximus) magis iſti, quàm illi ſunt, ad ſenſum Donatiſtarum, Eccleſiæ membra. Atqui tamen non baptiſabant illi poſt improbos, ſed tantùm poſt Hæreticos; ergo erroris ſimul & contradictionis rei illi erant. Unicum igitur S. Doctoris inſtitutum, in his contra Donatiſtas Libris, eſt ut oſtendat, valere Baptiſmum datum ab Hæreticis, perinde ac ab improbis; quia neceſſe non eſt ad validam Baptiſmi adminiſtrationem, ut Miniſter ſit vivum Eccleſiæ membrum animatum per charitatem, ut putabant Donatiſtæ, ſed ſatis eſt quòd Chriſti Sacramentum adminiſtret, cujus veritas & ſanctitas tota fluit à Chriſto; *Hic enim eſt qui baptiſat.* S. Aug. Non itaque comparat ſanctus Doctor improbos cum Hæreticis, quantùm ad excluſionem ab Eccleſia univerſali adæquatè ſumpta tam pro corpore, quàm pro anima; ſed dumtaxat quantùm ad excluſionem ab anima Eccleſiæ, & poteſtatem validè adminiſtrandi Baptiſmum, de qua una erat ipſi cum Donatiſtis controverſia.

Inſtabis 1. S. Auguſtinus Lib. 5. contra Donat. cap. 27. refellit S. Cyprianum qui ſcripſerat improbos intus eſſe, hoc eſt in Eccleſia, adeoque validum eſſe datum ab illis Baptiſmum; non autem datum ab Hæreticis qui foris ſunt. Quo porrò ſenſu dicere potuit ſanctus Cyprianus, improbos eſſe intus? Non ſanè per charitatem; noverat enim eam cum peccato mortali non cohærere: voluit ergo improbos ſaltem pertinere ad corpus Eccleſiæ, quod ſufficit ut validè baptiſent. Iſtud tamen refellit S. Auguſtinus; ergo exiſtimat improbos penitus excludi ab Eccleſia.

Reſp. Nuſquam ſanctum Auguſtinum improbaſſe quod ſcripſerat S. Cyprianus, nempe improbos intus eſſe; imò ex profeſſo hanc ipſius ſententiam

Digitized by Google

probat Lib. 4. contra Donat. cap. 12. Verùm ex illa ipſius ſententia argumentum ducit S. Auguſtinus, ut oſtendat non debuiſſe Cyprianum rejicere Baptiſmum Hæreticorum, ſicut non rejiciebat Baptiſmum improborum, aut debuiſſe utrumque pariter rejicere: quia ſcilicet idcirco Cyprianus rejiciebat Hæreticorum Baptiſmum, quia non ſunt intus; non ſunt autem intus, quia non habent Spiritum ſanctum, quem proinde aliis dare non poſſunt. Atqui pariter hoc ſenſu improbi non ſunt intus, non enim habent Spiritum ſanctum: quomodo igitur illum aliis dare poſſunt? quomodo ergo illorum Baptiſmum admittit Cyprianus? Quo in argumento non ait ſimpliciter & abſolutè S. Auguſtinus, improbos non eſſe intus, hoc eſt in Eccleſia, ſed juxta ſententiam & doctrinam Cypriani, eos intus non eſſe; quandoquidem illi dumtaxat, juxta Cyprianum, intus ſunt & validè baptiſant, qui habent Spiritum ſanctum: atqui improbi non habent Spiritum ſanctum; ergo non ſunt intus; ergo eorum Baptiſmum, ſi ſibi conſtare voluiſſet S. Cyprianus, admittere non debuiſſet, ſicut non admittebat propter eandem rationem & cauſam Baptiſmum Hæreticorum. Sic contradictionis, ac parum ſecum cohærentis doctrinæ Cyprianum arguebat Auguſtinus. Non igitur in ſua propria, ſed in ſententia dumtaxat S. Cypriani, S. Auguſtinus negat improbos eſſe in Eccleſia, quos tamen, non ſine contradictione, intus eſſe ſcripſerat Cyprianus.

Inſtabis 2. Sequitur in ſententia S. Auguſtini duas eſſe diſtinguendas Eccleſias, unam mixtam ex bonis & malis, alteram verò conſtantem ex ſolis juſtis.

Reſp. ita quidem olim, non ſine calumnia objeciſſe Donatiſtas, ut patet ex Breviculo Collationum in Collatione diei tertiæ; quibus Catholici reſpondebant, ſe nuſquam duas, ſed unicam admiſiſſe Eccleſiam, cujus quidem diſtingui poſſunt partes variæ & tempora diverſa.

Partes quidem; quia aliter boni, aliter mali ad Eccleſiam pertinent: boni enim ſunt quaſi anima & pars interior Eccleſiæ; mali autem quaſi corpus & pars exterior: ſicut dum loquimur de homine interiori & exteriori, tametſi diverſa ſint quæ ſignificantur, conſtat tamen non dici, nec eſſe duos homines.

Tempora etiam diſtinguenda eſſe aſſerebant Catholici: nunc in præſenti ſæculo Eccleſiam admixtos habere malos & bonos; tunc autem, hoc eſt in futuro ſæculo, non habituram niſi bonos: non tamen duas eſſe Eccleſias, ſicut non ſunt duo Chriſti, eo quòd Chriſtus ſemel mortuus fuerit, poſtea non moriturus. Verba ſancti Doctoris paulò antea laudavimus ex Breviculo Collat. cum Donatiſtis tertia die c. 9. n. 16.

Inſtabis 3. S. Aug. L. 3. de Bapt. c. 18. & Lib. 7. c. 51. & alibi paſſim docet ſolos Sanctos eſſe illam Eccleſiam quæ eſt fundata ſuper petram, cui datæ ſunt claves regni cœlorum, & de qua dicitur, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Reſp. diſtinguo ant. Soli Sancti ſunt de Eccleſia, in genere cauſæ finalis, hoc nimirum ſenſu, quòd omnia privilegia quæ à Deo conceſſa ſunt Eccleſiæ univerſæ, propter ſolos Sanctos conceſſa ſint & in eorum utilitatem ac ſalutem, ut nempe vitam conſequantur æternam, concedo: in quocumque alio genere, ſcilicet efficientis, materialis, aut formalis, quaſi

nimi-

nimirum Eccleſia pro ſtatu hujus vitæ ita fuerit inſtituta, ut ſolis debeat conſtare Sanctis, neque ejus Sacramenta per alios poſſint adminiſtrari quàm per Sanctos, nego. Adde, ſenſu non incongruo poſſe dici eos ad Eccleſiam non utcunque pertinere; qui ejus partem nobiliorem ac præcipuam, nempe animam, non participant, quales ſunt improbi, ſpiritu vitæ interioris ſeu ſanctitatis deſtituti.

Objicies denique aliquot rationes Theologicas. 1. Eccleſia eſt ſancta; ergo non conſtat niſi ex Sanctis. 2. Qui non habent Deum Patrem, non poſſunt habere Eccleſiam matrem: at improbi non habent Deum patrem. 3. Si mali eſſent Eccleſiæ membra, in eos aliquid influeret Chriſtus, qui ipſius Caput eſt: at Chriſtus nihil influit in malos.

Reſp. ad primum: Eccleſiam eſſe quidem ſanctam in ſe formaliter, quia quæcunque ad eam conſtituendam concurrunt, ſancta ſunt; non autem eſſe ſanctam materialiter & ſubjectivè, quaſi omnes homines ex quibus coaleſcit, ſint ſancti.

Ad ſecundum: quamvis daremus improbos non habere Eccleſiam matrem, non tamen hinc colligendum foret, eos non eſſe in Eccleſia. In domo quippe ſeu familia non tantùm filii ſunt, ſed etiam familiares & ſervi; licèt famuli non maneant in domo in æternùm, ſed ſoli dumtaxat filii, ut dicitur Joan. 8. Deinde cùm dicitur improbos non habere Deum patrem, hoc ſenſu intelligi debet, quòd ſcilicet non ſint filii Dei vel per imitationem, vel per regenerationem ſeu gratiam adoptionis; licèt ſint filii Dei adeoque & Eccleſiæ per inſtitutionem & doctrinam.

Ad tertium, dico non alium eſſe Chriſti Eccleſiæ Capitis in improbos influxum, præter gratias actuales quibus ipſi reſiſtunt, cùm ſint Eccleſiæ membra arida, quæ nullam vim vitalem aut motricem intus à capite ſuſcipiunt; ſed pro ſui cum aliis membris continuitate exteriori capiti ſubſunt, & ab eo motu quodam externo ſimul cum aliis moventur.

ARTICULUS III.

An Hæretici, ſive publici ſive occulti, ſint in Eccleſia.

SAnctus Auguſtinus Lib. 7. de Baptiſmo cap. 51. Hæreticos in duos ordines generatim diſtribuit, in manifeſtos & publicos, qui diſruptis retibus ſunt extra domum; & in occultos ac latentes, qui nondum diſruptis retibus in domo remanent, alicujus commodi temporalis deſiderio retenti. Iſtos magis de domo eſſe, quàm in domo eſſe affirmat; utpote qui non pertineant ad compagem domus, hoc eſt fidem & charitatem.

De utriſque quæritur, ſintne vera Eccleſiæ membra. Quæ quidem controverſia, ſi ratio habeatur ſententiæ Novatorum, imprimis Jurii, graviſſima; ſi verò nonnullorum ex noſtris ſentiendi ac loquendi ratio attendatur, exigua & nullius ferè ponderis ac momenti eſſe videtur.

Jurius ſcilicet exiſtimat, ut jam obſervavimus, Eccleſiam univerſalem ſinu ſuo complecti omnes Hæreticorum ſectas, qui non errant in articulis fidei fundamentalibus, quique idcirco, hæreſi non obſtante, ſalutem æternam poſſunt aſſequi. Quo ſenſu, graviſſima eſt præſens quæſtio, ac jam ma-

xima

xima ex parte à nobis ſuperiùs explanata, cùm demonſtravimus Eccleſiam ita eſſe unam, ut unica communione eaque Romana conſiſtat, in qua ſola ſalus obtineri poteſt; quapropter omnes alias ſectas ſeu ſocietates planè rejicit. Aſſerere igitur Novatorum ſenſu, Hæreticos eſſe in Eccleſia, ſeu vera eſſe Eccleſiæ membra, hæreſis eſt manifeſtè pugnans contra unitatem Eccleſiæ.

Alphonſus à Caſtro Lib. 2. de juſta Hæreticorum punitione c. 24. Bellar. Lib. 3. de Eccleſia Milit. c. 2. 3. & 10. Sylvius Lib. 3. controverſiarum q. 1. ar. 7.

Sunt autem inter noſtros nonnulli, qui exiſtimant apertos & manifeſtos Hæreticos aliquo ſenſu dici poſſe Eccleſiæ partes ſeu membra, nempe propter Baptiſmum, ac alia nonnulla Sacramenta quæ retinent. Sunt qui Hæreticos occultos eſſe quidem membra corporis Eccleſiæ à quo ſeparati nondum ſunt, ad animam verò ipſius nullatenus eos pertinere volunt, unde imperfectè & ſecundùm quid partes ſeu membra Eccleſiæ dicuntur. Sunt qui eos nequidem membra corporis Eccleſiæ dici debere contendunt, nempe propter defectum fidei, quæ planè neceſſaria ipſis videtur, ut quis etiam exteriùs dumtaxat ac corporaliter ſit in Eccleſia. Quæ profectò noſtrorum ſentiendi varietas rem Catholicam non attingit, ac ſalva fide in verbis magis, quàm in ſenſu poſita videtur. Itaque ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Hæretici publici ac manifeſti nullatenus ſunt in Eccleſia, in qua una ſalus haberi poteſt.

Probatur 1. ex Scriptura. Ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem*, inquit S. Paulus, *poſt unam & alteram correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus*. Si autem vitandus ille eſt, haud dubiè in Eccleſia non eſt; Paſtor quippe non vitare debet, ſed curare eos qui ad ſuum gregem pertinent. Rationem reddit Apoſtolus, quòd nempe ſit *proprio judicio condemnatus*; hoc eſt, interprete S. Hieronymo, ſeipſum ab Eccleſia ejicit, ipſam quodammodo Epiſcopi ſententiam atque judicium præveniens.

Primæ Joann. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*. Id eſt, ex nobis exierunt, quia erant nobiſcum in eadem Eccleſia; ſed non erant ex nobis ſecundùm divinam electionem, ſicut exponit S. Auguſtinus Lib. de dono perſeverantiæ cap. 8.

Probatur 2. iis omnibus momentis quibus ſuprà Quæſtione ſecunda Articulo 2. probavimus Eccleſiam ita eſſe unam, ut excludat quaſcumque alias Hæreticorum ſocietates qui errant in articulis etiam non fundamentalibus. Tùm quia ignota fuit toti Antiquitati Jurii opinio: nomine quippe Eccleſiæ Catholicæ ſemper intellexere Chriſtiani unicam communionem à qua excluderentur Hæretici. Tùm quia aliàs nemo per tot ſæcula intellexiſſet ſuum Symbolum, illuſoriæ fuiſſent fidei profeſſiones, atque injuſti Epiſcopi omnes ſive Orientis, ſive Occidentis, qui à ſua ſocietate & communione Hæreticos amandaſſent. Tùm denique quia ita, fatente ipſomet Jurio, cenſuere Patres quatuor priorum Eccleſiæ ſæculorum, tum cùm puriſſima erat Eccleſiæ doctrina, nec ullos adhuc progreſſus fecerat antichriſtus, ut ipſi loquuntur Reformatores. Dicere autem cum eodem Jurio, Patres

tres

tres illos ſibi falſam efformaſſe Eccleſiæ ideam & notionem; abſurditas eſt non ferenda; quaſi Jurio potius, quàm illis egregiis fidei defenſoribus fides eſſet adhibenda.

Probatur 3. Quia illi nullatenus ſunt in Eccleſia Chriſti, nec poſſunt eſſe ullo modo ejus membra, qui nec corpus ejus nec animam participant; quemadmodum quod non pertinet ad animam vel corpus hominis, non poteſt dici pertinere ad hominem: atqui Hæretici manifeſti nec corpus Eccleſiæ, nec ejus animam participant. Non quidem corpus: tria enim conſtituunt Eccleſiæ corpus, ſcilicet externa fidei profeſſio, Sacramentorum communio, Paſtoribus legitimis debita ſubjectio. Atqui Hæretici manifeſti nec ejuſdem fidei profeſſionem externam, nec eorundem Sacramentorum communionem habent, nec tandem legitimis Eccleſiæ Paſtoribus adhærent, ſicut omnes norunt.

Non etiam Eccleſiæ animam participant. Duo enim ſunt præcipua in quibus poſita eſt anima Eccleſiæ, ſcilicèt fides vera, & charitas non ficta: atqui Hæretici manifeſti non habent fidem veram, ut probant vulgò Theologi, ubi de fide; non enim Eccleſiam audire volunt quæ eſt cuſtos depoſiti: qui autem Eccleſiam non audit, is tanquam Ethnicus & Publicanus haberi debet. Non habent etiam charitatem: *Charitas enim Chriſtiana*, ait S. Aug. Lib. 2. contra Litt. Petil. cap. 77. *niſi in unitate Eccleſiæ non poteſt cuſtodiri.* To. 9. p. 265. C.

SECUNDA CONCLUSIO.

Hæretici occulti ſunt in Eccleſia, ſed imperfectè dumtaxat, & quantùm ad corpus ejus, ſeu partem externam & viſibilem.

Duæ ſunt partes. Prima pars probatur. 1. Quia non minùs occulti Hæretici ſunt in Eccleſia, quàm peccatores & improbi Catholici; neque enim charitas minùs eſſentialis eſt Eccleſiæ, quàm fides, cùm utraque conſtituat ejus animam, quæ eſt nobiliſſima pars Eccleſiæ: atqui etiamſi hypocritæ & improbi careant charitate, cenſentur tamen & verè ſunt in Eccleſia, quamvis imperfectè & tantùm quoad ejus partem viſibilem & exteriorem. 2. Si præcisè propter defectum fidei internæ aliquis non eſt in Eccleſia, nequidem imperfectè, duo ſequentur abſurda.

Primum eſt, quòd ſtatim ac Paſtor aliquis ſeu Epiſcopus, aut ipſe Summus Pontifex, in aliquam hæreſim occultam incidet, omni deſtituetur auctoritate, nullamque prorſus in Eccleſia obtinebit amplius juriſdictionem; ac proinde invalidi erunt ac nulli omnes actus qui à vera juriſdictione dimanare debent: quod quidem quàm ſit abſurdum ſatis intelligitur. Conſtantiſſimum enim eſt in doctrina SS. Patrum, eos omnes qui ſunt extra Eccleſiam, nullam omnino habere in Eccleſia auctoritatem & juriſdictionem. Ita S. Cyprianus paſſim in ſuis Epiſtolis, S. Optatus Lib. 1. contra Parmenianum, S. Ambroſius Lib. I. de pœnit. cap. 2. S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. Et ratio eſt, quia intelligi non poteſt quomodo qui nequidem membrum eſt imperfectum Eccleſiæ, poſſit eſſe ipſius Caput, ejus Paſtor ac Doctor.

Alterum abſurdum iſtud eſt, quòd nemini unquam conſtare poterit quinam homi-

hominum cœtus ſit vera Eccleſia. Quomodo enim dignoſci poterit in quibus ſit vera & interior fides? Unde ſequeretur inviſibilem fore Eccleſiam. Eadem igitur argumenta, quibus antea probavimus peccatores eſſe verè in Eccleſia, probant pariter occultos Hæreticos ejus eſſe partes ſeu membra, quamvis imperfecta, præciſa quidem interiùs, ut loquitur S. Auguſtinus mox referendus, ſed omnino exteriùs non præciſa.

To.1.p. 44.G. Secunda pars, nempe occultos Hæreticos eſſe in Eccleſia tantùm imperfectè, ſeu, ut alii loquuntur, ſecundùm quid, *eo ferè modo quo*, ait Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante cap. 2. *capilli aut ungues, aut mali humores ſunt in corpore humano*. Probatur: Quia illi ſunt tantùm imperfectè in Eccleſia & quoad partem ejus viſibilem, qui ejus fidem exteriùs ſaltem profitentur, ejus Sacramenta participant, atque ejus Paſtoribus ſubjiciuntur, fidem autem non habent, adeoque nec charitatem: atqui tales ſunt Hæretici occulti.

Atque propter iſtum fidei & charitatis defectum dixit S. Auguſtinus ejuſmodi Hæreticos jam eſſe ab Eccleſia præciſos, (non quidem exteriori, ut per ſe patet, præciſione, cùm occulti illi ſint, & Eccleſia de occultis non judicet) ſed interiori, quòd nempe de anima Eccleſiæ excluſi omni vitæ ſpiritualis ſenſu ſint deſtituti. Ita exponi debet ſanctus Doctor Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. ubi ſic loquitur: *Si quiſquam idem ſentiat quod ille* (Photinus,) *& eſſe noverit hæreſim ab unitate Catholica ſeparatam ubi hoc docetur & diſcitur, ſed alicujus ſecularis emolumenti cauſa in Catholica unitate baptiſari voluerit, vel in ea baptiſatus propter hoc exire inde noluerit, non ſolùm ſeparatus habendus eſt, verùm etiam tantò ſceleratiùs, quantò magis errori hæreſis, & diviſioni unitatis fallaciam adjungit*, (quia nimirum hac obducta exteriori larva fidei, occulti Hæretici faciliùs incautos fideles decipiunt ac ſeducunt, à quibus non ita ſibi cavere facile ipſis eſt, ſicut ab apertis & manifeſtis.) Rurſus Lib. de unitate Eccleſiæ capite ultimo: *Multi*, ait, *ſunt in Sacramentorum communione cum Eccleſia, & tamen jam non ſunt in Eccleſia*, (nempe ratione animæ ipſius.) *Alioquin, ſi tunc quiſque præciditur, cùm viſibiliter excommunicatur; conſequens erit, ut tunc rurſus inſeratur, cùm viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergo fictus accedat, atque adversùs veritatem & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamvis peragatur in eo illa ſolemnitas, numquid reconciliatur, numquid inſeritur? Abſit. Sicut ergo jam denuo communicans nondum inſertus eſt; ſic & antequam viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem, qua convincitur & arguitur, inimicum geſtat animum, jam præciſus eſt*. Supple, interiùs ab anima Eccleſiæ, non verò exteriùs ab ejus corpore, ſicut totus contextus demonſtrat. Atque hac ratione facilè conciliabis nonnulla ſancti Doctoris teſtimonia, quæ in ſpeciem pugnare ſecum videntur, quæ tamen reipſa non pugnant. Cùm enim aliquando ait malos & Hæreticos occultos eſſe in Eccleſia, de corpore Eccleſiæ loquitur; cùm verò aliquando ait eos eſſe præciſos, nec eſſe in Eccleſia, intelligit animam Eccleſiæ.

To.9.p. 135.D.

Ibid. p. 386.B. C.

Et certè Tract. 3. in Epiſt. S. Joann. n. 4. Hæreticos in Eccleſia eſſe & non eſſe (diverſo reſpectu mox expoſito) affirmat. *Omnes Hæretici*, inquit, *omnes Schiſmatici ex nobis exierunt, id eſt, ex Eccleſia exeunt: ſed non exirent, ſi ex nobis eſſent. Antequam ergo exirent, non erant ex nobis. Si antequam exirent,*

To.3.p. 2. pag. 844.E.

non

non erant ex nobis; multi intus ſunt, non exierunt, & tamen antichriſti ſunt. Et infrà: *Et ſunt qui intus ſic ſunt in corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti; quandoquidem adhuc curatur corpus ipſius, & ſanitas perfecta non erit niſi in reſurrectione mortuorum: ſic ſunt in corpore Chriſti, quomodo humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus; ſic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur. Et dicit, quando eos evomit, atque projicit corpus, Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Quid eſt, non erant ex me; non de carne mea præciſi ſunt, ſed pectus mihi premebant cùm ineſſent.* Quibus verbis exponit ſanctus Doctor, occultos Hæreticos eſſe in Eccleſia quantùm ad corpus, & non eſſe quantùm ad animam.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem, parabolam, quæ extat apud S. Matth. cap. 13. in qua dicitur homo bonum ſemen in agro ſeminaſſe, *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in in medio tritici.* Qua in parabola 1. ager Eccleſiam ſignificat, ut interpretantur S. Hieronymus in caput 13. S. Matth. S. Auguſt. tùm in Breviculo Collationis diei tertiæ contra Donatiſtas cap. 8. & 9. tùm Lib. 2. contra Creſconium cap. 34. tùm Sermone 18. de verbis Domini, nunc 88. capite 19. 2. In illo agro ſeu Eccleſia tria inveniuntur, ſcilicèt, granum, paleæ & zizania. Granum ſignificat bonos Catholicos, palea malos, zizania verò Hæreticos. Ita exponunt SS. Hieronymus loco mox citato, Auguſtinus Sermone 88. aliàs 18. de verbis Domini cap. 19. Chryſoſtomus in caput 13. S. Matth. Theophilactus hom. 48. in Matth. Igitur juxta hanc interpretationem, Hæretici ſunt in Eccleſia ſimul cum bonis & malis Catholicis.

Reſp. 1. dato & non conceſſo quòd per agrum Eccleſia, per zizania verò Hæretici intelligendi ſint, parabola hæc apertè demonſtrat, Hæreticos (quamquam exteriùs & ſecundùm quid in Eccleſia forent) non poſſe ſalutem aſſequi, ſed igni æterno cruciandos reſervari. *Quod enim dixit Chriſtus,* ait hîc S. Hieronymus, *zizaniorum faſciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea, manifeſtum eſt Hæreticos quoſque & hypocritas fidei, gehennæ ignibus concremandos: ſanctos verò, qui appellantur triticum, horreis, id eſt manſionibus celeſtibus ſuſcipi.* Itaque ex iſta parabola habemus (quod hac in quæſtione præcipuum eſſe jam obſervavimus) Hæreticos ſalutem æternam aſſequi non poſſe, niſi hæreſi depoſita, ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ ſe ſe receperint. *To. 4. p. 1. p. 59.*

Reſp. 2. non conſentire inter ſe SS. Patres in explicatione hujus parabolæ. Alii enim per agrum intelligunt mundum ipſum, non verò ſolam Eccleſiam: in mundo autem Hæreticos eſſe quis dubitat? Huic interpretationi favet imprimis ipſe Chriſtus citato capite 13. S. Matth. ubi v. 37. parabolam hanc rogantibus Diſcipulis ſic exponit: *Qui ſeminat bonum ſemen*, inquit, *eſt filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi filii ſunt regni. Zizania autem, filii ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminavit, eſt diabolus &c.* Aliis verò placet per agrum intelligere Eccleſiam, & per zizania Hæreticos, qui occulti ſunt aut manifeſti. Si occulti, fatemur eos eſſe in Eccleſia ſaltem imperfectè; ſi publici, longè accuratiori ſenſu dicuntur eſſe extra Eccle-

Eccleſiam. Si tamen aliqui Scriptores Catholici eos utcunque in Eccleſia eſſe, ratione ſcilicet Baptiſmi, & aliquorum Sacramentorum, quæ retinent, ſcripſerint, non multùm movemur; levis enim eſt iſta quæſtio ac tota de nomine, præſertim cùm (quod rei caput eſt) iidem Scriptores agnoſcant Hæreticos extra ſalutis viam aberrare, & velut zizania in faſciculos colligendos eſſe ut comburantur.

Objicies 2. ex Apoſtolo 2. ad Timoth. cap. 2. v. 20. *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Quo in loco nomine domus intelligit Apoſtolus Eccleſiam, & nomine vaſorum ligneorum & fictilium, Hæreticos. Dixerat enim paulò antè: *Sermo eorum ut cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt.* Ita interpretantur SS. Cyprianus Epiſtola 51. & 52. Ambroſius ſeu Auctor Commentariorum in omnes S. Pauli Epiſtolas, qui ſub nomine Ambroſii circumferuntur, Auguſtinus Lib. 4. contra Donatiſtas cap. 12. & Lib. 7. cap. 51. ac profitetur ſe ad ita ſentiendum compulſum fuiſſe auctoritate S. Cypriani.

Reſp. Multos ex SS. Patribus præſertim Græcis, per domum, non Eccleſiam, ſed univerſum mundum intellexiſſe, quæ certè interpretatio nobis non nocet. Inter Latinos verò ſunt qui per domum, Eccleſiam; per vaſa fictilia, malos Catholicos, & Hæreticos intelligunt: ex quorum interpretatione hoc unum colligi dumtaxat poteſt, Hæreticos, ſi occulti ſint, & antequam ſeparati vel ſponte exeant vel expellantur, eſſe in Eccleſia, ut jam diximus, imperfectè ſecundùm quid, & ratione communionis dumtaxat exterioris; ſi verò ſint publici & manifeſti, impropriè & latiori quodam ſenſu dici poſſe in Eccleſia, ratione Baptiſmi & aliorum Sacramentorum. Illos magis de domo quàm in domo eſſe aſſerit S. Auguſtinus, qui utramque hanc reſponſionem

To. 9. p. 119. E. F. nobis ſuppeditat Lib. 3. de Baptiſmo cap. 19. his verbis: *Dicit Apoſtolus Paulus de quibuſdam qui circa veritatem aberraverant, & fidem quorumdam ſubvertebant, quorum ſermo ut cancer ſerpebat, quos cùm evitandos eſſe diceret, in una tamen magna domo eos fuiſſe ſignificat, ſed tanquam vaſa in contumeliam. Credo quòd nondum foras exierant. Aut ſi jam exierant, quomodo eos dicit in eadem magna domo cum vaſis honorabilibus? niſi fortè propter ipſa Sacramenta, quæ ſeparatis etiam Hæreticorum conventiculis non mutata ſunt, ad unam magnam domum dicit omnes, ſed diverſis meritis, pertinere, alios in*

Ibid. p. 200. & 201. *honorem, alios in contumeliam.* Et Lib. 7. cap. 51. diſtinguit, ut initio obſervavimus, Hæreticos duplicis generis, alios qui nondum diſruptis retibus ſunt in domo, alios qui retibus diſruptis ſunt extra domum.

S. Cyprianus per vaſa lignea & fictilia nullatenus Hæreticos intellexit, ſed infirmos dumtaxat & malos Catholicos: ſiquidem in hac ipſa Epiſtola 52. quæ eſt ad Antonianum, apertè aſſerit Novatianum, utpote Hæreticum, extra Eccleſiam eſſe. Et verò agit in illis Epiſtolis adverſus Novatianos qui contendebant Eccleſiam ex ſolis juſtis & ſanctis conſtare, quos ſummæ redarguit arrogantiæ, qui zizania à frumento, hoc eſt, improbos à juſtis diſcernere ſe poſſe confidebant, quod ne Apoſtolis quidem conceſſum eſt. Scopus igitur ſancti Doctoris eſt ut oſtendat improbos eſſe in Eccleſia, non verò Hæreticos, in quibus nequidem agnoſcebat poteſtatem validè baptiſandi. Cùm igitur S. Auguſtinus ait ſe auctoritate ſancti Cypriani impulſum fuiſſe ut

per

Digitized by Google

per vaſa lignea & fictilia intelligeret Hæreticos qui ſunt in domo, hoc eſt, Eccleſia, non ſatis videtur (pace dixerim) attendiſſe ad verba S. Cypriani, quæ nihil tale profectò ſonant. *Bellar. Lib. 3. c. 4. T. 2. p. 46. B.*

Auctor verò Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli, nullius eſt auctoritatis, quem non Ambroſium, ſed vel Pelagium, aut Hilarium Luciferianum eruditi fatentur.

Objicies 3. auctoritatem S. Hieronymi Dial. adverſùs Luciferianos ubi ſic loquitur. *Arca Noe Eccleſiæ typus fuit .... Ut in illa omnium animalium genera; ita & in hac univerſarum & gentium, & morum ſunt homines. Ut ibi pardus & hædi, lupus & agni; ita & hic juſti & peccatores: id eſt, vaſa aurea, argentea cum ligneis & fictilibus commorantur.* *To. 4. p. 2. pag. 302.*

Et circa finem urget Hilarium Diaconum alio argumento: *Eſt*, inquit, *preterea aliud quod inferemus, adverſùm quod ne mutire quidem audeat Hilarius. Si enim Hæretici Baptiſma non habent, & ideo rebaptiſandi ſunt ab Eccleſia, quia in Eccleſia non fuerunt; ipſe quoque Hilarius non eſt Chriſtianus. In ea quippe Eccleſia baptiſatus eſt, quæ ſemper ab Hæreticis Baptiſmum recepit.* *Ibid. p. 305.*

Ex quibus ſancti Doctoris verbis Jurius in ſuo fidei ſyſtemate cap. 9. hæc tria colligit in rem ſuam argumenta.

I. Diſputabat, inquit, Hieronymus adverſùs Luciferianos qui laicos redeuntes ab Hæreſi Ariana recipiebant, Epiſcopos autem nolebant recipere. Oſtendit autem quòd ſi recipiendi ſint laici abſque novo Baptiſmo, debeant etiam recipi Epiſcopi ſine nova Ordinatione; tamque licere Epiſcopis pœnitentibus permanere in Sacerdotio, quàm laicis in Baptiſmo: adeoque ſupponit Hieronymus habuiſſe Arianos jus & auctoritatem ordinandi Presbyteros & Epiſcopos; eorum Baptiſmum fuiſſe legitimum, adeoque potuiſſe dare Spiritum ſanctum. Atqui ii in quibus eſt talis poteſtas & quorum validus eſt Baptiſmus, ſunt in Eccleſia; ergo cenſebat Hieronymus Arianos eſſe in Eccleſia.

II. S. Hieronymus per illos peccatores ſeu lupos & hædos quos ait eſſe in Eccleſia, intelligit Hæreticos, ſiquidem inde concludit Baptiſma Hæreticorum recipiendum eſſe.

III. Idem eſt apud Hieronymum, eſſe Chriſtianum, & eſſe in Eccleſia: probaverat autem antea Hæreticos eſſe Chriſtianos; ergo cenſet eos eſſe in Eccleſia.

Reſp. ſtupendam eſſe Jurii cæcitatem, qui ex iis ſancti Hieronymi verbis adverſùs nos arguit, quibus apertè ipſius novum ſyſtema exploditur. Scilicet fatetur Jurius, Hæreticos qui peccant in articulos fundamentales, non eſſe in Eccleſia: atqui loquitur citato in loco S. Hieronymus de Hæreticis hujuſmodi, nempe Arianis, Simonianis, Menandrianis, Baſilidianis &c. quos nemo ignorat, impugnaſſe capitale ac fundamentale dogma divinitatis Chriſti; eos igitur in Eccleſia ſua haud dubiè collocabit Jurius. Deinde Eccleſia, ſecundùm Jurium in ſuo novo ſyſtemate, non docet, non inſtruit, nihil definit: atqui tamen Eccleſia quam agnoſcit S. Hieronymus, & docet, & inſtruit, & definit, unde de ipſa dicit, *Poteram omnes propoſitionum rivulos uno Eccleſiæ Sole ſiccare*. Denique, Eccleſia quæ in novo Jurii ſyſtemate omnes ſectas complectitur, non poteſt dici antichriſti Synagoga: atqui tamen, juxta S. Hieronymum ſub finem citati Dialogi, omnes Hæretici non ſunt Eccleſia *Ibid. p. 306.*

Chri-

Chriſti, ſed antichriſti Synagoga; igitur ſyſtema Jurii è diametro opponitur doctrinæ S. Hieronymi.

Ad primum Jurii argumentum: Hieronymus putabat validum eſſe Baptiſmum datum ab Arianis, & ab ipſis dari Spiritum ſanctum; ergo putabat eos eſſe in Eccleſia: falſa prorſus ac neganda conſecutio. Baptiſmum enim Eccleſiæ ſecum aſportarunt, eumque extra Eccleſiam verum & dant & accipiunt, quia non ipſorum Baptiſmus eſt, ſed Chriſti; unde diſtingui poteſt eadem conſecutio: Hæretici ſunt in Eccleſia quoad jus & poteſtatem baptiſandi, de qua una diſputat S. Doctor, concedo: ſunt verè in Eccleſia per unionem aut internam, aut externam, nego. Similiter diſtinguenda hæc propoſitio, Hæretici dant Spiritum ſanctum; ergo ſunt in Eccleſia: dant Spiritum ſanctum iis qui eorum hæreſi non conſentiunt, concedo: iis qui conſentiunt, nego.

Ad ſecundum: Nihil cogit ut dicamus per injuſtos & peccatores intellexiſſe S. Hieronymum Hæreticos; imò argumentatio ducta ex improbis qui validè baptiſant, magis urgebat eos cum quibus diſputabat. Ii ſcilicet rejiciebant Baptiſmum ab Hæreticis datum, hac ratione quòd cùm Spiritum ſanctum non haberent, illum aliis dare non poſſent: at ſimiliter & ad hominem urgebat Hieronymus; Improbi Catholici Spiritum ſanctum non habent, eorum tamen Baptiſmus ratus & validus habetur: quare igitur pari ratione ratus non erit Baptiſmus datus ab Hæretico?

Ad tertium: Nego eſſe Chriſtianum, & eſſe in Eccleſia unum & idem eſſe apud S. Hieronymum. Hic nempe eſt ſancti Doctoris ſenſus: ſi Hæretici Baptiſma non habent, ac proinde Chriſtiani non ſunt, quia ſoli baptiſati ſunt Chriſtiani, & ideo rebaptiſandi ſunt, quia non fuerunt baptiſati in Eccleſia, utpote qui apud Hæreticos Baptiſmum perceperint; ſequitur ipſummet Hilarium non eſſe Chriſtianum, quia baptiſatus eſt in ea Eccleſia, quæ ſemper admiſit Baptiſmum ab Hæreticis collatum. Hic eſt genuinus ac litteralis S. Hieronymi ſenſus, qui non tantùm non favet Jurio, verùm etiam apertè demonſtrat ſupponere S. Doctorem Hæreticos non eſſe in Eccleſia.

Objicies 4. cum eodem Jurio, teſtimonium S. Auguſtini depromptum ex Libro primo de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 10. ubi poſtulantibus Donatiſtis, *Utrum Baptiſmus in parte Donati generet filios*, ait: *Quaſi verò ex hoc generet unde ſeparata eſt, & non ex hoc unde conjuncta eſt. Separata eſt enim a vinculo charitatis & pacis, ſed adjuncta eſt in uno Baptiſmate. Itaque una eſt Eccleſia, quæ ſola Catholica nominatur, & quidquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſua unitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa utique generat.* Atqui, inquit Jurius, Eccleſia Donatiſtarum quæ erat hæretica, erat tamen per Baptiſmum Eccleſiæ Catholicæ conjuncta, ac generabat filios, adeoque mater erat: ſi mater, ſponſa Chriſti; ac proinde falſum eſt ſocietatem hæreticam ſeparatam eſſe ab Eccleſia Catholica & univerſali.

To. 9. p. 87. B.

Reſp. 1. ex hoc teſtimonio manifeſtè colligi contra ipſummet Jurium, ſocietatem hæreticam ab Eccleſia ſeparatam eſſe vinculo charitatis & pacis, ut ait S. Auguſtinus, unde ſequitur tales Hæreticos ſalutem aſſequi non poſſe: niſi contendat Jurius, ſine charitate & pace poſſe illam obtineri; atque,

atque, ut jam ſæpiùs à nobis dictum fuit, de hoc maximè hìc diſputamus. An verò propter Baptiſmum, cujus dandi jus & auctoritatem retinent Hæretici, dici poſſint aliquatenus Eccleſiæ conjuncti, noſtro quidem judicio tanti momenti non eſt quæſtio.

II. Ex eo quòd dixerit S. Auguſtinus, Eccleſiam Donatiſtarum per Baptiſmum conjunctam eſſe veræ Chriſti Eccleſiæ, malè omninò infert Jurius, eam non eſſe omninò ab illa Chriſti Eccleſia ſeparatam. Namque paſſim aſſerit ſanctus Doctor, Hæreticos omninò ad Eccleſiam non pertinere, tametſi cum Catholicis in multis fidei ac Religionis capitibus conveniant: non enim in parte, ſed in toto debent Eccleſiæ obſequentes eſſe; ac ni fecerint, omninò ſeparati & præciſi ſunt. Ita Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 4. Lib. 2. contra Petilianum capite 77. Lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas capite 41.

III. Malè quoque infert Jurius, Eccleſiam hæreticam eſſe Chriſti ſponſam, quia generat filios; namque ut ancillæ generant, non ut ſponſæ, ſicut expreſsè docet S. Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo cap. 15. *Eccleſia*, inquit, *omnes per Baptiſmum parit, ſive apud ſe, id eſt, ex utero ſuo; ſive extra ſe de ſemine viri ſui, (ſive de ſe, ſive de ancilla.)* Et cap. 10. dixerat: *Ibid. p. 91. E.* *Ergo ipſa generat, & per uterum ſuum, & per uteros ancillarum ſuarum, ex iiſdem ſacramentis, tanquam ex viri ſui ſemine.* In doctrina igitur ſancti Auguſtini, ſocietates Hæreticorum generant quidem filios per Baptiſmum; *Ibid. p. 87. G.* ſed quia ſibi non generant, ſed Eccleſiæ Catholicæ, ancillæ ſunt, non ſponſæ: ſibi autem non generant, quia eos tantùm pariunt per Sacramenta, quæ ad ſolam Eccleſiam Catholicam pertinent.

Sed, inquies, ſi ſocietates Hæreticorum ita corruptæ ſunt, qua ratione filios Chriſto generare poſſunt?

Reſp. nunquam exiſtimaſſe ſanctum Auguſtinum, Baptiſmum ab Hæreticis collatum gratiam juſtificationis conferre adultis qui eorum hæreſi conſentiunt; imò nec licitè ab iis adminiſtrari poſſe cenſuit. *Sicut enim*, *Ibid. p. 79. D.* inquit, *non rectè foris habetur, & tamen habetur; ſic non rectè foris datur, & tamen datur.* In caſu autem neceſſitatis juſtificari poſſe Catholicum Baptiſmo in communione hæretica percepto, docet tùm Lib. 1. de Baptiſmo cap. 2. tùm Lib. 7. cap. 52. Unde ſequitur parvulos qui ab Hæreticis baptiſantur, gratiam Sacramenti accipere; quia nempè licèt improbi ſint & corrupti Miniſtri, non minùs tamen ſancta ſunt & pura Sacramenta quæ ab illis conferuntur, utpotè quæ non à Miniſtro, ſed à Chriſto vim ſuam & efficaciam habeant.

Objicies 5. aliquot rationes.

Prima: Eccleſia jus habet tantùm in ſuos, non in alienos: *Quid enim mihi eſt de iis qui foris ſunt, judicare*, ait Apoſtolus 1. Corinth. 5. v. 12. Atqui Eccleſia jus habet in Hæreticos quos punit & anathemate percellit: ergo Hæretici ad illam pertinent.

Secunda: Baptiſati & Sacerdotes ſunt Eccleſiæ membra: atqui remanet in Hæreticis caracter Baptiſmi & Sacerdotii.

Tertia: Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. v. 18. aſſerit in Eccleſia Corinthiorum fuiſſe hæreſes. *Convenientibus vobis in Eccleſiam*, inquit, *audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui*

probati ſunt, manifeſti fiant. Et cap. 15. v. 12. notat aliquos inter Corinthios negaſſe reſurrectionem: *Si autem*, inquit, *Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?*

Quarta: Qui vera habent apud ſe Sacramenta quibus multi gratiam conſequuntur, ii certè ſunt in Eccleſia Chriſti, cui ſoli vera tradidit Sacramenta: atqui Hæretici vera habent Sacramenta quibus multi gratiam conſequuntur; ergo &c.

Reſp. ad primam: Eccleſiam jus habere in eos omnes qui ad illam aut pertinent aut pertinere debent. At Hæretici titulo Baptiſmi quem perceperunt, ad Eccleſiam pertinent, licèt eos è ſinu ſuo ejiciat: quemadmodum ovis pertinet ad ovile, unde fugit; & ſervus fugitivus ad dominum quem deſeruit; & transfuga ad Regem ſeu Ducem cui nomen dederat.

Ad ſecundam: Dico 1. in Hæreticis, etiam qui negant articulos fundamentales, perſeverare characterem Baptiſmi; an eos vera eſſe Eccleſiæ Chriſti membra concedet Jurius? Non certè. Dico 2. remanere quidem in Hæreticis characteres Sacramentorum; at iſti non ſufficiunt, ut quis dici poſſit eſſe in Eccleſia. Et ratio eſt, tùm quia in damnatis etiam remanent illi characteres, & tamen ſanctus Thomas tertia parte qu. 8. art. 3. dicit damnatos nec actu, nec potentia eſſe membra Chriſti. Tùm quia character ſacramentalis per ſe non habet vim uniendi hominem cum Chriſto Capite, ſed eſt merum ſignum poteſtatis & unionis cujuſdam quæ antea præceſſit, nec amplius perſeverat. Poſſunt quidem Hæretici poteſtate ſua abuti, ſicut ſervus fugitivus ſecum deferens pecuniam domini ſui, aut miles aſportans vexillum Imperatoris; at ſicut illi non ſunt de familia, aut exercitu, ita nec Hæretici de Eccleſia.

Ad tertiam: Vel intelligendus eſt Apoſtolus de aliquibus qui erant inter Catholicos, quamvis de Eccleſia non eſſent; vel de iis qui inter Catholicos ſic perverſè vivebant, quaſi nulla futura eſſet reſurrectio; vel de iis qui clam ita ſentiebant, & ideò nondum ejecti erant ab Eccleſia; vel denique de iis qui palam quidem negabant, in Templum tamen ſimul cum Catholicis conveniebant, quia nondum facilè poterat Eccleſia eos è ſinu ſuo ejicere.

Ad quartam: neganda eſt major propoſitio quoad primam partem, nempè eos omnes eſſe in Eccleſia, qui vera habent apud ſe Sacramenta: ſiquidem hæretici Ariani, Simoniani, Sociniani, & alii quotquot fundamentalem fidei veritatem negant, vera habent Sacramenta, nec eos tamen audet Jurius veræ Chriſti Eccleſiæ deputare. Et ratio eſt, quia Sacramenta illa ad veram Eccleſiam pertinent, ex qua diſcedentes Hæretici ea ſecum aſportarunt; neque tamen propterea ad Eccleſiam pertinere dicendi ſunt, niſi ſenſu maximè improprio, & cum hac reſtrictione, ratione Baptiſmi & aliorum Sacramentorum. Ad alteram verò ejuſdem propoſitionis partem, nempè per Sacramenta in hæreſi ſuſcepta multos gratiam aſſequi, reſpondeo cum diſtinctione: multi gratiam aſſequuntur qui hæreſi non conſentiunt, ſed neceſſitate quadam ab Hæreticis Sacramenta percipere coguntur, quales ſunt v. g. infantes ab Hæreticis procreati; quales ſunt adulti qui ſimplici corde veritatem quærunt, parati ei adhærere ubi primùm eam cognoverint,

con-

Digitized by Google

concedo. Iſtos enim ſibi generat Eccleſia per uterum ancillarum ſuarum, ut ait S. Auguſtinus anteà laudatus. Multi gratiam aſſequuntur qui hæreſi conſentiunt, nec tantùm materialiter, ut ajunt, ſed etiam formaliter ſunt hæretici, nego.

Objicies 6. contra ſecundam Concluſionem: fides eſt fundamentum & quaſi forma Eccleſiæ, ſicut innuere videtur S. Paulus 1. Corinth. 3. v. 10. ubi ait: *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui*. Et ad Epheſ. 4. v. 6. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*. Quæ omnia conveniunt fidei internæ; neque enim de ſola externa poſſunt intelligi. Ergo qui fide interna deſtitutus eſt, ille verè non poteſt dici pertinere ad Eccleſiam. Contra ſecundam Concluſionem.

Reſp. 1. fidem quidem objectivè ſumptam, ſcilicet pro Chriſto qui eſt objectum fidei, eſſe fundamentum Eccleſiæ, non autem fidem ſumptam formaliter, pro actu vel habitu per quem creditur in Chriſtum. Namque Apoſtolus diſertè ait citato cap. 1. Corinth. v. 11. Chriſtum eſſe *fundamentum præter quod aliud ſtatui non poteſt*.

2. Etſi textus Apoſtoli intelligeretur de fide formaliter ſumpta, nihil tamen inde inferri poſſet contra noſtram Concluſionem: namque fides prędictis locis non dicitur fundamentum Eccleſiæ, ſed juſtitiæ & perfectionis, vel doctrinæ quæ eſt in Eccleſia.

3. Etſi diceretur etiam fundamentum Eccleſiæ, intelligendum eſſet quantùm ad totum Eccleſiæ corpus collectivè ſumptum: neque enim ſtare poteſt Eccleſia univerſa ſine fide interna & charitate; eſſentiales enim ſunt toti Eccleſiæ illæ virtutes. Non autem intelligendum foret, quantùm ad unumquodque diſtributivè ſumptum Eccleſiæ membrum, quaſi ſine fide interna nullus poſſit eſſe verum, quamquam mortuum, Eccleſiæ membrum. Quippè ſi poteſt quis abſque charitate interiori ad Eccleſiam adhuc pertinere, quidni & abſque fide pariter interiori? Utraque enim virtus ex æquo toti Eccleſiæ neceſſaria eſt ac eſſentialis.

Objicies 7. aliquot rationes.

Prima: Eccleſia definitur ſocietas fidelium, & à ſancto Auguſtino dicitur populus fidelis per univerſum orbem diſperſus: atqui Hæretici occulti licèt fidem profiteantur exteriùs, non ſunt verè fideles, ſicut nec hypocritæ ſunt verè juſti.

Secunda: Non ſufficit ritus exterior Baptiſmi ſine vero Baptiſmo; ergo nec fidei exterior profeſſio ſine vera fide.

Tertia: Qui non habent unionem internam cum Capite Eccleſiæ, non ſunt veræ Eccleſiæ membra: atqui Hæretici occulti non habent unionem internam cum Capite Eccleſiæ.

Quarta: Qui excommunicatus eſt excommunicatione, ut ajunt, latæ ſententiæ, non amplius eſt in Eccleſia: atqui quicunque incidit in hæreſim, ſaltem expreſsè damnatam ab Eccleſia, etiamſi in occulto dumtaxat, ipſo tamen facto incidit in excommunicationem latæ ſententiæ; ergo &c.

Reſp. ad primam: Certum eſt Eccleſiam eſſe ſocietatem fidelium, non tantùm eorum qui fidem exteriùs profitentur, ſed qui interiùs fideles ſunt; numquam enim poteſt Eccleſia eſſe ſine veris & ſinceris Catholicis: at neceſſe non eſt ut quodlibet ipſius membrum veram & interiorem habeat fidem, ſicut neceſſe non eſt ut veram habeat charitatem; ſed ſufficit exterior con-

junctio cum Eccleſiæ corpore, qua fit ut Hæretici nondum ſeparati ad eam pertineant, quamquam, ut diximus, valdè imperfectè.

Ad ſecundam: Certè neceſſarius eſt verus Baptiſmus ut aliquis ſit in Eccleſia, quia ſaltem vinculis externis cum ea debet conjungi; & qui exteriùs ritu legitimo baptiſatur, ille præſumitur verè baptiſatus: pariter qui exteriùs fidem profitetur hac profeſſione, & ſacramentorum communione colligatur Eccleſiæ corpori.

Ad tertiam: Falſum eſt eos qui non habent unionem internam cum capite Eccleſiæ, non eſſe ipſius membra, quamquam arida ſint, imperfecta, mortua: quia tamen nondum amputata, vera membra ſunt.

Ad quartam: Intelligenda eſt propoſitio de excommunicatione publica: nam excommunicati occulti, ut poſteà dicemus, aliquomodo ſunt de Eccleſia, numero, non merito; de facto, non de jure: unde juxta communem ac receptam Theologorum ſententiam, quidquid pauci è contrà dixerint, conſtat occultum Hæreticum, ſi Epiſcopus fuerit aut etiam S. Pontifex, non ideo amittere dignitatem & juriſdictionem ſuam, donec aut ipſi Eccleſiam publicè deſeruerint, aut convicti hæreſeos, ab ea publicè ſeparati fuerint.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Schiſmatici ſint in Eccleſia.

OBſervandum 1. nomine ſchiſmatis generatim ſignificari quamlibet animorum ſciſſuram ſeu diſſenſionem ſive in fide, ſive in diſciplina. Unde Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 1. v. 10. obſecrat fideles ut non ſint apud ipſos ſchiſmata & contentiones. Propriè ſchiſma ſignificat ſeparationem ab Eccleſiæ unitate, non ſine contemptu auctoritatis Eccleſiæ.

Hinc obſervat S. Thomas 2. 2. q. 39. art. 1. ideò *ſchiſma ſpeciale peccatum eſſe, quòd intendat ſe ſeparare ab unitate quam charitas facit . . . . Schiſmatici ergo dicuntur qui propria ſpontè & intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant, quæ eſt unitas principalis*. Eſt igitur ſchiſma, ſpontanea ac voluntaria ſeparatio ab Eccleſia.

Obſervandum 2. Etſi ſchiſma & hæreſis in eo conveniant quòd violent unitatem & communionem Eccleſiæ, multùm tamen origine ac natura ſua diſcrepant: Hæreſis quippè fidem, ſchiſma charitatem & diſciplinam impetit. *Hæretici*, ait S. Auguſtinus Lib. de fide & ſymbolo cap. 10. *de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant; Schiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant quæ credimus*. (To. 6. p. 161. F.) Hinc ſanctus Baſilius Epiſtola ad Amphilochium Can. 1. Manichæos, Valentinianos, Marcionitas & Pepuzenos recenſet inter Hæreticos, quia de ipſa in Deum fide controverſiam movebant, & à cæteris Chriſtianis diſſentiebant: Novatianos autem Schiſmaticis adſcribit; quia de diſciplina tantùm Eccleſiaſtica contendebant, nempè an lapſi ad pœnitentiæ beneficium admittendi eſſent.

Diſcrimen inter hæreſim & ſchiſma ſuo more accuratè explicat S. Th. art. 1. citatæ quæſtionis ad 3. ubi dicit diſtinguenda eſſe ſecundùm ea quibus utrumque per ſe & directè opponitur. *At hæreſis*, inquit, *per ſe opponitur fidei: ſchiſma verò per ſe opponitur unitati Eccleſiaſticæ charitatis. Et ideò ſicut fides & cha-*

& charitas ſunt diverſæ virtutes..... ita ſchiſma & hæreſis ſunt diverſa vitia:

Obſervandum 3. ideò ſæpiſſimè Veteres aſſerere inveteratum ſchiſma in hæreſim deſinere, quia cùm Schiſmatici violatæ charitati per ſeceſſionem addant pertinacem contumaciam adversùs Eccleſiæ decreta, ejuſque auctoritatem contemnant ac ſacras Scripturas quæ illam commendant; mirum non eſt ſi ſchiſma hujus generis in hæreſim deſinere dicatur. Hinc poſt ſententiam Concilii Nicæni, Concilium ſecundum, quemadmodum & Epheſinum, non ſolùm Novatianos, ſed etiam Quartodecimanos recenſent inter Hæreticos licèt ob nudam diſciplinæ quæſtionem diſceſſiſſent ab Eccleſia.

Ex quibus patet eos omnes eſſe verè Schiſmaticos, qui ſeparant ſe ab unitate Eccleſiæ Catholicæ & univerſalis, vel ejus auctoritatem in aliquo diſciplinæ univerſalis capite contemnendo, vel ab ejus capite, quod eſt centrum unitatis & communionis Eccleſiaſticæ recedendo, vel cum aliis Paſtoribus Eccleſiarum & fidelibus non communicando, vel ſocietates novas cum novis Miniſtris, ut fecerunt noſtri Reformatores, inſtituendo. Unde non tantùm fieri ſchiſma dicendum eſt, cùm aliqua membra ſeſe à capite ſeparant, ſed etiam ſi caput ſeipſum à membris divideret, ſicut diſertè docet S. Cyprianus Epiſtola 52. ubi probat Novatianum ſchiſmaticum eſſe duplici de cauſa, tùm quia electo jam legitimè Cornelio, ipſe Epiſcopatum Romanum à deſertoribus ambivit; tùm quia à ſuis Coepiſcopis & à Sacerdotum Collegio ſe ſeparavit.

Hæc de ſchiſmate præmittere neceſſe fuit, ut aliqua certa Schiſmaticorum idea haberetur, antequam de ipſis inquireremus an ſint in Eccleſia. Affirmat Jurius eos ſicut & Hæreticos vera eſſe Eccleſiæ membra: contra ipſum ſit

CONCLUSIO.

Schiſmatici nullatenus ſunt in Eccleſia.

Probatur 1. Quia Eccleſia una eſt, ut antea demonſtravimus: eſt unum Ovile, unum Corpus Chriſti, una Domus &c. Atqui huic unitati planè opponitur ſchiſma, quod diviſionem & ſeparationem importat. Unde ſcitè S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ, dicit Eccleſiam ſignificari per veſtem Chriſti inconſutilem quæ ſciſſa non fuit; ut intelligeremus Eccleſiam ſcindi poſſe, ſed non eo modo quo ſcindi poſſunt veſtes, ita ut omnes partes æquè maneant partes veſtis; ſed quomodo ſcinditur ramus ab arbore, qui ſtatim moritur arbore vivente; & rivus à fonte, qui mox areſcit fonte fluente: & radius à Sole, qui continuò deficit, Sole, ut erat, permanente. Quòd ſi volueris partem ſciſſam ab Eccleſia, eſſe pariter Eccleſiam quamdam, multas Eccleſias induces, contra manifeſtam Scripturæ doctrinam.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

S. Cyprianus Epiſtola 69. poſtquam dixit Eccleſiam eſſe *plebem ſacerdoti adunatam, & Paſtori ſuo gregem adhærentem*; addit, *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & quicunque cum Epiſcopo non eſt, in Eccleſia non eſſe; fruſtraque eos ſibi blandiri, qui pacem cum Dei Sacerdotibus non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam ſe communicare credunt, quandoquidem Eccleſia, quæ Catholica eſt, una eſt, ſciſſa non eſt, nec diviſa, ſed* P. 118.

utique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulato. Scripſit S. ille Martyr Opus integrum de Unitate Eccleſiæ, ubi ex profeſſo demonſtrat eos extra Eccleſiam eſſe, qui hanc impugnant unitatem.

S. Optatus Lib. 1. contra Parmenianum, de Schiſmaticis ſic loquitur n. 11. *Deſerta matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, & ſe ſeparant (ut vos feciſtis) à radice matris Eccleſiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt*.
Pa. 10.
Pa. 33. Et L. 2. Schiſmaticos comparat cum ramis, rivulis, & radiis præciſis ab arbore, fonte, & Sole, quæ comparationes à S. Cypriano adductæ jam fuerant in Libr. de Unitate Eccleſiæ.

S. Chryſoſtomus Hom. 11. in Epiſtolam ad Epheſ. docet Schiſmaticos ſimiles eſſe manui à corpore præciſæ, quæ mox deſinit eſſe membrum. Ibidem dicit Schiſmaticos eſſe in altera Eccleſia, licèt in fide & dogmatibus cum vera Chriſti Eccleſia conſentiant.

Ed. vet. To 3. p. 1063. C S. Hieronymus in caput 3. Epiſtolæ ad Titum: *Inter hæreſim & ſchiſma*, inquit, *hoc intereſſe arbitramur, quòd hæreſis perverſum dogma habeat, ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet*. Quo loco maximè notandum eſt iſtud *pariter*, quo ſanctus Doctor parem facit Schiſmaticorum & Hæreticorum ab Eccleſia diſſenſionem & ſeparationem.

To. 2. p. 1126. E S. Ambroſius Lib. 1. de exceſſu fratris ſui Satyri n. 47. hæc narrat: *Advocavit ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit niſi veræ fidei gratiam, percontatuſque ex eo eſt utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conveniret? Et fortè ad id locorum in ſchiſmate regionis illius Eccleſia erat: Lucifer enim ſe à noſtra tunc temporis communione diviſerat, & quamquam pro fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putavit tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenebant, cujus patiebantur velut quoſdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus Eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus evacuatur ejus paſſio, corpuſque diſtrahitur*. Quo in teſtimonio S. Doctoris hæc habes: 1. Satyrum ſollicitè quæſiviſſe num fortè Epiſcopus loci in quo erat eſſet ſchiſmaticus, nec cum Epiſcòpis Catholicis, hoc eſt, cum Eccleſia Romana communicaret. Unde autem hæc viri pii ſollicitudo & anxietas? niſi quòd cum Schiſmaticis ab Eccleſia ſeparatis communicare non poſſet. 2. ſignum Catholicitatis eſſe communionem cum Eccleſia Romana, cæterarum Eccleſiarum Matre ac Magiſtra. 3. in ſchiſmate fidem non eſſe: unde confirmatur quod paulò antè obſervatum à nobis fuit, proclive admodum eſſe ut ſchiſma inveteratum in apertam hæreſim deſinat.

S. Auguſtinus tam disertè Schiſmaticos non eſſe in Eccleſia cujus unitatem diſrumpunt, paſſim in Operibus ſuis adversùs Donatiſtas demonſtrat, ut fateatur Jurius hunc fuiſſe Africanorum errorem. Inter tot teſtimonia unicum ſufficiet jam ex parte laudatum ex Lib. de fide & ſymbolo cap. 10. *Credimus*, inquit, *Sanctam Eccleſiam utique Catholicam. Nam & Hæretici &*
To. 6. p. 161. F. *Schiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant: ſed Heretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidem violant; Schiſmatici autem diſſenſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec Hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec Schiſmatici, quoniam diligit proximum*. Mitto plura alia & S. Auguſtini & aliorum SS. Pa-

trum

trum teſtimonia, ex quibus manifeſtè colligitur hanc conſtantem & perpetuam fuiſſe Eccleſiæ traditionem, Schiſmaticos ſcilicet non eſſe in Eccleſia: quapropter eadem Eccleſia in die Paraſceves orat pro Hæreticis & Schiſmaticis, ut eos Deus ad Eccleſiam Catholicam revocare dignetur; quod certè non faceret, ſi eos crederet in Eccleſia eſſe.

Denique ratio manifeſta eſt: *Namque*, ut rectè ait Bellarm.Lib.3. de Eccleſia Militante cap.5. *de ratione Eccleſiæ eſt ut ſit una unione membrorum inter ſe, & cum ſuo capite; hanc autem unionem Schiſmaticus tollit, dum ſe à communione capitis & aliorum membrorum ſeparat*. Neque verò ille dici poteſt pertinere aut ad animam, aut ad corpus Eccleſiæ: non ad animam, ſiquidem violat pacem & charitatem; non ad corpus, quod ſcindit & à quo recedit, vel non obediendo Paſtoribus legitimis, vel privatos conſeſſus inſtituendo. *Pagina 47. col. 1. A.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. In diviſione decem Tribuum Iſrael à Tribu Juda facta à Jeroboamo, nemo eſt qui non agnoſcat verum & perfectum ſchiſma: nam cùm Deus publicum aliquod unitatis centrum in Jeruſalem ubi erat Tabernaculum, Arca, Templum, magnum Sanhedrim, ſtatuiſſet, certè ſchiſmatici erant quicunque ab hoc unitatis centro recedebant; proindeque verè ſchiſmaticæ fuerunt decem Tribus Iſrael: atqui tamen fuiſſe extra Eccleſiam veterem illas Tribus aſſeri meritò non poteſt; tùm quia à duabus Tribubus Juda & Benjamin fratres appellantur; tùm quia ad eos mittebat Deus Prophetas Eliam, Eliſæum & multos alios, quorum primi interfecti ſunt à Jezabele.

Reſp. inter illos qui à partibus Jeroboam ſtabant, alios ejus ſchiſmati adhæſiſſe, & vitulum aureum ac Baal adoraſſe; iſti verò non tantùm ſchiſmatis, ſed etiam idololatriæ rei fuere, quos procul dubio in vera Eccleſia fuiſſe non aſſerit Jurius; alii autem nec vitulum nec Baal, ſed unum verum Deum ſemper coluerunt, qui etſi Jeroſolymam non pergerent ſingulis annis ſacrificia oblaturi, non propterea tamen tanquam verè ſchiſmatici traduci debent, quia nec ſponte nec animo, ſed coacti propter Edictum Principis, eo Religionis officio non defungebantur, atque deſiderio ſaltem & animo communicabant cum Juda & centro Religionis: quemadmodum nemo diceret ſchiſmaticos eſſe Catholicos, qui nullum haberent Religionis exercitium propter Edictum Principis; quia ſcilicet ſocietati Catholicorum animo ſemper eſſent conjunctiſſimi. Et certè Elias, Eliſæus & alii Prophetæ Iſrael veri erant & fideles Dei ſervi ac cultores, non tamen ipſi pergebant Jeruſalem: ſcilicet exceptis ſacrificiis non videntur interdicta fuiſſe alia Judaicæ Religionis exercitia; id quod vel ſolum Prophetarum, & Abdiæ exemplum demonſtrat. Certum eſt enim quòd nunquam illi Prophetæ comitarentur Achab ad templum Baal, neque tamen id Principem latere poterat. Quapropter viri pii ac fideles illarum decem Tribuum diebus ſabbati ad ædes Prophetarum Religionis cauſa conveniebant, ſicut non obſcurè colligitur ex Lib.4. Reg.cap.4. v.23. ubi dicitur: *Quam ob cauſam vadis ad eum?* (Eliſæum) *Hodie non ſunt Kalendæ, neque Sabbatum.* *Reg. 3. cap. 12. Paral. 4 c. 13.*

Objicies 2. Naſcente Chriſti Eccleſia & Apoſtolorum ætate viſæ ſunt duæ

ſocietates ſeu communiones in Eccleſia Chriſti, Gentilium ſcilicet & Judæorum qui ad Chriſtum convertebantur: poſterior autem hæc, Judæorum ſcilicet converſorum, ſocietas planè ſeparata erat à priori, nec in ullo etiam exteriori vinculo cum ipſa conjuncta erat; ſervabat enim circumciſionem, feſta & ſolemnitates cæteroſque alios Judaicos ritus, imò & Gentes converſas jugo circumciſionis ſubjicere volebat, ut legimus cap. 15. Actuum Apoſtolorum. Erant ergo illi verè ſchiſmatici, & tamen nuſquam velut ab Eccleſia præciſi & alieni habiti ſunt ab Apoſtolis. Ita Jurius.

Reſp. duplicis generis diſtinguendos eſſe Judæos qui ad fidem Chriſti tunc convertebantur: alii æmulatores quidem erant Legis, hoc eſt, ipſam obſervabant, ſed Gentibus converſis jugum hoc non imponebant; tales erant ii de quibus fit mentio Act. 21. v. 20. Eos autem tolerabat Eccleſia, quia licèt inutilis tunc foret Legalium obſervatio, nondum tamen erat mortifera; atque ut etiam faciliùs Evangelium audirent, noluerunt Apoſtoli tam citò veterem Legem abrogare & interdicere. Quamvis ergo in hoc de Legalibus momento differrent à Gentilibus converſis, in cæteris tamen cum ipſis conveniebant; habebant eos ut fratres; eoſdem Apoſtolos & Paſtores ſequebantur; ac proindè, ſi ſermo ſit de illis Judæis, ac de licita ſolummodò, non verò neceſſaria (quæ duplex quæſtio hìc diſtingui debet) Legalium obſervatione, falsò prorſus ſupponit Jurius illos nullo vinculo Religionis inter ſe conjunctos fuiſſe.

Alii verò erant Judæi qui contendebant non tantùm utilem, ſed planè ad ſalutem neceſſariam eſſe circumciſionem, ac Gentes huic jugo ſubjiciendas eſſe: eos autem nuſquam toleravit Eccleſia, ac ſtatim in Concilio Jeroſolymitano repreſſit; atque cùm etiam poſt Decretum hujus Concilii in eodem errore nonnulli perſiſterent, ſcripſit S. Paulus Epiſtolam ad Galatas, in qua dicit, tales evertere Evangelium Chriſti, ac Chriſtum nihil ipſis profuturum; & comparat eorum doctrinam cum fermento quod totam maſſam corrumpit. Ejuſmodi ergo Judæi non tantùm ſchiſmatici, ſed etiam poſt definitionem Conc. Jeroſolymitani verè hæretici fuere ab Eccleſia præciſi & ſeparati. Si ad hæc attendere vel minimùm voluiſſet Jurius, non ita in tot levibus argumentis proferendis animo exultaſſet.

Inſtabis 1. Judæi nullam ſocietatem cum Gentibus converſis habebant, nequidem cibum cum illis capere dignabantur, ut patet ex Epiſtola ad Galatas cap. 2. Ergo verè erant ſchiſmatici, neque tamen ſeparati ab Eccleſia.

Reſp. diſtinguo ant. Judæi aliqui, ii maximè qui Legalium obſervationem planè Gentibus neceſſariam eſſe contendebant, & idcircò ab Apoſtolis damnati ſunt, concedo: quia Legalia quidem obſervabant, nec tamen neceſſaria eſſe contendebant, ſubdiſtinguo: ii erant ſchiſmatici, impropriè & abuſivè, quia nempè hac Legalium obſervatione à Gentibus diſtinguebantur & quodammodo ſe ſegregabant, concedo: erant ſchiſmatici propriè, nego. Quòd igitur nonnulli Judæi, imò & ipſemet Apoſtolorum caput Petrus, ſeſe à menſis Gentilium retraherent, nec cum illis cibum capere vellent, vitium certè fuit in illis converſationis, ut ait S. Auguſtinus, & imprudentiæ, quod palam & publicè atque in faciem redarguit S. Paulus, ut patet ex citato cap. 2. Epiſtolæ ad Galatas.

Inſtabis 2. Judæi æmulatores Legis, de quibus mentio fit Act. 21. v. 20.

ab Apoſtolis tolerabantur in Eccleſia: ii tamen Apoſtolum ex Templo ejecerunt, tanquam Legis Moſaicæ deſertorem ac contemptorem, ut patet ex eodem capite.

Reſp. eos Judæos, à quibus è Templo ejectus eſt S. Paulus, ex Aſia fuiſſe, ut patet ex v. 27. & quidem nondum ad Chriſtum converſos. Aliorum enim Judæorum Legis æmulatorum offenſioni & præjudiciis ſatisfecerat Paulus, cùm ſe in Templo purificavit, ut narratur eodem capite v. 26.

Inſtabis 3. Phariſæi & Saducæi haud dubiè erant hæretici, vel ſaltem ſchiſmatici: nihilominus ſimul cum aliis Judæis in Templo congregabantur officio Religionis.

Reſp. 1. ex Phariſæis pleroſque formaliter ac propriè non fuiſſe hæreticos, etſi quamdam ſectam conſtituerent, quemadmodum oſtendit Serrarius; Saducæos verò hæreticos fuiſſe, nihilominus à Judæis toleratos, ſive quia potentes erant, & gratia valebant plurimùm apud Principes; ſive quia difficile fuiſſet eos è Templo non ſine periculo ſeditionis ejicere; ſive denique quòd timidiores ac negligentiores eſſent tunc Judæi, nec quidquam adversùs illos tentare auderent.

Objicies 3. Multi nunc ſunt & olim fuerunt Schiſmatici à communione R. Pontificis ſeparati, quos tamen extra veram Chriſti Eccleſiam fuiſſe nemo dixerit.

I. Schiſmaticæ ſunt omnes Sectæ Orientales, atque in iis maximè univerſa Eccleſia Græca: atqui verè ſunt in Eccleſia; aut ſi non ſunt, certè aut crudeliſſima eſt Eccleſia Romana, quæ tot ſocietates condemnat, aut non eſt diffuſa, nec eam habet univerſalitatis notam, quæ propria eſt Eccleſiæ Chriſti; ſiquidem Sectæ illæ Orientales magnam occupant orbis partem.

II. Omnes Aſianæ Eccleſiæ quas S. P. Victor in cauſa Paſchatis excommunicavit ſecundo ſæculo; SS. Cyprianus & Firmilianus, quos ſimiliter tertio ſæculo excommunicavit Stephanus S. P. propter errorem rebaptiſantium, fuere verè ſchiſmatici, & à communione Romani Pontificis præciſi: an propterea extra veram Chriſti Eccleſiam fuere? Non certè. Inter Sanctos enim referuntur Cyprianus & Firmilianus, quos tamen Romanæ communioni reſtitutos fuiſſe dum viverent, non legimus.

III. Celebre fuit ſchiſma inter Orientales ex una parte, & Occidentales ex altera, occaſione Eccleſiæ Antiochenæ. Duos nempè habebat Epiſcopos, Meletium, & Paulinum: Orientales Meletium, Occidentales verò Paulinum agnoſcebant; & Meletio quidem numquam iſti communicarunt, utpotè qui ab Arianis fuiſſet ordinatus, & Arianæ formulæ ab Acacio Cæſarienſi in Synodo Seleucienſi editæ ſubſcripſiſſet, ſicut refert Socrates Lib. 2. Hiſt. cap. 11.

IV. Joannes Antiochenus & nonnulli Orientales Epiſcopi haud dubiè fuere ſchiſmatici, qui à Concilio Epheſino recedentes, ſeparatum habuere Conventum; neque tamen illi tanquam ab Eccleſia univerſali præciſi ac extorres habiti ſunt à Patribus Epheſinis an. Chriſti 431. aliàs eos excommunicaſſent perinde ac Neſtorium ipſum cui favebant.

V. Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus fuit apertè ſchiſmaticus; nunquam enim voluit obſequi Simplicio Pontifici Romano monenti ut à Petri Moggi communione recederet, ac Synodo Chalcedonenſi & Epiſtolę

S. Leo-

S. Leonis ſubſcriberet: atqui tamen cum ipſo ſemper communionem habuerunt Orientales, & ipſe ſemper in Epiſcoporum numero habitus eſt, atque Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexit.

VI. Euphemius & Macedonius ſucceſſores Acacii ejuſdem ſchiſmatis rei fuerunt: nam Orientales, inter quos ipſi erant, ad Symmachum R. Pontificem ſcripſerunt, ut eos anathemate ſolveret; quo propter Acacium conſtricti tenebantur; & præterea, jubente Hormiſda, Euphemii & Macedonii nomina ex Dypticis expuncta ſunt: ii tamen extra Eccleſiam non fuere.

VII. Cùm ortum eſt ſæculo decimo quarto graviſſimum ſchiſma inter Urbanum VI. & Clementem VII. erant identidem mutuæ amborum iſtorum Pontificum excommunicatioues. Tota Gallia & Hiſpania ſchiſmatica fuit, cùm adhæſit Clementi VII. ipſum verò Urbanum legitimum Pontificem rejecit. An omnes Galli & Hiſpani tunc ab Eccleſia Chriſti præciſi erant & ſeparati? Quis credat?

VIII. Patres ipſi Baſileenſes ſchiſmatici fuere, utpotè qui Eugenio IV. obedire recuſarunt, & eo invito Synodum Baſileenſem protraxerunt, imò & ipſum Eugenium depoſuerunt. An illi propterea velut extorres ab Eccleſia habiti ſunt? minimè. Hæc ferè ſunt exempla & facta hiſtorica quæ Jurius in ſuo Eccleſiæ ſyſtemate congreſſit contra neceſſitatem unius Catholicæ communionis. Antequam ad hæc ſingula facta ſigillatim reſpondeamus,

Obſerva 1. ex jam dictis, ſchiſma voluntariam eſſe ſeparationem ab Eccleſiæ unitate.

Obſerva 2. ſchiſmaticum eſſe quicumque à communione R. Pontificis recedit: cùm enim R. Pontifex ſit centrum unitatis & communionis Catholicæ, qui ab ipſo recedit, unitatem deſerit, proindeque hoc ipſo ſchiſmaticus eſt.

Obſerva 3. ſchiſmaticum pariter eſſe, non ſolùm qui ſe ſeparat, ſed etiam qui ſeparatur à communione univerſalis Eccleſiæ aut R. Pontificis, modò adſint ſufficiens auctoritas & legitima cauſa; cauſa ſcilicet quæ fidem aut religionem ſpectet. Ut id pleniùs intelligas,

Obſerva 4. varias excommunicationis ſpecies diſtinguendas eſſe.

Prima, eaque Antiquis uſitatiſſima, ea eſt qua Epiſcopi Collegarum & Coepiſcoporum charitate & communione Eccleſiaſtica privabantur.

Communio illa Eccleſiaſtica quatuor ferè capitibus continebatur: mutua viſitatione; Solemnium in Collegarum Diœceſi, dum in ea morarentur, tamen præſente Collega, celebratione; Litterarum formatarum & commendatitiarum reciproca miſſione & acceptatione; in Conciliis denique auctoritate, ſuffragiis & conſeſſu.

Hujus excommunicationis exemplum occurrit in Epiſcopo ſine juſta cauſa non accedente ad Synodum Provincialem: hunc enim Synodus V. Carthaginenſis Can. 10. *jubet Eccleſiæ ſuæ communione contentum eſſe*. Ita etiam Synodus Arelatenſis Can. 19. & Tarracon. Can. 6.

Altera excommunicationis ſpecies apud Antiquos etiam frequentiſſima, in nuda communionis ſubſtractione aut denegatione poſita erat, qua Epiſcopi aut Eccleſiæ à mutua ſe communione ſeparabant, atque ita una alteram quaſi excommunicabat, licèt ſibi minimè ſubjectam.

Ita ſanctus Epiphanius Salaminæ Epiſcopus Joanni Jeroſolymitano nul-

lo

lo titulo ſibi ſubdito communionem denegavit, ut conſtat ex Epiſt.60. inter Hieron.

Hæc à communione ſeparatio, à Veteribus excommunicatio dicebatur: attamen excommunicatio propriè dicta non erat, utpotè quæ à poteſtate & uſu clavium minimè dependeret, atque etiam circa non ſubditos exerceretur.

Tertia excommunicationis ſpecies ea eſt, qua quis totaliter abſcinditur à corpore Eccleſiæ, habeturque ſicut Ethnicus & publicanus. Hæc olim *mortalis* & vulgò *anathema* dicebatur, nunc verò communiter excommunicatio *major* dicitur.

Obſerva 5. inter excommunicationes quæ juridicè feruntur, alias eſſe quæ plenum & integrum ſortiuntur effectum, non reclamante Eccleſia, id eſt Epiſcoporum Collegio; alias verò quarum effectus aut caſſus eſt aut ſuſpenſus, ſive quòd Epiſcopi contra ſententiam excommunicationis reclament, quam aut minùs juſtam, aut ſaltem minùs neceſſariam reputant: ſive quia Summus Pontifex ſua agendi ratione cenſetur plenum & perfectum excommunicationis jam ab ipſo latæ effectum ſuſpendere, & denegare dumtaxat communionem ſpecialem *Eccleſiaſticam* & *charitatis* de qua mox diximus, non verò Catholicam & univerſalem.

His jactis fundamentis facilè diluentur quæ hìc opponuntur exempla.

Reſp. itaque ad primum de Eccleſiis Orientalibus. 1. eas verè ſchiſmaticas eſſe, ſi centro unitatis non adhæreant; non adhærere autem, ſi Romanum Epiſcopum Caput Eccleſiæ à Deo conſtitutum non agnoſcant. 2. non omnes planè ac ſingulos illarum ſocietatum Fideles eſſe propriè ſchiſmaticos, quia plurimi ſunt in his ſocietatibus, qui animo & affectu Capiti Eccleſiæ adhærent quod fuit à Chriſto inſtitutum; atque quod de hæreticis ſocietatibus dixit ſanctus Auguſtinus Epiſt.43. aliàs 162. ſchiſmaticis pariter accommodari poteſt: *Qui ſententiam ſuam*, ait ſanctus Doctor, *quamvis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ peperunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*. 3. Argui non debet Romana Eccleſia crudelitatis, quæ aſſerit eos omnes ſalvos eſſe non poſſe qui deſerunt Eccleſiam; aut certè ejuſdem crudelitatis accuſandi ſunt omnes SS. Patres. 4. Diffuſa nihilominus eſt ac Catholica Romana ſocietas, ac longè magis patens & extenſa quàm alia qualibet. To.2.p. 88.F.

Ad ſecundum: reſpondeo 1. equidem Victorem & Stephanum comminatos fuiſſe anathema in Aſiaticos & Africanos: at uterque ultra minas non perrexit. Id teſtantur de Victore, Firmilianus Epiſt. ad S. Cypr. Euſeb. Lib.5. cap.24. ſanctus Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſ. cap.46. Idem dicendum de ſancto Stephano, judice ſancto Auguſtino L.5. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 25. *Stephanus*, inquit, *abſtinendos putaverat, qui de ſuſcipiendis Hæreticis priſcam conſuetudinem convellere niterentur....Vicit tamen pax in cordibus eorum, ut nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur*. At pax inter SS. Stephanum & Cyprianum abrupta fuiſſet, ſi Cyprianum, ipſique adhærentes Epiſcopos anathemate confixiſſet Stephanus. Vide quæ de eo facto ſuo loco diſſeruimus, ubi de Sacramentis in genere. To.9.p. 158.A.

Reſp.2.

Reſp.2. ex mox obſervatis conſtare quoddam olim in uſu fuiſſe excommunicationis genus, quo R. Pontifex per quamdam diſpenſationem omni ſua poteſtate non uſus, aliquos Epiſcopos à ſua communione ſpeciali charitatis ita ſeparavit, ut eos interim vellet Eccleſiæ ſuæ communione eſſe contentos, non autem à totius Eccleſiæ communione idcircò alienos. Sic Leo Magnus Epiſt.60. ad Anatolium, vult Epiſcopos Latrocinii Epheſini Eccleſiarum ſuarum communione aliquamdiù contentos eſſe. Eadem excommunicatione partiali uſæ ſunt Africanæ Synodi. Hujus generis fuiſſe excommunicationem, quæ Victori & Stephano tribuitur (ſi tamen verè eam tulerunt) meritò dici poteſt.

Reſp.3. Quamvis ſupponeretur à Victore & Stephano anathema latum fuiſſe in Aſiaticos & Africanos, tamen cùm obſtiterint his decretis cæteri Epiſcopi, non mirum ſi illius anathematis effectus aut caſſus fuerit aut ſuſpenſus: fatemur enim decreta & anathemata R. Pontificis poſſe reſcindi à cæteris Epiſcopis communi conſenſu agentibus, cùm illæ minùs expedire Eccleſiæ utilitati exiſtimantur.

Quòd autem cæteri omnes Epiſcopi interceſſerint adversùs Victorem, conſtat ex Euſebio Lib.5. Hiſt.c.24. *Verùm hæc*, inquit loquens de Victoris anathemate, *non omnibus placebant Epiſcopis. Proinde Victorem ex adverſo hortati ſunt, ut ea potius ſentire vellet quæ paci & unitati charitatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum eorum Litteræ, quibus Victorem acerbiùs perſtringunt.* S. Cyprianus cùm ſignificat, Epiſt. ad Jubajanum, ſe in concordia & unitate cum omnibus Collegis manere, non obſcurè indicat, alios Epiſcopos anathemati à S. Pontifice intentato obſtitiſſe.

Pagina 192.C.

Ad tertium de ſchiſmate Meletiano, jam ſuprà Quæſt.2. Art.6. reſpondimus. Eſto Meletius ante initam cum Paulino pacem & concordiam Damaſo ſuſpectus fuerit, & ejus communione privatus: at ſaltem ſubinde occaſione initæ pacis Damaſo acceptus, & in communionem ejus admiſſus fuit. Vide momenta quibus id demonſtratum eſt, loco mox indicato.

Ad quartum: A culpa excuſari non poteſt Joannes Antiochenus cum ſuis, cùm ſeparatum à Concilio Epheſino Conventum habuerunt; ſed cùm pax inter illos & S. Cyrillum brevi fuerit reſtituta, mirum eſſe non debet, ſi amicè cum illis ſubinde egerint Patres Epheſini.

Ad quintum de ſchiſmate Acacii: Fateor illum verè ſchiſmaticum fuiſſe; imò & à pluribus inter Hæreticos recenſetur, quia communionem habebat cum Hæreticis manifeſtis. Sæpè monitus à Pontificibus Simplicio & Felice, illorum Hæreticorum communionem noluit deſerere; Zenoni auctor fuit conſcribendi Henotici; Catholicos Epiſcopos afflixit, & Hæreticos dudum damnatos in eorum Eccleſias intrudi paſſus eſt; Simplicio monenti ut à communione Petri Moggi recederet, niſi ſubſcriberet Synodo Chalcedonenſi, nunquam parere voluit. Hæc patent ex Epiſtola 6. Felicis III. ex Liberato in Breviario cap.17. & 18.

At alii Orientales qui cum Acacio communicabant, ſtabant dumtaxat ab ejus partibus, quia exiſtimabant non poſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum damnari niſi in Concilio generali; non autem vel ex eo quòd primatum R. Pontificis negarent, vel Eccleſiæ univerſalis auctoritatem contemnerent.

Ad

Ad ſextum: Euphemius & Macedonius nullatenus ſchiſmatici fuerunt: nam R. Pontificis primatum ſemper venerati ſunt; ſynodicas ad ipſum Epiſtolas ſcripſerunt, vel ſcribere voluerunt, ſed vi externa prohibiti ſunt: modis omnibus communionem Sedis Apoſtolicæ quæſiverunt; ipſis propitii fuerunt SS. Pontifices; cum iis viri ſancti & Sedi Apoſtolicæ conjunctiſſimi communicarunt, nempè S. Flavianus Antiochenus Epiſcopus, S. Elias Jeroſolymitanus, S. Sabas & alii ſanctitate celebres Monachi qui his temporibus in Palæſtina florebant: quæ omnia conſtant ex Liberato cap. 18. Breviarii, & Nicephoro Lib. 16. Hiſt. cap. 19.

Ad ſeptimum de ſchiſmatibus Occidentis: Certè nulli ex his qui adhærebant partibus Urbani vel Clementis, erant ſchiſmatici; omnes enim illi bona fide adhærebant ei quem pro legitimo Pontifice habebant; omnes in eo dubio ac contentione, debita reverentia expectabant Eccleſiæ univerſalis Judicium circa verum ac legitimum Pontificem. Aderant ex utraque parte rationes probabiles, adeo ut certè ab omnibus ſapientibus & erga Catholicam unitatem benè affectis cognoſci non poſſet, quis eſſet verus ac legitimus Pontifex: inutiles igitur ac vanæ erant mutuæ ex utraque parte excommunicationes, cùm non conſtaret de legitima auctoritate qua ferebantur. Si quis igitur error erat, in mero facto verſabatur, non in ipſo dogmate: omnes enim in eo conſentiebant, legitimo Pontifici obſequendum eſſe; illum eſſe Caput Eccleſiæ, ac primatum habere honoris & juriſdictionis in alios Epiſcopos; omnes animo & affectu unitatem quærebant, verè igitur ſchiſmatici non erant. Conſule Gerſonium Academiæ Pariſienſis Cancellarium, in Tractatu de modo ſe habendi tempore ſchiſmatis, ſanctum Antoninum Archiepiſcopum Florentinum, tertia parte Chronici titulo 22. c. 2. & titulo 23. cap. 8. parag. 4. Cardinalem à Turre cremata in Summa de Eccleſia L. 4. parte 1. c. 14.

Ad ultimum: Quidquid ſit de Patribus Baſileenſibus cùm Eugenii IV. depoſitionem attentarunt, Papa Felix quem ipſi creaverant, ceſſit tandem Nicolao Eugenii ſucceſſori, & Patres Baſileenſes qui Lauſannam Concilium tranſtulerant, eidem Nicolao legitimo Pontifici paruerunt. Conſtant hæc ex Epiſt. Nicolai V. Itaque hujuſmodi exemplum adverſarios non juvat.

Objicies 4. auctoritatem S. Auguſtini Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. ex quo, ut loquitur Jurius, fulminans erui poteſt argumentum. Scilicet, ubi dixit ſanctus Doctor, impiè agere Donatiſtas qui rebaptiſant eos qui ſunt in unitate, & rectiùs agere Catholicos qui Dei Sacramenta etiam in ipſo ſchiſmate non improbant, rationem hanc ſubjungit: *In quo enim nobiſcum ſentiunt, in eo etiam nobiſcum ſunt, in eo autem à nobis receſſerunt, in quo à nobis diſſentiunt: non enim acceſſus iſte atque diſceſſus corporalibus motibus, & non ſpiritalibus eſt metiendus.... Si ergo qui receſſit ab unitate, aliquid aliud agere voluerit quàm quod in unitate perceperit, in eo recedit atque disjungitur: quod autem ita vult agere, ſicut in unitate agitur, ubi hoc accepit & didicit, in eo manet atque conjungitur.* Ex quibus verbis hæc inferri poſſe contendit Jurius, To. 9. p. 80. D.

I. Unitatem Eccleſiæ poſitam non eſſe in unitate locorum & congregationis, ſed in unitate Sacramentorum & doctrinæ; adeoque qui communione ſunt ſeparati, voluntatum conſenſione poſſe eſſe conjunctos.

II. Qui

II. Qui receſſerunt ab unitate, ut Schiſmatici, eſſe adhuc in unitate, modò agant quod agitur in unitate: *In eo enim quod didicit, manet atque conjungitur*, ait S. Auguſtinus.

Reſp. Parùm nos terrent hæc Jurii fulmina; neque enim unquam negarunt Catholici, Schiſmaticos imò & Hæreticos cum Eccleſia Catholica in plurimis convenire; ſed hoc unum contendunt, ea in quibus conveniunt non ſufficere, ut verè ſint in Eccleſia: imò ſupponit in citato loco S. Auguſtinus, Donatiſtas unitatem deſeruiſſe. Atqui, in mente ſancti hujus Doctoris, ſeparatio ab unitate excludit & à corpore & ab anima Eccleſiæ: ab anima, quia maximum eſt flagitium; à corpore, quia ſeparat à communione Eccleſiæ.

Ad primum quod infert Jurius: Intelligi non poteſt quid ſit illa voluntatum conſenſio, per quam unitas extra communionem Eccleſiæ conſervari poteſt. An convenientia in aliquibus capitibus? at ſufficere hanc convenientiam ut aliquis ſit in unitate Eccleſiæ, centies negavit Auguſtinus: unionem habere Schiſmaticos in aliquibus cum Eccleſia fatetur, at unitatem habere pernegat. *Quicumque*, inquit Lib. de unit. Eccl. cap. 4. *de ipſo Capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & unitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia; quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia... diſſentiunt.*

Ibid. p. 312. A.

Ad ſecundum: Hæc verba, *in eo manet atque conjungitur*, non ſignificant apud Auguſtinum Schiſmaticos eſſe in unitate, aut non eſſe extra unitatem Eccleſiæ; ſed iis dumtaxat cum Eccleſia commune eſſe, quòd Sacramenta validè adminiſtrent & conſervent.

Objicies 5. Qui ſervant eſſentialem Eccleſiæ Catholicæ communionem, ii vera ſunt Eccleſiæ membra: ſed Schiſmatici illam ſervant; conſiſtit enim in communione cum Chriſto per exteriorem fidei profeſſionem.

Reſp. diſtinguo maj. Qui ſervant eſſentialem communionem Eccleſiæ Catholicæ, qualem Chriſtus inſtituit & exigit Eccleſia, hoc eſt, communionem cum Chriſto per fidem, & cum legitimis Paſtoribus per obedientiam & ſubjectionem ipſis debitam, concedo: ſine tali ſubjectione, nego. Porrò Schiſmatici hanc excutiunt, & idcircò Schiſmatici ſunt & extra Eccleſiam.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum excommunicati ſint in Eccleſia.

Supponenda hic ſunt quæ de excommunicatione tradunt Theologi, ubi de Cenſuris.

I. Eſſe in Eccleſia veram excommunicandi auctoritatem quæ virtute clavium exercetur.

II. Excommunicationem eſſe cenſuram ſeu pœnam Eccleſiaſticam, per quam Chriſtianus bonis Eccleſiæ communibus privatur, ſuffragiis, ſacrificiis, Sacramentis &c.

III. Non niſi ob graviſſimam culpam eamque exteriorem, & in rebelles & contumaces pœnam hanc decerni ſolere.

IV. Veram eſſe ac juſtam excommunicationem, non tantùm à ſocietate ſeu particulari quadam Eccleſia, ſed ab univerſali; cùm nempè, ut anteà obſer-

obſervavimus, omnes Eccleſiæ, expreſſo vel tacito conſenſu latæ ſententiæ acquieſcunt.

V. Si quis injuſtè ab Eccleſia expelleretur, ille interiùs ad Eccleſiam pertineret: imò nec de illo, qui juſta excommunicatione plectitur, deſperandum eſſe docet S. Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17. n. 26. *De nullo tamen deſperandum eſt*, inquit, *ſive qui intus talis apparet, ſi-* To.9.p.
ve qui foris manifeſtiùs adverſatur. Spirituales autem ſive ad hoc ipſum pio ſtudio 93. D.
proficientes, non eunt foras: quia & cùm aliqua vel perverſitate vel nequitia hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm ſi intus permaneant, cùm adversùs Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida unitatis petra fortiſſimo charitatis robore radicantur. His ſuppoſitis, quæritur an qui ſunt excommunicati vera ſint Eccleſiæ membra.

CONCLUSIO.

Excommunicati verè non ſunt in Eccleſia.

Probatur 1. ex Scripturis. Matth. 18. v. 17. Chriſtus jubet rebelles & contumaces Chriſtianos qui Eccleſiam audire nolunt, habendos tanquam Ethnicos & Publicanos: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Hanc autem ferendæ excommunicationis ſententiæ auctoritatem Eccleſiæ vi clavium competere, demonſtrant hæc ſequentia Chriſti verba: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.* Hac auctoritate uſus eſt Apoſtolus erga Corinthium inceſtuoſum quem ſatanæ tradidit, 1. Corinth. 5. v. 11. & 13.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Tertullianus Apologet. cap. 39. loquens de excommunicatione, ipſam appellat cenſuram divinam, eamque eſſe futuri Judicii præjudicium: *Cùm* P.31.B.
nempè, inquit, *ſi quis ita deliquerit, ut à communione orationis, & conventus, & omnis ſacri commercii relegetur*.

S. Cyprianus Epiſtola 62. ad Pompejum excommunicationem appellat P. 100.
gladium ſpiritalem: *Spiritali gladio*, inquit, *ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cùm domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe niſi in Eccleſia poſſit*.

Euſebius Lib. 5. Hiſt. cap. 24. referens quanam ratione Victor S. P. egerit adversùs Aſiaticos propter diſſidium de celebratione Paſchatis, ſic loquitur: *His ita geſtis, Victor Romanæ Urbis Epiſcopus, illico omnes Aſiæ vi-* P.192.
cinarumque Provinciarum eccleſias tanquam contraria rectæ fidei ſentientes, B.C.
à communione abſcindere conatur; datiſque Litteris, univerſos qui illic erant fratres, proſcribit, & ab unitate eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronuntiat. Quibus verbis ſignificat hunc eſſe excommunicationis effectum, ut ab Eccleſiæ unitate faciat prorſus alienos.

S. Hieronymus in caput 3. Epiſtolæ ad Titum, *Fornicator*, inquit, *adulter,* Tp.4.p.
homicida, & cætera vitia, per Sacerdotes de eccleſia propelluntur. Hæretici au- 1.p.439.
tem in ſemetipſos ſententiam ferunt ſuo arbitrio de eccleſia recedentes.

S. Auguſtinus Lib. de unitate Eccleſiæ capite ultimo ait, *excommunicari* To.9.p.
eſſe viſibiliter præcidi à corpore eccleſiæ. Et Lib. de corrept. & grat. cap. 386.
15. di-

T.10.p. 15. dicit *per excommunicationem ſeparari ab ovibus ſanis ovem morbidam, ne*
775. F. *per plures ſerpant dira contagia.* Et quæſtione 39. in Deuteronomium ait,
To.9.p. *hoc nunc agere in Eccleſia excommunicationem, quod agebat tunc interfectio;* &
597.G. confert quod dicebatur Deuteronomii 24. v.7. *Auferes malum de medio tui*, cum eo quod dicit Apoſtolus 1. Corinth. 5. v.13. *Auferte malum ex vobiſmetipſis.*

Probatur 3. rationibus Theologicis.

I. Quia per excommunicationem privantur Chriſtiani omni commercio ſpirituali quod habent tanquam unius & ejuſdem Eccleſiæ partes & membra inter ſe, quemadmodum intelligi poteſt ex Tertulliano Apologetici cap.39.

II. Quia excommunicationis pœnam eum locum habet in Eccleſia Chriſti, quem habebat pœna mortis in veteri Teſtamento, & quem etiamnum habet in Regnis & ditionibus Principum temporalium, ſicut obſervat S.Auguſtinus citata quæſt.39. in Deuteronomium.

III. Quia omnium pœnarum quæ infligi poſſunt ab Eccleſia, nulla gravior eſt excommunicatione, ſicut expreſsè docet S. Auguſtinus Lib. de corrept. & grat. cap.15.

IV. Denique, quia excommunicati nec ad corpus, nec ad animam Eccleſiæ pertinent. Non ad corpus, à cujus communione exteriori præciſi ſunt; non ad animam, cùm ſupponantur contumaces in ſuis delictis.

Dices 1. S. Auguſtinus Lib. contra Donatiſtas poſt Collationem cap.20. ait:
A populo Dei non ſeparamus, quos vel degradando vel excommunicando ad hu-
To.3.p. 1. pag. *miliorem pœnitendi locum redigimus.* Atqui per populum Dei intelligi de-
570.A. bet Eccleſia; ergo &c.

Reſp. hìc agere ſanctum Doctorem vel de ſeparatione perpetua, quæ eſt ſine ſpe ſalutis & reditus; vel per Eccleſiam intelligere numerum ſalvandorum; vel, quod probabilius eſt, non ſeparari à populo Dei, idem eſſe ac à bonis & ſanctis hominibus non ſeparari, qui maximè ſunt populus Dei & viva corporis Chriſti membra: quia nempè excommunicatio per ſe & directè nunquam hominem privat interiori communione quæ fit per gratiam & charitatem.

Dices 2. Excommunicatio eſt medicina quædam ſpiritualis inſtituta in utilitatem eorum qui excommunicantur: atqui non eſſet in utilitatem eorum ſi ejicerentur ab Eccleſia.

Reſp. diſtinguo min. Si ita ejicerentur ab Eccleſia ut nulla ſpes iis relinqueretur & poteſtas redeundi ad Eccleſiam, concedo: ſecus, nego. Porrò tantùm abeſt ut hanc ſpem eis eripiat Eccleſia, quin potiùs non alio fine excommunicat, quàm ut hac medicinali pœna ſuos emendet, ac invitet ut in ſinum ſuum redeant, omni depoſita rebellione ac contumacia.

ARTICULUS VI.

Utrum Infideles ſint in Eccleſia.

QUæſtio moveri poteſt de Infidelibus publicis ac manifeſtis, & de occultis: & iſti rurſus vel ſunt baptiſati; vel non ſunt, qui ſeſe fidelium cœtui

cœtui exteriùs admiſcent, fidem profitentur exteriùs, Sacramenta percipiunt &c.

Ac primò quidem de Infidelibus publicis non baptiſatis idem planè dicendum quod antea de publicis Hæreticis diximus, eos nullatenus ad Eccleſiam pertinere. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare?* ait S. Paulus 1. Cor. 5. v. 12.

De Infidelibus verò occultis, ſi baptiſati ſint, idem quoque ſentiendum quod de occultis Hæreticis ſuprà expoſuimus: conſule, ne ſæpius eadem recoquere teneamur.

De Infidelibus verò occultis non baptiſatis, qui alicujus temporalis commodi cauſa ſeſe fidelium Cœtibus admiſcent &c. ſunt qui putant eos ad Eccleſiæ corpus pertinere, propter exteriorem illam fidei profeſſionem & Sacramentorum perceptionem; ita Joannes Driedo. Alii tamen meliùs dicunt eos nequidem ad corpus Eccleſiæ verè pertinere, ſed tantùm ſecundùm exteriorem ſpeciem, putativè ac fictè; quia nempe carent Baptiſmo, per quem patet aditus ad Eccleſiam. Videntur ergo illi eſſe in Eccleſia, ſed verè non ſunt, in quam admiſſi nunquam fuerunt; unde ſtatim ejicerentur, ſi conſtaret illos nunquam Baptiſmo initiatos fuiſſe. Lege Bellarminum Lib. 3. de Eccleſia militante cap. 10. Sed de hoc argumento plura dicere neceſſe non eſt, ſiquidem quæ ſuperiùs circa Hæreticos diſputata ſunt, accommodari hìc facilè poſſunt.

ARTICULUS VII.

Utrum Catechumeni ſint in Eccleſia.

Catechumenus idem eſt ac auditor, ex ſancto Iſidoro Hiſpalenſi Lib. 7. Originum cap. 14. *Catechumenus*, inquit, *eſt ille qui adhuc fidei doctrinam audit, necdum tamen Baptiſmum percepit.* P. 1011 co. 2. A.

Varias Catechumenorum Claſſes, functiones, exercitia exponemus ubi de Baptiſmo. Hoc unum hìc quæritur, ſintne vera corporis Eccleſiæ membra: corporis dico; de corpore enim Eccleſiæ agere nos non ſemel monuimus: poſſe verò Catechumenos ratione internæ fidei ac charitatis ad animam Eccleſiæ pertinere, etiam antequam actu & de facto baptiſentur, adeoque illos deſiderio, affectu & animo ad Eccleſiam tunc pertinere, & ſalvos fieri poſſe, hìc tanquam certum ſupponimus. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Catechumeni non ſunt actu & perfectè vera Eccleſiæ membra.

Probatur. Quia illi non ſunt actu & perfectè vera Eccleſiæ membra, qui nondum Chriſto inſerti ſunt per Baptiſmum, qui nullum jus habent ad Sacramenta Eccleſiæ, aliaque quæ fidelibus omnibus Chriſtianis ſunt communia, quos denique SS. Patres ſemper à Fidelibus diſtinxerunt: atqui tales ſunt Catechumeni. *Bellar. Lib.* 3. *c.* 3.

I. Nondum Chriſto per Baptiſmum inſerti ſunt; ut per ſe patet; & idcirco

inter auditores, ſeu candidatos fidei ad Baptiſmum aſpirantes recenſentur. Porrò nemo fieri poteſt membrum Chriſti & Eccleſiæ ſine Baptiſmo, per quem aditus aperitur ad Eccleſiam, & ſolemnis fit Chriſtianæ Religionis profeſſio.

II. Catechumeni nullum jus habent ad Sacramenta Eccleſiæ, & alia quæ communia ſunt cæteris fidelibus. Eſt enim Baptiſmus primus gradus omnino neceſſarius ut quis jus acquirat ad omnia Sacramenta; per illum enim homo inter Chriſtianos inſcribitur, & publicè nomen ſuum dat militiæ Chriſti. Unde S. Auguſtinus Tract. 12. in Joan. ait Catechumenos ſimiles eſſe
To.1.p. Judæis illis de quibus Joan. 2. capite dicitur, quòd *multi crediderunt in no-*
2. Pag. *mine ejus, ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis*: id eſt, non credit
384. D. Sacramenta ſua, præſertim corporis & ſanguinis ſui. Sed quare, inquit?
E. *Quia nondum erant nati ex aqua & Spiritu.*

III. SS. Patres Catechumenos ſemper diſtinxerunt à Fidelibus.

Tertullianus Libro de Præſcriptionibus cap.41. reprehendit Hæreticos quòd
P.217. nulla eſſet apud eos inter Catechumenos & cæteros Fideles diſtinctio, & promiſcuè cum Fidelibus adeſſe Sacrificiis & Orationibus paterentur.

To.1.p. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in ſanctum Baptiſma: *Quamdiu*,
647.C. inquit, *in Catechumenorum numero es, in pietatis veſtibulo es. Intrare te oportet, atrium pertranſire, Sancta contueri, in Sancta Sanctorum proſpicere, cum Trinitate conjungi.*

P. 119. S. Chryſoſtomus hom. 24. in Joan. dicit Catechumenum alienum eſſe à
D. Fideli, & nihil habere cum ipſo commune.

S. Cyrillus Lib. 12. in Joan. obſervat Catechumenos eſſe apud Chriſtianos, id quod erant incircumciſi apud Judæos, qui non poterant veſci Agno Paſchali.

Ex his igitur colliges, Catechumenos non eſſe in Eccleſia actu & propriè, ſed tantùm in potentia; quomodo homo conceptus, ſed nondum formatus & natus non dicitur homo niſi potentia.

Dices 1. Extra Eccleſiam nemo ſalvari poteſt: ſed Catechumeni in quibus eſt fides vera ac ardens charitas, ſalvari poſſunt, etiam ante perceptum actu Baptiſmum; ergo non ſunt extra Eccleſiam.

Reſp. diſtinguo maj. Extra Eccleſiam ſumptam tam pro anima quàm corpore, nemo ſalvari poteſt, concedo: ſumptam pro corpore, ſubdiſtinguo: ſi ex ſua culpa quis non ſit in illo Eccleſiæ corpore, concedo: ſi abſque ulla ſua culpa, nego. Pariter diſtinguo conſequens: ergo Catechumeni non ſunt extra Eccleſiam, ratione animæ ipſius, ſi nempe fidem habeant & charitatem perfectam, concedo; non ſunt extra Eccleſiam, ratione corporis, iterum diſtinguo: non ſunt extra Eccleſiæ corpus ex culpa ſua, ſed ex neceſſitate qua premuntur, concedo: non ſunt, licèt abſque ulla ex parte ſui culpa, extra Eccleſiæ corpus, nego. Licèt autem actu & de facto ſint extra corpus Eccleſiæ, ad illud tamen animo & affectu pertinent, & propter fidem ac perfectam charitatem, quam ſupponuntur habere, ſalvi eſſe poſſunt, ſi ante perceptum actu Baptiſmum ex vivis rapiantur.

Dices 2. Non minùs Catechumeni ſunt de Eccleſia, quàm improbi Catholici; neque enim minùs, imò magis eſſe debent de Eccleſia, qui ad animam ejus pertinent, quàm qui ad ejus corpus; atqui plures Catechumeni per-

Digitized by Google

pertinent ad animam Eccleſiæ, improbi verò pertinent tantùm ad corpus Eccleſiæ.

Reſp. ex dictis ſæpius nos hic agere de corpore Eccleſiæ: ad illud autem magis pertinent improbi Catholici quàm Catechumeni; qui, ſi fidem habeant & charitatem, ad animam pertinent Eccleſiæ actu & de facto, ad corpus verò tantùm voto & deſiderio: improbi verò ad animam Eccleſiæ non pertinent. Quare ſi ſermo ſit de illis Catechumenis qui non voluntate ſed neceſſitate Baptiſmo privantur quem deſiderant, fateor poſſe dici illos magis pertinere ad Eccleſiam, quàm improbos Catholicos; ſiquidem ad animam Eccleſiæ pertinent, improbi autem ad ſolum corpus: nobilior autem Eccleſiæ pars eſt anima.

Dices 3. Quamvis olim pœnitentes publici ab aliis fidelibus ſecernerentur, ab Eccleſiæ etiam ingreſſu arcerentur, neque Sacrificiis aut Orationibus publicis intereſſe ipſis permitteretur, non tamen dicuntur fuiſſe extra ſinum Eccleſiæ: ergo licèt Catechumeni diſtinguerentur à cæteris Fidelibus, non tamen inde ſequitur eos fuiſſe extra Eccleſiam.

Reſp. hoc eſſe diſcrimen inter pœnitentes & Catechumenos, quòd illos haberet Eccleſia tanquam filios quos corrigebat & emendabat, atque in pœnam peccatorum ſuorum Sacramentis privabat; unde jus habebant ad Sacramenta percipienda poſt labores pœnitentiæ adimpletos: at Catechumeni, ut habet S. Auguſtinus Tract. 12. in Joan. conſiderantur quidem ab Eccleſia tanquam filii quos concipit, ſed quos nondum parturiit, edendos poſteà in lucem cùm ſancto lavacro regenerabuntur; adeoque nullum jus adhuc in bona filiorum acquiſierunt.

Dices 4. S. Auguſtinus Tract. 4. in Joan. videtur in Eccleſia reponere Catechumenos, ſic enim loquitur: *Intendat charitas veſtra: Futuri erant aliqui in Eccleſia excelſioris gratiæ Catechumeni.* To. 3. p. 2. pag. 317. C.

Reſp. diſtinguo. Futuri erant in Eccleſia; impropriè, in potentia & voto, concedo: propriè, actu, quaſi fuerint vera Eccleſiæ membra, nego. Fundamentum habet in ſancto Auguſtino hæc diſtinctio: tùm quia Lib. 2. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 1. & Tract. 12. in Joan. dicit eos qui nondum per Baptiſmum renati ſunt, eſſe tantùm in utero Eccleſiæ per Crucis ſignum conceptos: tùm quia in eo ipſo loco unde petitur Objectio, loquitur de Catechumenis, qui meliores ſe aliis arbitrantes dedignabantur venire ad Baptiſmum. At certum eſt ejuſmodi Catechumenos propriè non eſſe in Eccleſia; ſed tantùm hoc ſenſu, quòd cùm nomen ſuum dederint, ut ejus albo inſcriberentur, cenſebantur in voto ad eam utcunque pertinere.

QUÆSTIO QUINTA.

De Capite Eccleſiæ.

Eccleſiæ Caput aliud eſt ſupremum, eſſentiale, ac inviſibile, Chriſtus ſcilicet, *quem Deus dedit Caput ſuprà omnem Eccleſiam. Ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Aliud verò Caput eſt miniſteriale, viſibile & externum, Romanus nempè Pontifex, qui per excellentiam Summus Pontifex appellatur, propter primatum honoris ac juriſdictionis quo in tota Eccleſia gaudet ſupra cæteros Epiſcopos. Quo ſenſu Caput miniſteriale, & accidentale ab aliquibus dicatur, mox aperiemus. Non hic quæſtio movetur de Chriſto Capite eſſentiali Eccleſiæ, ſed de Summo Pontifice, de quo hæc diſcutienda nobis ſunt.

Epheſ. 1. v. 21. Coloſſ. 1. v. 18.

I. An S. Petrus primatum ſupra cæteros Apoſtolos à Chriſto Domino acceperit.

II. An Romanus Pontifex primatus prærogativa jure divino fruatur in tota Eccleſia.

III. De auctoritate Summi Pontificis & Eccleſiæ univerſæ in Cenſura Librorum, ſeu, ut vocant, in factis dogmaticis dirimendis, ac definiendis.

ARTICULUS PRIMUS.

An S. Petrus primatum habuerit ſuprà alios Apoſtolos.

Primatus nomine, non tantùm honoris & dignitatis prærogativam, ſed etiam poteſtatis & juriſdictionis præeminentiam intelligimus.

Nonniſi poſterioribus temporibus impugnatus fuit primatus S. Petri ſupra alios Apoſtolos: ab iis nempè quibus inviſa ſemper fuit Romani Pontificis in Eccleſia Chriſti Capitis dignitas, Luthero ſcilicet, Calvino & eorum ſequacibus. Cùm enim Romanus Pontifex aliam habere non poſſit auctoritatem, quàm quæ ipſimet ſancto Petro, cui ſuccedit, à Chriſto conceſſa fuit ſuper alios Apoſtolos, certè ſi æqualis fuit in omnibus cum cæteris Apoſtolis S. Petrus, nec ulla conſequenter ſupra Epiſcopos, qui Apoſtolis ſuccedunt, Romano Pontifici auctoritas tribuenda.

Anno 1645. in lucem prodiere duo Libri, vernacula lingua ſcripti, quorum primo hic erat titulus: *De l'autorité de S. Pierre & de S. Paul qui reſide dans le Pape Succeſſeur de ces deux Apotres.* Alter verò ſic erat ſcriptus: *La grandeur de l'Egliſe Romaine etablie ſur l'auctorité de S. Pierre & de S. Paul.* Scopus eorum Librorum eſt oſtendere, planè in omnibus S. Petro coæqualem fuiſſe S. Paulum; atque ex his duobus Eccleſiæ Capitibus, unum conflatum fuiſſe. Decreto Innocentii X. die 24. Januarii an. 1647. duo illi Libri proſcripti ſunt ac damnati.

CON-

CONCLUSIO.

Sanctus Petrus primatum accepit à Chriſto ſupra alios Apoſtolos.

Cùm illa dignitas & prærogativa Capitis ex libera Chriſti voluntate S. Petro conceſſa fuerit, non aliunde probari poteſt, quàm ex Scriptura & Traditione, qui duo certiſſimi ac puriſſimi fontes ſunt, ex quibus veritas fidei haurienda nobis eſt.

PRIMA PROBATIO

Ex Scripturis.

Primum argumentum petitur ex cap. 16. S. Matth. v. 18. & 19. ubi Chriſtus S. Petrum ſic alloquitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam .... Et tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* quibus verbis primatus S. Petri aſtruitur. Namque ille primatum obtinet à Chriſto, ſuper quem Chriſtus ſuam Eccleſiam ædificat, & cui claves Regni ſui promittit, ac ligandi & ſolvendi auctoritatem: atqui &c. Minor certa eſt ex ipſo textu ſacro.

Major verò duo continet ex quibus primatus planè ſequitur, nempe Eccleſiam ſuper Petrum ædificandam; & ipſi Petro dandas eſſe claves Regni Cœlorum.

Ex primo quidem: Licèt enim aliqui ex SS. Patribus per *petram* intelligant, vel confeſſionem Petri, vel ipſum Chriſtum, vel etiam alios Apoſtolos & fideles; nullus tamen S. Petri perſonam excludit; imò benè multi expreſſè deſignant, atque inter alios Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus cap. 21. & Lib. de pudicitia. Origenes hom. 5. in Exodum, S. Cyprianus Epiſtola ad Jubajanum, & Lib. de unitate Eccleſiæ, Firmilianus Epiſtola ad Cyprianum, S. Epiphanius in Anchorato, Gregorius Nazianzenus Oratione de moderatione in diſputationibus ſervanda, Baſilius hom. de pœnitentia, & Lib. 2. adversùs Eunomium, Ambroſius Serm. 47. de fide Petri, Hilarius Can. 16. in Matth. & in Pſalm. 131. Hieronymus Epiſtola 57. ad Damaſum, & Epiſtola ad Marcellam. Ipſe S. Auguſtinus Lib. 1. Retractationum cap. 21. ex duabus illis ſententiis quarum una dicit intelligi Petri confeſſionem, alia Petrum ipſum, permittit lectori ſuo eam eligere quæ probabilior videatur. Atqui ſententia quæ dicit citato in loco S. Matth. perſonam Petri intelligi, videtur aliis longè probabilior: Tùm quia iſta ſententia magis accedit ad ſenſum litteralem Scripturæ, eamque includit qui ſimplicior eſt ac magis naturalis; de perſona enim S. Petri ſermonem eſſe contextus ipſe demonſtrat. Interrogaverat ſcilicet Chriſtus Apoſtolos, quid de ſeipſo ſentirent: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* inquiebat. Tunc verò Petrus celebrem hanc emiſit confeſſionem: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Cui ſtatim Chriſtus: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Quis non videat ex tota contextus ſerie, de ſingulari S. Petri perſona ſermonem eſſe? Illi enim ipſi dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* quem interrogavit, cui nomen mutavit, qui interroganti reſpondit. At iſta in ſingularem S. Petri perſonam cadere nemo ſanæ mentis negaverit.

Per petram intelligitur perſona Petri.

Tum quia Chriſtus audita, quam fecerat Petrus, divinitatis ſuæ confeſſione, in præmium hujuſce confeſſionis ſingulare aliquod ipſi privilegium indulget, nempe prærogativam primatus ſupra cæteros Apoſtolos, quæ his verbis exprimitur, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Tùm quia nemo non videt pronomen demonſtrativum, *hanc*, poſitum eſſe loco relativi; perinde ac ſi dixiſſet Chriſtus, Tu es petra ſuper quam ædificabo Eccleſiam meam.

Neque eſt quòd Calvinus dicat, non ſine cauſa Evangeliſtam orationem variaſſe; cùmque dixiſſet, *Tu es Petrus*, poſtea non dixiſſe, ſuper Petrum, ſed *ſuper hanc petram*, ut nempe aliam petram, quàm Petrum ſignificaret. Namque hæc certè pueriliseſt, ne dicam ridicula obſervatio; neque enim S. Matthæus Græca, ſed Hebraica, aut Chaldaica, aut Syriaca lingua Evangelium ſcripſit; quibus in linguis iſta generis differentia, quæ in Græca & Latina eſt inter Petrum & petram, non reperitur, ſed uno eodemque nomine ſive Hebraico, ſive Syriaco Chriſtus dixit: *Tu es Cephas, id eſt, petra, & ſuper hanc petram &c.* quemadmodum ſi latinè Petrus, non Petrus, ſed Petra diceretur. Si verò quæras cur Latinus Interpres non vertit, *Tu ex petra, & ſuper hanc petram &c.* facilis eſt reſponſio: Quia græcum Codicem ſecutus eſt. Non enim vertit ex Syriaco, ſed ex Græco in quo legitur σὺ εἶ Πέτρος, *Tu es Petrus &c.* Cur verò Græcus non verterit σὺ εἶ πέτρα, *Tu es petra*, ſed, *Tu es Petrus*, in cauſa eſt, ait hic Bellarminus, quoniam, cùm apud Græcos tam πέτρος quàm πέτρα ſignificet lapidem, viſum eſt Interpreti commodiùs homini nomen maſculinum quàm femininum tribuere.

Tùm qnia ex ipſis verbis conſequentibus, *Et tibi dabo claves &c.* perſpicuum eſt, verba iſta ad Petrum pertinere; abſurdum quippe foret, tam paucis verbis rerum aut perſonarum mutationem fieri. Sicut ergo dicit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*; ita etiam dicit: *ſuper hanc petram*, id eſt, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.

Tùm denique quia hæc ſententia plures habet ex SS. Patribus defenſores, quàm aliæ: atque ex iis etiam qui alias afferunt expoſitiones, nemo iſtam excludit, nemo aliam præferendam eſſe ait. Imò plurimi inter eos qui aliam afferunt, & noſtram etiam non omittunt. Ita

P. 690. S. Hilarius, qui per petram fidem & confeſſionem Petri intelligit Lib. 6.
E. & de Trinitate; tamen Petrum ipſum poſſe intelligi affirmat cap. 16. in Matth.
447. C. & in Pſalm. 131.

Ed. Cv. S. Chryſoſtomus, qui homil. 55. in Matth. & in caput 2. Epiſtolæ ad Galat.
p. 483. E. eti..n fidei confeſſionem intelligi ait; homil. tamen in Pſalm. 50. de ipſomet
In Ep. p. Petro interpretatur.

989. In. Pſal. p. S. Cyrillus Alexandrinus qui Lib. 4. de Trinitate, petram ait eſſe ipſam fi-
996. A. dem; Lib. 2. in Joan. de perſona Petri exponit.

To. 3. p. S. Auguſt. qui aliquando de Chriſto, aliquando de confeſſione fidei, ut Tract.
1006. D. 123. & 124. in Joan. & Serm. 13. de verbis Domini; tamen & de ipſo Petro
To. 4. p. 131. D. etiam exponit, ut patet ex Sermone 49. de verbis Domini nunc 137. Et Lib. 1. Retract. cap. 21. ubi & probabilem hanc explicationem aſſerit, & quæ ſit ex duabus probabilior ſuo lectori judicandum relinquit.

To. 1. p. 3:. C. Ex ſecundo etiam, nempe claves Regni Cœlorum & poteſtatem ligandi ac ſolvendi Petro conceſſas eſſe, inferimus ejus primatum: non quòd (ut volunt

aliqui)

aliqui) ſoli Petro datæ ſint à Chriſto claves Regni Cœlorum, & per Petrum aliis Apoſtolis; reverà enim cæteris Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis conceſſæ fuerunt à Chriſto immediatè, Matth. 28. v. 18. Joan. 20. v. 22. ſed quòd ſingulari quadam ratione Petro datæ ſint, ob ſpecialem qua cæteros antecellebat, dignitatem: quia nempe totius Eccleſiæ perſonam gerebat ac repræſentabat, propter primatum quem à Chriſto in cæteros acceperat. Ita SS. Patres. *Petrus Eccleſiam repræſentabat, & claves datæ Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis.*

Tertullianus in Scorpiaco cap. 10. *Memento*, inquit, *claves ejus, hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.*

S. Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ. *Loquitur*, inquit, *Dominus ad Petrum ..... Tu es Petrus ..... & tibi dabo claves ..... Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat .... tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram inſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* P. 496. A.

S. Hieronymus Lib. 1. adversùs Jovinianum poſtquam dixit *omnes Apoſtolos claves Regni Celorum accepiſſe, & ex æquo ſuper illos fortitudinem Eccleſiæ ſolidari, propterea tamen unum inter duodecim electum fuiſſe* aſſerit, *ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* P. 180. *To. 4. p. 2. pag.* 168.

S. Ambroſius in Pſalm. 38. *Quod Petro dicitur*, inquit, *cæteris Apoſtolis dicitur*, Tibi dabo claves. *To. 1. p.* 958. C.

S. Auguſtinus idem centies repetit. *To. 4. p.* 156. D.

Enarratione 3. in Pſalm. 30. *cujus*, inquit, (Eccleſiæ) *perſonam gerebat Petrus.* *Ibid. p.* 1215. F.

Enarratione in Pſalm. 108. agnoſcitur Petrus geſtaſſe perſonam Eccleſiæ, *propter primatum quem in Diſcipulis habuit.* *To. 3 p. 2. pag.* 633. E.

Tractatu 50. in Joan. *Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit.* *Ibid. p.* 812. C

Et Tractatu 124. *Cujus Eccleſiæ*, ait, *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus: ſed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claves .... univerſam repræſentabat Eccleſiam.*

Denique S. Leo Serm. 3. in anniverſario die ſuæ ad Pontificatum aſſumptionis, ſententiam noſtram his verbis confirmat cap. 3. *Tranſivit quidem*, inquit, *etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti hujus conſtitutio commeavit: ſed non fruſtra uni commendatur, quòd omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius fertur æquitate judicium. Nec nimia eſt vel ſeveritas, vel remiſſio, ubi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod B. Petrus aut ſolverit, aut ligaverit.* *To. 1. p.* 108.

Secundum argumentum petitur ex c. 21. S. Joan. v. 15. 16. & 17. ubi Chriſtus alloquens S. Petrum, *Simon Joannis*, inquiebat, *diligis me plùs his? Paſce agnos meos. Paſce oves meas.* Quibus verbis primatus S. Petri ſupra cæteros Apoſtolos meritò colligitur, non eo quidem quo contendit Bellarminus, modo, qui per hæc verba ſoli Petro ſupremam Eccleſiaſticam poteſtatem à Chriſto conceſſam eſſe arbitratur, cæteris verò per Petrum, quos ipſe in partem ſollicitudinis vocat, datam gregis paſcendi poteſtatem: ſed hoc *Lib. 1. de Rom. Pontif. c. 14.*

ſenſu, quòd ſoli Petro tanquam primatum gerenti & Eccleſiam repræſentanti, omnium Eccleſiarum cura & ſolicitudo concredita ſit.

Si enim non ſoli Petro, ſed etiam cæteris Apoſtolis ovium cura data eſt, non quidem eadem cum Petro amplitudine ac prærogativa; ſi non ſuprema auctoritate unius, ſed Canone regenda ſit Eccleſia, certè modus quo Bellarminus citata Chriſti verba interpretatur, corruit, ſalva ſemper primatus S. Petri dignitate ac præeminentia. Porrò Canone, non ſuprema unius auctoritate regi debere Eccleſiam, antea oſtendimus. Citatis autem verbis, gregis paſcendi curam cæteris Apoſtolis commiſſam eſſe docent

Tom.2. App.p. 359.C. S. Ambroſius Libro de dignitate ſacerdotali cap. 2. (ſi tamen hujus Libri auctor eſt Ambroſius) *Repetitum eſt*, inquit, *à Domino tertiò: Paſce oves meas. Quas oves, & quem gregem non ſolùm tunc beatus ſuſcepit Apoſtolus Petrus, & cum illo eas nos accepimus omnes.*

To.6.p. 260.C. S. Auguſtinus Lib. de Agone Chriſtiano cap. 30. *Cùm*, inquit, *Petro dicitur, Amas me? Paſce oves meas, ad omnes dicitur.*

To.5.p. 702.D. Sermone 24. de Sanctis nunc 147. *In uno Petro*, ait, *figurabatur unitas omnium Paſtorum.*

To.4.p. 1215.F. In Pſalm. 108. regulam generalem tradit qua intelligi debeant ea quæ ad Petrum propriè pertinere videntur. *Non habent*, inquit, *illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum quem habuit in diſcipulis, ſicuti eſt, Tibi dabo &c. & ſi qua hujuſmodi.* Ac proinde, ſicut Petrus perſonam Eccleſiæ gerebat, quando dictum eſt ei, *Tibi dabo claves &c.* ſic ejuſdem perſonam gerebat, quando dictum eſt, *Paſce oves meas.*

To.3 p. 2. pag. 608.D. E. Et Tractatu 47. in Joan. *Petrus Paſtor erat*, inquit, *& Paulus Paſtor, & cæteri Apoſtoli Paſtores.*

S. Chryſoſtomus hom. 47. in Joan. ait, ſicut Petro, ita & aliis Apoſtolis nomen Paſtoris datum eſſe. Et poſtquam ibidem aſſeruit Chriſtum Petro

P.451. orbis terrarum curam demandaſſe, paulò poſt ſubjicit, Apoſtolos orbis terrarum curam eſſe ſuſcepturos.

Et hom. 79. in cap. 24. S. Matth. hæc verba, *Paſce oves meas*, ad omnes primi & ſecundi ordinis Sacerdotes extendit: *Quod ad Sacerdotes*, inquit, *non*

Ed.Comel. p. 668.C. *ſolùm dictum eſt, verùm etiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minimus grex commiſſus eſſe videtur.* Ex quibus omnibus teſtimoniis patet, ita S. Petro ejuſque ſucceſſori Romano Pontifici eſſe à Chriſto concreditam paſcendi gregis univerſalem auctoritatem, qua ejus dignitas primatus præcipuè conſtat, ut alii Apoſtoli & Epiſcopi à Chriſto ſint etiam Paſtores Eccleſiæ inſtituti. *Poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei.*

Tertium argumentum petitur ex prærogativis quibus præ cæteris Apoſtolis cumulatus eſt S. Petrus. Viginti & octo recenſet Bellarminus Lib. 1. de Romano Pontifice cap. 17. & ſeq. quas apud ipſum expendet qui voluerit. Nos his duabus potiſſimum adhæremus. Prima, Quòd Petrus ab Evangeliſtis, cùm Apoſtolos numerant, non tantùm primò ſemper collocatur or-

Primus, Princeps, Prior. dine, ſed etiam primus dicatur. Sic Matth. 10. v. 2. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus, Simon qui dicitur Petrus.* Et Marci 3. v. 16. Simon Petrus primus commemoratur; & in multis Exemplaribus græcis πρῶτος etiam dicitur, non ſecus ac apud S. Matth. Denique S. Lucas c. 6.

v. 14.

v. 14. electos à Chriſto Apoſtolos recenſens, orditur à S. Petro. Noverant ergo Evangeliſtæ à Chriſto edocti, Petro datum eſſe ſupra alios Apoſtolos primatum.

Cur autem hanc prærogativam ipſi potius quàm cuivis Apoſtolorum Chriſtus conceſſerit, nemo certè poteſt definire; quamquam hujus rei conjecturas nonnulli referant.

Sunt qui ob ætatem hunc primatum datum eſſe S. Petro aſſerunt. Ita S. Hieronymus Lib. 1. contra Jovinianum: *Ætati*, inquit, *delatum eſt, quia Petrus ſenior erat.* Ita & Caſſianus Lib. 3. de Incarnatione, S. Chryſoſtomus hom. 59. in Matth. T. 4. par. 2. p. 168.

Sunt qui delatum dicunt, ex eo quòd primus vocatus fuerit. Licèt enim, inquiunt, Andreas prior acceſſerit ad Chriſtum, videtur tamen Petrus primus ad officium Apoſtolatus electus, cùm dixit ei Chriſtus Lucæ 5. v. 10. *Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens.* Ita S. Epiphanius hæreſi 51. & in Anchorato, S. Cyprianus Libro teſtimoniorum, Hilarius in caput 7. S. Matth. Gregorius Magnus Lib. 2. ſuper Ezechielem hom. 18. S. Chryſoſtomus hom. 9. de pœnitentia.

Sunt denique qui ad publicam quam emiſit divinitatis Chriſti confeſſionem, tanquam ad cauſam, primatus prærogativam referunt. Ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. 26. S. Baſilius Lib. 2. adversùs Eunomium nu. 4. *Qui*, (Petrus) inquit, *quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum recepit.* S. Epiphanius hæreſi 59. Optatus Milevitanus Lib. 1. contra Parmenianum, S. Ambroſius Lib. 10. in Lucam c. 24. *Et ideo*, inquit, *quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* T. 1. p. 240. E. T. 1. p. 1542. D.

Secunda prærogativa ex eo ducitur, tùm quòd primum Eccleſiæ Concilium convocaverit, & Apoſtolis propoſuerit electionem alicujus è diſcipulis in locum Judæ proditoris, Act. 1. Atque hinc ſuperiorem præ aliis Apoſtolis Petri dignitatem colligit S. Chryſoſtomus hom. 3. in Acta Apoſtolorum. *Quàm eſt fervidus?* inquit, *Quàm agnoſcit creditum à Chriſto gregem? Quàm in hoc Choro princeps eſt?* Et poſtea. *Meritò primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus: Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Tùm quia in Concilio Jeroſolymitano, ubi de Legalium obſervantia quæſtio habita eſt, primus omnium ſententiam dixit ſanctus Petrus, & auctor fuit decreti, pro ſumma qua pollebat in Eccleſia auctoritate, cui propterea alii omnes, & ipſemet Jacobus Epiſcopus Jeroſolymitanus, quamquam & ipſi veri Judices, aſſenſi ſunt. *Tacuit omnis multitudo*, ait S. Hieronymus in Epiſt. 89. ad S. Auguſtinum nunc 74. *& in ſententiam ejus Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt.* P. 467. D. T. 470. E. T. 4. par. 2. p. 621.

SECUNDA PROBATIO

Ex conſtanti ſanctorum Patrum Traditione.

Infiniti eſſemus ſi quæ in gratiam primatus S. Petri ſupra alios Apoſtolos paſſim ſcripſere SS. Patres, ea univerſa colligere vellemus. Plurima teſtimonia in unum collegere Coccius in Theſauro, & Bellarminus Lib. 1. de Romano

In Scorpiaco cap. 10. adverſùs Gnoſticos: *Si*, inquit, *adhuc clauſum putas cælum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum, Eccleſiæ reliquiſſe.* P. 496. A.
At non alia ratione per Petrum Eccleſiæ claves relinquere dici poteſt, quàm quia erat Caput ejuſdem Eccleſiæ cujus perſonam repræſentabat.

S. Cyprianus Epiſtola 55. duo dicit: primum, quòd ſuper Petrum ædificata fuerit Eccleſia: ſecundum, quòd pro omnibus Apoſtolis & Eccleſiæ nomine reſponderit. *Petrus*, inquit, *ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ nomine reſpondens.* Pag. 81.

Epiſtola 71. *Nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & ſuper quem edificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de Circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à novellis & poſteris ſibi potius oportere.* Pa. 120. Quibus certè verbis primatum agnoſcit in ſancto Petro ſanctus Cyprianus, quamquam non ad faſtum, dominationem ac ſupremam auctoritatem, quæ nullam aliam agnoſcat regulam, quàm voluntatis propriæ arbitrium.

Libro de unitate Eccleſiæ non longè ab initio: *Super illum unum* (nempe Petrum) ait, *ædificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* P. 180.

Non eſt hic diſſimulandum, poſtrema hæc verba, *primatus Petro datur &c.* in antiquis Manuſcriptis S. Cypriani non reperiri, eaque aliena manu in textum irrepſiſſe obſervat Rigaltius. Citantur nihilominus mille ab hinc annis & amplius à Pelagio II. qui obiit anno 590. in Epiſtola 2. ad Eliam & Epiſcopos Iſtriæ, quæ inter Epiſtolas ipſius refertur ordine 6. Tom. 5. Conc. pag. 946. eaque Pamelius, Aldo cuidam Grammatico nixus, textui inſeruit. Sed quidquid ſit, non poſſumus Rigaltio concedere, nullatenus primatum S. Petri ex citato S. Cypriani textu colligi poſſe. Tria enim obſervanda ſunt in verbis S. Martyris: primum, Dominum ædificaſſe Eccleſiam ſuam ſuper unum Petrum, & ipſi paſcendas oves mandaſſe: ſecundum, unam eſſe à Chriſto inſtitutam Cathedram, ut unitas manifeſtaretur; tertium, etſi parem Apoſtoli habeant honorem & poteſtatem cum Petro, exordium tamen ab unitate proficiſci: quæ tria non obſcurè demonſtrant primum inter Apoſtolos fuiſſe Petrum, unde unitatis centrum repeti debuerit. *Obſervationes in Cyprianum.*

S. Optatus Lib. 2. contra Parmenianum. *Igitur*, inquit, *negare non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus; unde & Cephas appellatus eſt: in qua una Cathedra, unitas ab omnibus ſervaretur; ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret.* Pa. 28.

S. Ambroſius in caput ultimum S. Lucæ: *Quia ſolus*, inquit, *profitetur* (divinitatem Chriſti) *omnibus antefertur.* Et in caput 12. Epiſtolæ 2. ad Corinth. *Primatum*, inquit, *non accepit Andreas, ſed Petrus.* T. 1. p. 1542. D. Tom. 2. App. p. 205. E.

S. Au-

T. 9. p. 96. D.

S. Auguſtinus multis in locis primatum hunc S. Petri aſſerit. Lib. 2. de Baptiſmo cap. 1. *In quo*, inquit, (Petro) *primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet*. Hinc eundem propter primatum, Eccleſiæ perſonam geſſiſſe multis teſtimoniis antea citatis affirmat. Ibidem principatum Apoſtolatus Petri cuilibet Epiſcopatui præferendum eſſe docet, ac comparat Epiſcopatum Petri cum Epiſcoporum poteſtate; & dignitatem Apoſtolatus, ac maximè Principis Apoſtolorum, Epiſcoporum dignitate ſuperiorem affirmat.

T. 5. p. 415. D.

Denique Sermone 13. de verbis Domini nunc 76. dicit *Petrum in Apoſtolorum ordine primum eſſe, Eccleſiæ unicæ typum, & unum reſpondiſſe pro omnibus*. Et addit: *Idem ergo Petrus à petra cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens*.

Ib. p. 416. A. B.

T. 1. p. 107.

Sanctus denique Leo Sermone 3. de aſſumptione ad Pontificatum: *De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus*. Alia ejuſdem S. Doctoris verba paulò antè retulimus; ubi primum ex Scripturis argumentum pro primatu S. Petri expendebamus.

His omnibus addere non pigebit Cenſuram ſacræ Facultatis Pariſienſis latam die 15. Decembris an. 1617. in quatuor priores Libros de Republica Eccleſiaſtica Marci Antonii de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis & apoſtatæ, rem promovente doctiſſimo Yſamberto noſtro tunc Syndico, ac Regio in his Scholis Profeſſore. Quinta Spalatenſis Propoſitio hæc erat: *Diſparitas poteſtatis inter Apoſtolos, humanum eſt inventum, in ſacris Evangeliis & divinis novi Teſtamenti Scripturis minimè ſubſiſtens*. Quam Propoſitionem ſic notat ſacra Facultas: *Hæc Propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, de Juriſdictione Apoſtolica, ordinaria, quæ in ſolo divo Petro ſubſiſtebat intellecta*. Quibus verbis jam tum præformavit ſacra Facultas Cenſuram eorum qui anno 1645. in duobus gallico idiomate conſcriptis Libris docuerunt, parem & æqualem fuiſſe in omnibus ſancti Pauli cum ſancto Petro auctoritatem: quam doctrinam ut erroneam & hæreticam proſcripſit Innocentius X. ann. Domini 1647. die 24. Jan. *Propoſitionem hanc*, ait Decretum, *S. Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt; vel ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi, ac ſupremi duces ſumma inter ſe unitate conjuncti; vel ſunt geminus Eccleſiæ univerſalis vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt; vel ſunt duo Eccleſiæ ſummi Paſtores ac Præſides, qui unicum Caput conſtituunt*, (his enim omnibus modis errorem expreſſerant Libri duo antea citati) *ita explicatam ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum ſine ſubordinatione & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ, ſanctiſſimus Pontifex hæreticam cenſuit & declaravit*.

Propoſitio Spalatēſis. Cenſura S. Facultatis an. 1617.

Innocētius X. damnat propoſitiones quæ æqualem faciunt S. Petro S. Paulum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex Scripturis.

Objicies 1. Ex teſtimoniis Scripturæ inter probationes Concluſionis addu-

adductis, minimè colligi poteſt primatus S.Petri. Non ex cap.16.S.Matth. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram &c.* quia non conſentiunt inter ſe SS. Patres, quid per petram debeat intelligi. Alii enim intelligunt ipſos fideles; ita imprimis Origenes Tract.1.in Matth. Alii omnes Apoſtolos: Alii ipſum Chriſtum, in quo uno angulari lapide fundatur Eccleſia; ita S. Auguſtinus Tract.124.in Joan.& Serm.13. de verbis Domini nunc 76. Quin & Apoſtolus 1. Corinth. 10. v. 5. Chriſtum petram appellat: *Bibebant*, inquit, *de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. Alii denique ipſam confeſſionem fidei quam emiſit S. Petrus; ita S. Hilarius Lib.6. de Trinitate, S.Cyrillus Alexandrinus Libr. 4. de Trinitate, S. Baſilius Lib. 2. in Eunomium, S.Gregorius Nazianzenus Oratione 26.S.Chryſoſtomus Hom.55.in Matth.S. Ambroſius Lib.6. in Lucam, S.Epiphanius hæreſi 59. & alii.

Deinde verò claves quæ Petro promittuntur Matth. 16. *Tibi dabo claves &c.* reipſa toti Eccleſiæ & omnibus ex æquo Apoſtolis data fuiſſe, nos ipſi inter probationes demonſtravimus: qua verò ratione firmum ex illo Scripturæ teſtimonio duci poteſt argumentum pro primatu S.Petri, in cujus expoſitionem tam varii ſunt ac diſcrepantes SS.Patres? Nonne juxta regulam interpretandi Scripturas traditam à Conc. Tridentino ſeſſione quarta, exponendæ illæ ſunt juxta unanimem SS. Patrum interpretationem? Hìc verò non habemus conformem & conſentientem interpretationem.

Neque firmius eſt quod ex iſtis verbis Joan. 21. *Paſce oves meas*, argumentum duximus: ſiquidem nos ipſi veritate ſuperati, hæc verba ad omnes Apoſtolos pertinere aſſeruimus, adductis eam in rem SS.Patrum teſtimoniis.

Reſp. ad primum, diſtinguo. SS.Patres per petram intelligunt vel fideles, vel Chriſtum, vel ipſam fidem S.Petri, ita ut non excludant, imò aut expreſsè admittant, aut ſupponant aliam interpretationem quæ eſt de ſingulari perſona S.Petri, concedo: ita ut hanc interpretationem excludant & rejiciant, nego. Itaque fatemur varias eſſe SS.Patrum de illa petra ſuper quam fundata eſt Eccleſia, expoſitiones; ſed illæ minimè pugnant invicem, nec ſeſe excludunt: imò potius illi ipſi SS.Patres ut plurimùm eas referunt & probant, ſicut oſtendimus ex SS. Hilario Can. 16. in Matth. Chryſoſtomo Hom.2.in Pſal.50.Cyrillo Alexandrino Libr.2.in Joan.cap.12.Aug.Lib.1. Retract.cap.21.ubi ex profeſſo *petram* & de Chriſto & de ſancto Petro interpretatur. Stat igitur immota regula Concilii Trid. circa interpretationem Scripturarum: quæ enim hìc referuntur circa *petram* interpretationes, variæ quidem ſunt ac diverſæ, ſed non contrariæ.

Huic verò multiplici expoſitioni locum dedit multiplex, quod poteſt diſtingui, Eccleſiæ fundamentum. Aliud enim eſt primarium & eſſentiale, qualis eſt Chriſtus; aliud ſecundarium & miniſteriale, qualis fuit S.Petrus; aliud veluti materiale, & ſunt ipſi fideles; aliud quaſi formale, & eſt ipſamet fides.

Igitur SS.Patres pro nata controverſia, ac ſubjecto de quo tractabant argumento per petram quæ fundamentum eſt Eccleſiæ, modò Chriſtum, modò Petrum, modò fideles, modò ipſam fidem Petri intelligunt.

Chriſtum Eccleſiæ fundamentum appellant, & quidem primarium, eſſentiale, principale, de quo S.Paulus 1.Cor.3.v.11.ait: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Et appo-

ſitè

ſitè ad ſuum inſtitutum S. Auguſtinus Serm. 13. nunc 76. de verbis Domini verba hæc, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad Chriſtum refert; quòd nempe ageret contra Donatiſtas, qui vim & efficaciam Sacramentorum ex ſanctitate Miniſtri repetebant. Unde timens, ne ſi Eccleſiam in Petro fundatam dixiſſet, Donatiſtæ erroris ſui confirmationem duxiſſent, maluit fundamentum illud in petra, hoc eſt, Chriſto, collocare. Hac ratione ductum fuiſſe ut hanc explicationem amplecteretur, ſuadent hæc ipſius verba eodem in loco: *Volentes*, inquit, *homines ædificari ſuper homines, di-*
T. 5. p. 415. G. *cebant, Ego quidem ſum Pauli, Ego autem Apollo, Ego verò Cephæ, ipſe eſt Petrus. Et alii qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram, Ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus, ubi cognovit ſe eligi, & Chriſtum contemni: Diviſus eſt, inquit, Chriſtus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptiſati eſtis? &c.* Hunc igitur errorem ut refelleret ſanctus Doctor, per petram, in qua fundata eſt Eccleſia, Chriſtum intelligit qui eſt fundamentum, ut diximus, principale & eſſentiale. An verò excludit S. Petrum,
Ibid. p. 416. B. tanquam fundamentum ſecundarium & miniſteriale? neutiquam. In hoc ipſo enim Sermone 13. ait *ſanctum Petrum Apoſtolatus principatum tenere, & Eccleſiæ figuram portare.*

Pariter cùm Origenes per *petram* fideles intelligit, non ad litteram textum ſacrum exponit, ſed allegoricè: neque enim fideles dici poſſunt Eccleſiæ fundamentum, niſi impropriè, & materialiter; quia ex fidelibus conflatur Eccleſia.

Cùm etiam fides Petri fundamentum dicitur Eccleſiæ, diſtinguendum eſt: fides Petri fundamentum eſt Eccleſiæ, formaliter & meritoriè, concedo; quia fides eſt veluti forma Eccleſiæ, & ipſa confeſſio fidei, quam emiſit S. Petrus, fuit, ut jam diximus, cauſa meritoria primatus quem obtinuit. Fide Petri abſolutè in ſe ſpectata, ſine ordine & relatione ad perſonam ipſius Petri, & per excluſionem ipſius, fuit Eccleſiæ fundamentum, nego.

Reſp. ad ſecundum: Omnibus Apoſtolis claves Regni Cœlorum datæ ſunt, & ad omnes pertinent iſta Chriſti verba, *Paſces oves meas*: diſtinguo: ſalva ſemper prærogativa primatus S. Petri, concedo: ea excluſa, nego. Elucet verò illa prærogativa in citatis verbis, quia ſancto Petro tanquam figuram Eccleſiæ gerenti, ac primum inter cæteros Paſtores locum occupanti, claves Regni Cœlorum, & regendas oves Chriſtus commiſit. Ad quid enim inter cæteros electus à Chriſto Petrus, ut in ejus perſona toti Eccleſiæ claves Regni Cœlorum daret, niſi quia primatum in tota Eccleſia Chriſto concedente gerebat? Conſtant hæc ex citatis antea S. Auguſtini teſtimoniis.

Inſtabis 1. Omnes Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta dicuntur Pſalm. 86. v. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.* Hoc eſt, interprete S. Auguſtino, in Apoſtolis & Prophetis. Unde ad Epheſ. 2. v. 20. dicitur: *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Ex eo igitur quòd S. Petrus ſit & dicatur fundamentum miniſteriale & ſecundarium Eccleſiæ, non poteſt dignitas & prærogativa primatus inferri.

Reſp. benè dignitatem hanc & prærogativam inferri, quia, ut jam ſæpius dictum eſt, ad ſingularem Petri perſonam referuntur iſta Chriſti verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: atque inter cæteros electus à Chriſto fuit, ut Eccleſiam referret, cùm accepit clavium

pote-

Digitized by Google

poteſtatem. Sint ergo & dicantur cæteri Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta, ſemper ſalva & integra vindicari debet ſancto Petro dignitas & prærogativa primatus. Habuerunt enim, ait Bellarm. Lib. 1. de R. Pontifice cap. 11. *omnes plenitudinem poteſtatis, ita tamen ut Petrus eſſet Caput eorum, & ab illo penderent.* T. 1. p. 210 col. 1. B. Omnes igitur Apoſtoli in ratione Apoſtolatus pares fuere, *pari honoris & poteſtatis conſortio præditi*, ait S. Cyprianus: omnes ubique Eccleſias fundare, verbum Dei annuntiare, Sacramenta diſpenſare poterant; & hoc ſenſu fundamenta Eccleſiæ dicuntur: at ſubordinatio erat inter ipſos, ac Petrum tanquam ſuum Caput à Chriſto poſitum habebant. *Inter duodecim*, ait S. Hieronymus Lib. 1. adversùs Jovinianum, *unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.*

Inſtabis 2. Chriſtus ſemper rejecit & improbavit primatum, de quo diſcipuli inter ſe aliquando ambitioſiùs contendebant. Lucæ 9. v. 48. *Qui minor eſt inter vos omnes*, inquit, *hic major eſt.* Marci 9. v. 34. *Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.* Et cap. 10. filiis Zebedæi primas ſedes ex ambitione poſtulantibus, ſic reponit Chriſtus v. 43. Tom. 4. part. 2. p. 168. *Quicunque voluerit fieri major, erit veſter miniſter; & quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus.*

Reſp. citatis verbis Chriſtum à ſuis rejicere primatum qui ſit cum ambitione, faſtu, ſupremo & abſoluto imperio conjunctus, qui magis ſit ad terrorem, quàm ædificationem; uno verbo, eum primatum à ſuis rejicit, qui à Gentibus exercebatur, & quem diſcipuli ab affectu rerum terrenarum nondum planè liberi, necdum Spiritu ſancto repleti, ambibant; quibus meritò Chriſtus Marci 10. v. 42. dicit: *Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt autem in vobis; ſed quicunque voluerit fieri major, erit veſter miniſter.* Talem primatum nec habuit nec exercuit unquam S. Petrus, qui communi conſilio, non ſuprema voluntate, exortas de Religione controverſias in Synodo Jeroſolymitana definivit; qui charitate magis, quàm dominio; humilitate meliùs, quàm auctoritate cæteros Apoſtolos ſuperavit: unde patienter ſe à ſancto Paulo corrigi, pro ea qua erat Chriſtiana modeſtia, toleravit; cui nec ſuum primatum arroganter objecit, nec imperii dominatum, quem à Miniſtris Evangelii prorſus alienum eſſe debere docet Epiſtolæ ſuæ 1. cap. 5. v. 2. *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.*

Objicies 2. Scriptura videtur innuere S. Paulum S. Petro æqualem in omnibus, etiam in primatu fuiſſe.

Namque I. ipſe Paulus ad Galat. 2. declarat ſibi à Chriſto commiſſum Evangelium præputii, ſicut Petro Evangelium Circumciſionis. *Creditum eſt mihi*, inquit v. 7. *Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis: Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Diviſa igitur quodammodo fuit juriſdictio inter Petrum & Paulum; & huic Gentium, illi autem Judæorum cura fuit à Chriſto demandata.

II. In 2. ad Corinth. Epiſtola c. 11. v. 28. fatetur idem Apoſtolus ſibi omnium Eccleſiarum ſollicitudinem ſeu curam eſſe concreditam. *Præter illa*, inquit, *quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.*

III.

III. Ejuſdem Epiſtolæ c. 12. v. 11. ait: *Ego à vobis debui commendari: nihil enim minùs fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*. Seipſum ergo æqualem Petro & cæteris Apoſtolis fatetur Paulus.

Denique ad Galat. 2. v. 11. in faciem Petro reſtitit, quia erat reprehenſibilis. *Cùm autem*, inquit, *veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia erat reprehenſibilis*. At id ſuperioritatem quamdam, nedum æqualitatem arguit.

Reſp. negoant. Unus enim dumtaxat primus eſſe poteſt: & ſi primus fuit ſanctus Petrus inter Apoſtolos, ut revera fuit, ſolus fuit primus.

Ad primum igitur, dico hoc unum poſſe colligi, Paulum in Apoſtolatu Petro æqualem fuiſſe, quia Evangelii annuntiandi & Eccleſias fundandi poteſtatem à Chriſto acceperat, quemadmodum & Petrus: & ſicut iſte ad Judæos, ſic ille ad Gentes miſſus fuit, non diviſione juriſdictionis, ſed ſortis. Hoc eſt, licèt Petro & Paulo cæteriſque Apoſtolis data ſit poteſtas prædicandi Evangelium per orbem univerſum, cùm tamen eorum quilibet orbem univerſum peragrare non poſſet, ſorte varias mundi plagas percurrendas & ad Chriſtum convertendas ſibi delegerunt, Petro Judæorum, Paulo Gentium converſio commiſſa fuit: non ita tamen ut Petrus Gentibus, & Paulus Judæis Evangelium non poſſent annuntiare; omnium enim & Judæorum & Gentium uterque erat Apoſtolus, ſaltem jure, ſi non ſorte. Et certè Act. 15. S. Petrus fatetur ſe electum ut Gentibus prædicaret. *Vos ſcitis*, inquit, *quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum Gentes audire verbum Evangelii, & credere*. Et Angelus monuit Cornelium Centurionem ut accerſeret Simonem, à quo doctrinam fidei ac Baptiſmum perciperet; lege caput integrum decimum Actuum Apoſtolorum. Pariter ipſe S. Paulus ad Gentes miſſus, frequentiſſimè in Synagogis Judæorum evangeliſabat, ut patet ex capitibus 13. 14. 17. & 18. Actuum Apoſtolorum. Et cap. 13. v. 46. Judæis dicebat: *Vobis primùm oportebat loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad Gentes*.

Ad ſecundum: Rectè ait S. Paulus incumbere ſibi ſolicitudinem omnium Eccleſiarum, quia omnes Apoſtoli ampliſſimam acceperant à Chriſto Eccleſiæ ubique regendæ auctoritatem: cum hoc tamen duplici diſcrimine. 1. Quòd auctoritas Petri Apoſtolica in ejus ſucceſſores eſſet tranſmittenda, non autem aliorum Apoſtolorum: unde qui proximè Jacobum ſequutus eſt in Epiſcopatu Jeroſolymitano, paris non fuit cum ipſo auctoritatis in totum orbem Chriſtianum, ſed auctoritatem habuit ad privatæ tantùm Diœceſeos fines contractam; è contra verò Linus qui Petro ſucceſſit, univerſalis ejus auctoritatis fuit hæres, quæ in cæteros ſubinde Romanos Pontifices dimanavit. 2. Quia ita plenitudinem poteſtatis à Chriſto habuerunt omnes Apoſtoli, ut Petrus eorum Caput eſſet ac rector, ad unitatem ſcilicet Eccleſiæ conſervandam.

Aliud diſcrimen aſſignat Bellarminus Lib. 1. de R. Pontifice cap. 11. & 12. nempe, Apoſtolicam ſeu univerſalem auctoritatem in orbem Chriſtianum Petro ordinariam fuiſſe, cæteris verò Apoſtolis extraordinariam & delegatam: quaſi nempe ſolus Petrus à Chriſto acceperit clavium poteſtatem, quam ipſe cæteris communicaret; cui profectò doctrinæ ſubſcribere non poſſumus: perſuaſum quippe nobis eſt, Epiſcopos divinitus

inſtitu-

inſtitutos ſuam à Chriſto immediatè poteſtatem & Juriſdictionem habere.

Ad tertium: Quia Pſeudo-apoſtoli negabant æqualem eſſe Paulum cæteris Apoſtolis qui cum Chriſto fuerant in carne converſati, atque hinc Miniſterii ejus dignitatem elevare conabantur, neceſſe fuit ut Apoſtolus ſeipſum commendaret: licèt autem plùs omnibus laboraſſet, ſibi tamen ſatis eſſe exiſtimat, ſi ſe aliis inferiorem non fuiſſe oſtendat. Non fuit ergo inferior ipſo Petro, quantùm ad labores Apoſtolicos, zelum, dona, miracula, ipſum munus Apoſtolicum; de ipſo verò primatu non loquitur.

Ad ultimum: Paulus reprehendit Petrum, ex charitate, ſtudio veritatis, & zelo Religionis, non ex ſuperioritate, aut imperio: unde ſequitur 1. maximum fuiſſe humilitatis ac modeſtiæ Chriſtianæ ſenſum in Apoſtolorum omnium Principe, qui ab inferiori ſe corrigi paſſus eſt: *Qui*, ait S. Cyprianus Epiſt. 71. ad Quintum, *non vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arrogonter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere; & obtemperari à novellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum &c.* 2. dignitatem primatus nullum dominationis & ſuperbiæ faſtum in Petro habuiſſe. 3. Apoſtolorum Principem, etſi Caput & Paſtorem Eccleſiæ, culpæ & correctioni obnoxium fuiſſe. 4. ſanctæ cujuſdam libertatis charitate poſſe ab inferiori ſuperiorem aliquando redargui. Ita S. Auguſtinus Epiſtola 82. aliàs 19. ad Hieron. n. 22. *Ipſe verò Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna charitate reſiſtere. Nam cùm ſatius ſit, à tenendo itinere in nullo, quàm in aliquo declinare; multò eſt tamen mirabilius & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quàm audactèr corrigere deviantem. Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro.* P. 120. T. 2. p. 198. F.

Objicies 3. Nonnulla de ſancto Petro in Scripturis referuntur, quæ non videntur ſatis cohærere cum ejus primatu.

Namque 1. Act. 8. v. 14. jubetur ire in Samariam, & ab Apoſtolis mittitur: at mittere & imperare Superioris eſt.

2. Cùm accuſatur quòd ad Gentes ingreſſus ſit, etiamſi id immeritò fiat, tamen reſpondet & rationem reddit: ſed qui tenetur rationem reddere, ſubjectus eſt, nec ſupremam habet auctoritatem.

3. Cùm ad Paſtores ſcribit Epiſtola ſua prima, non mandat ex imperio quaſi Superior, ſed tanquam Collegas & Coepiſcopos ſibi æquales alloquitur.

Reſp. nego ant. Ad primam probationem, dico miſſum fuiſſe Petrum à toto Apoſtolorum Collegio, cujus licèt eſſet Caput, membrum tamen ejuſdem erat, ſicut obſervat Stapletonus Controverſia 3. q. 1. art. 3. ad 2. atque adeo totum Collegium Apoſtolorum ſuperius erat Petro. Erat quidem ſingulis Apoſtolis ſuperior Petrus, ut & Pontifex Romanus ejus ſucceſſor ſuperior eſt ſingulis Epiſcopis; at non omnibus ſimul & collectivè ſumptis. Miſſionem ergo accepit Petrus ab aliis omnibus Apoſtolis, ut habet S. Lucas Act. 8. v. 14. *Cùm audiſſent*, inquit, *Apoſtoli qui erant Jeroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſere ad eos Petrum & Joannem.*

Ad ſecundam: Eſt officium boni Paſtoris, ſicut ipſe docet Petrus Epiſtolæ 1. cap. 3. v. 15. *paratum ſemper eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in ipſo eſt ſpe & fide, cum modeſtia*. Hinc Petri modeſtiam in hoc facto egregie notavit S. Greg. Magnus Regiſt. Epiſtol. Lib. 11. Indict. 4. Ep. 45. alias Lib. 9. Ep. 39. & addit, quòd *ſi in querela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret, profectò doctor manſuetudinis non fuiſſet*.

T. 2. p. 1130. A.

Ad tertiam: Jam obſervavimus primatum S. Petri aut ſucceſſorum ejus à nobis non defendi, quaſi principatum quemdam & dominium pompaticum ſupra Eccleſiam, ſicut nobis odioſè apponit Calvinus, qualem profectò Chriſtus diſertè prohibuit: at iſte primatus, quia poteſtas eſt tantùm miniſterialis, non abſoluta, idcirco juxta leges Scripturæ, & Canones præfixos exercenda eſt, non ad nutum & ex arbitrio; in ædificationem, non in deſtructionem. Hinc & qui hanc habent Capitis dignitatem, cæteros Epiſcopos ut fratres & collegas ſuos in ejuſdem Eccleſiæ ſollicitudinem à communi Domino Chriſto vocatos habere debent: Hinc, & nihil frequentius apud Antiquos, ut notat jam laudatus Stapletonus, quàm ut Romanum Pontificem, fratrem & collegam & ſocium appellent, ratione ſcilicet communis Epiſcopatus, cujus in ſolidum pars à ſingulis tenetur, ut ait ſanctus Cyprianus.

Objicies 4. Jacobus major videtur fuiſſe ipſo Petro: tùm quia fuit Epiſcopus Jeroſolymitanus, & Chriſto hoc in Epiſcopatu ſucceſſit; tùm quia Jeroſolyma eſt mater omnium Eccleſiarum: nam Iſaiæ 2. v. 3. dicitur: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*. Tum quia Clemens Romanus, apud Euſebium Lib. 2. Hiſt. cap. 1. ait: *poſt Servatoris aſcenſum, Petrum, Jacobum & Joanem, quamvis ab ipſo fuerint omnibus prælati, non tamen primatus gloriam ſibi vindicaſſe, ſed Jacobum cognomine Juſtum Apoſtolorum Epiſcoporum elegiſſe*.

Reſp. nego ant. Ad primam probationem reſp. Chriſtum non fuiſſe Epiſcopum ullius particularis urbis, ſed fuiſſe & eſſe etiamnum Pontificem totius Eccleſiæ; neque ullum in Pontificatu ſeu Epiſcopatu animarum noſtrarum habuiſſe ſucceſſorem, cùm ſemper vivat, & interpellet pro nobis. Sunt igitur Epiſcopi Chriſti in terris Vicarii, non ſucceſſores.

Ad ſecundam reſpondeo, Jeroſolymorum Eccleſiam eſſe matrem omnium Eccleſiarum antiquitate & multis privilegiis inſignem, ob Domini ejuſque Apoſtolorum præſentiam, & præcipuè ob myſteria noſtræ Redemptionis apud eam conſummata; ſed nunquam fuiſſe matrem cæterarum Eccleſiarum juriſdictione: quod patet ex Conc. Nicæno I. generali, in quo datus eſt Epiſcopo Jeroſolymitano quartus inter Patriarchas locus, ſolummodo quantùm ad honorariam ſeſſionem, nullus autem quantùm ad veram juriſdictionem, cùm ſubjectus manſerit Epiſcopo Cæſarienſi totius Paleſtinæ Metropolitano.

Ad teſtimonium Clementis apud Euſebium, dico huncce Euſebii textum procul dubio mendoſum eſſe: nam etiamſi in Baſileenſi Codice verba mox laudata legantur, in Codice tamen Colonienſi non extat vox *primatus*; nec legitur, *Apoſtolorum*, ſed, *Jeroſolymorum*: ſicut etiam in quibuſdam optimæ notæ Codicibus Euſebianis, quos Valeſius vidit & contulit. Hiſce Codicibus conſonat Nicephorus, qui Lib. 2. cap. 3. eundem Euſebii

locum

locum ſic refert: *Petrus & Jacobus & Joannes, quos Dominus precipuo dignatus fuerat honore, poſt Aſcenſionem ejus, gloriam non affectarunt, ſed Jacobum juſtum Epiſcopum Jeroſolymorum elegerunt.* Qui certè textus ſic purgatus noſtræ Concluſioni minimè nocet. *Edit. Front. T. 1. p. 133. C.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex SS. Patribus.

Objicies 1. S. Cyprianum Lib. de Unitate Ecclesię, ubi ſic loquitur: *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur.* Ergo cenſuit ſanctus Doctor omnes Apoſtolos inter ſe æquales fuiſſe. *P. 180.*

Reſp. diſtinguo conſeq. Cenſuit omnes Apoſtolos inter ſe æquales fuiſſe, in auctoritate Apoſtolica, concedo: in primatu, nego. Pares fuere omnes Apoſtoli in auctoritate Apoſtolica, quia omnes à Chriſto vocati & miſſi ſunt; omnes ex æquo munus Apoſtolicum acceperunt; omnes amplitudinem poteſtatis Apoſtolicæ habuerunt, per quam ubique Chriſtum annuntiare, Eccleſias fundare, Sacramenta miniſtrare, Spiritum ſanctum dare, & alia omnia exercere poterant quæ ad publicum Eccleſiæ regimen neceſſaria erant. Verùm non omnes primatu æquales fuere; imò hoc in terminis implicat: inter multos enim ſi quis primus eſt, unus ille eſt primus. Agnoviſſe autem S. Cyprianum in Petro primatus dignitatem ac prærogativam, demonſtrant ejus verba inter probationes laudata. Imò & in hoc ipſo loco unde petitur objectio, primatum illum agnoſcit, cùm ait, *exordium ab unitate proficiſci.* Unitas autem illa ab uno Capite repetitur. Dixerat in eodem Lib. 2. de Unitate, hæc verba Chriſti, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; Paſce oves meas,* ad Petrum nominatim referri. Dixerat *ſuper unum Petrum eſſe ædificatam Eccleſiam.* Dixerat *unam Cathedram eſſe conſtitutam, & originem unitatis ab uno deſcendere.* Quæ omnia profectò demonſtrant, S. Petrum primum fuiſſe inter Apoſtolos, licèt æquales illi inter ſe fuerint quoad poteſtatem Apoſtolicam, quod unum voluit ſanctus Doctor, cùm dixit eos pari conſortio præditos fuiſſe honoris & poteſtatis. *Ibid.* *Ibid.* *Ibid.*

Reſponſionem hanc luculenter exponit Cardinalis Perronius cap. 56. Reſponſionis ad Regem Angliæ, ubi duplicem diſtinguit Apoſtolatus poteſtatem, aliam intrinſecam & eſſentialem, alteram verò extrinſecam & accidentalem. Pares fuiſſe ait omnes Apoſtolos cum Petro in auctoritate interna & eſſentiali, hoc eſt, in auctoritate quantùm ad amplitudinem rerum gerendarum, non autem in poteſtate extrinſeca & accidentaria, hoc eſt, in modo & ordine auctoritatis illius ad actum redigendæ. *P. 522. & ſeq.*

Duo ſcilicet, inquit Perronius, neceſſaria erant ut aliquis dignè fungeretur officio Apoſtolico: primum, ut exerceretur cum poteſtate à Chriſto conceſſa; ſecundum, ut nonniſi ſervata Eccleſiæ unitate idem exerceretur. Defectu auctoritatis, qui Apoſtolicum munus uſurpabat, verus non erat Apoſtolus, ſeu Pſeudo-apoſtolus: defectu unitatis, nemo Catholicus, etſi Apoſtolus, ſed planè ſchiſmaticus. *P. 534.*

Hanc autem unitatem in Eccleſia ſervandam cùm decreviſſet Chriſtus,

principium ejus & radicem in Petro conſtituit: cùm verò ad ſtabiliendum hoc unitatis Eccleſiaſticæ Caput eximia quadam auctoritate opus eſſet, quæ valeret ſchiſmata compeſcere, aut avertere ab Eccleſia; præter auctoritatem Apoſtolatui eſſentialem, facta eſt perſonæ Petri, quem huic muneri obeundo deſtinavit Chriſtus, ſingularis dignitatis & poteſtatis acceſſio, ut nimirum omnes fideles, atque ipſos Apoſtolos in officio ſuo contineret, ac prohiberet ne quis Eccleſiæ ſcinderet unitatem: non quidem quaſi hac diſciplina egerent Apoſtoli, quibus ſingulis ſpeciatim in orbis Chriſtiani adminiſtratione Deus adfuturus erat, ſed ut Eccleſiæ formam aliquam proponeret, qua res eſſent poſt mortem ſuam componendæ. Quemadmodum etiamſi primis illis temporibus Eccleſia Conciliis non indigeret ad dubia Religionis ſolvenda, cùm Apoſtoli ſeorſim ea potuiſſent, pro divino afflatu quo ducebantur, infallibiliter dirimere; voluit tamen Deus Apoſtolos in unum Concilium congregari pro dirimenda de Legalium uſu controverſia, ut poſteris Conciliorum pari in occaſione habendorum ratio commendaretur. Ita Perronius.

Inſtabis: Ex ſancto Cypriano Lib. de Unitate Eccleſiæ, *Epiſcopatus unus* p. 180. *eſt, cujus pars à ſingulis in ſolidum tenetur*: atqui ubi unus eſt Epiſcopatus, nullus certè poteſt inter Epiſcopos prior & major eſſe.

Reſp. diſtinguo min. Quoad ea quæ Epiſcopatui ſunt eſſentialia & intrinſeca nullus major eſt ac ſuperior, concedo: quoad ea quæ Epiſcopatui ſunt accidentalia, nego. Sic v.g. natura humana una eſt, & tenetur in ſolidum à ſingulis hominibus: uno enim homine ſuperſtite, eſſet in eo natura humana; ex quo fit ut omnes homines pares ſint quantùm ad ea quæ ſunt naturæ humanæ eſſentialia, non verò quantùm ad accidentalia. Similiter in Epiſcopatu, quæ ipſi eſſentialia ſunt, ad omnes & ſingulos Epiſcopos pertinent: quæ verò accidentalia, ut primatus auctoritas, ad unum præ cæteris pertinent; ad eum nempe quem Dominus elegit.

Sed, inquies, cur dicitur à ſancto Cypriano, *Epiſcopatus unus?*

Reſp. in mente ſancti Cypriani Epiſcopatum dici unum, quia unitas Eccleſiaſtica à ſancto Petro ejuſque ſucceſſoribus derivatur; quomodo radii à Sole, rami ab arbore, rivi à fonte (quibus ſimilitudinibus ibid. utitur ſanctus Doctor.) Ita unum Epiſcopatum eſſe, ut unitatis illius origo, radix & centrum ſit ſanctus Petrus, quamvis aliorum etiam Epiſcoporum à Deo immediatè accepta ſit auctoritas. Dici etiam poteſt unum eſſe Epiſcopatum origine, intrinſeca & eſſentiali poteſtate; ſeu, ut loquuntur Theologi Pariſienſes, in Cenſura contra Joan. Saraſin an. 1429. *quantùm ad inſtitutionem primariam à Chriſto*: à Papa verò & ab Eccleſia plures ſunt Epiſcopatus, *quantùm ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem*.

Objicies 2. tria ex ſancto Ambroſio teſtimonia.

Primum ex Lib. 2. de Spiritu ſancto cap. ultimo, ubi ſic loquitur: *Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens architectus* T. 2. p. 664. E. *ſciens veſtigia credentium fundare populorum: Nec Paulus, inquam, indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus. Nam qui ſe imparem neſcit, facit equalem.*

Ibid. p. 710. E. Secundum ex Lib. de Incarnatione cap. 4. *Hic* (ſanctus Petrus) *ubi audivit, Vos autem quid me dicitis? ſtatim loci non immemor ſui, primatum egit:*

egit: primatum confeſſionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis.

Tertium ex Serm. 12. qui eſt tertius de natali SS. Petri & Pauli. *Ergo*, inquit, *beati Petrus & Paulus eminent inter univerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verùm inter illos quis cui præponatur, incertum eſt. Puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione.* *Ed. Ro. To. 5. p. 142. E.*

Reſp. ad primum, diſtinguo: Paulus non eſt inferior Petro in auctoritate Apoſtolatus interna & eſſentiali, concedo; tam enim erat verè Apoſtolus à Deo conſtitutus, quàm ipſe Petrus. In auctoritate extrinſeca & accidentali, ut mox expoſuimus, nego. Porrò non alia eſt mens ſancti Ambroſii, quàm ut oſtendat Paulum Petro æqualem fuiſſe in auctoritate Epiſcopatus eſſentiali & interna. Mens ipſi eſt probare Spiritum ſanctum Deum eſſe: inter multa autem argumenta quibus utitur, iſtud eſt, nempè Apoſtolos, quos Spiritus ſanctus inſtituerat, ejuſdem fore auctoritatis, cum iis quos elegit & inſtituit Chriſtus; utpotè qui poteſtatem remittendorum peccatorum, gratiam miraculorum, dona linguarum, & alia ejuſmodi privilegia æquè haberent ac cæteri. Ut autem id oſtendat, adducit exemplum ſancti Pauli, quem probat à Spiritu ſancto inſtitutum fuiſſe, ex illis verbis, *Segregate mihi Paulum & Barnabam*: poſteà verò Paulum comparat cum Petro, quo inferiorem non fuiſſe affirmat in una ſcilicet auctoritate Apoſtolica ſecundùm ſe conſiderata: quod quidem ſancto Doctori ſatis erat, ut divinitatem Spiritus ſancti comprobaret.

Ad ſecundum: Fatemur exiſtimaſſe Ambroſium, ſanctum Petrum, cùm Chriſto interroganti reſpondit, tunc non geſſiſſe primatum ordinis, ſed confeſſionis tantùm, quia nempè nondum illum ordinis primatum acceperat, quem poſt confeſſionem, quam emiſit, accepit per hæc verba Chriſti, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Unde ſubjungit ibid. ſanctus Ambroſius: *Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondet pro cæteris Apoſtolis, imò præ cæteris; & ideo fundamentum dicitur.* *To. 2. p. 711. A.*

Ad tertium: Cùm ſanctus Ambroſius ait, incertum eſſe quis ex Petro & Paulo ſit præferendus, non loquitur de præeminentia & ſuperioritate primatus, ſed de merito bonorum operum, zelo & ſtudio propagandæ fidei, curis ac laboribus, qui in prædicatione verbi Dei ſuſtinendi erant &c. quibus in rebus non audet ſanctus Doctor pronuntiare, quis ex duobus ſit præferendus, quos *putat æquales fuiſſe meritis, qui æquales fuerunt paſſione.*

Objicies 3. SS. Patres docent æqualem planè in omnibus fuiſſe Petro Paulum. *P. 175. B. 2.*

Sanctus Irenæus Lib. 3. adversùs hæreſes cap. 3. ait expreſſis verbis, *Eccleſiam Romanam à SS. Apoſtolis Petro & Paulo inſtitutam & fundatam fuiſſe.*

Sanctus Epiphanius hæreſi 27. n. 6. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter & Epiſcopi fuerunt*. Sed qui pares ſunt in Epiſcopatu Romano, pares etiam ſunt in primatu: alioqui ſequeretur aliquem fuiſſe Epiſcopum Romanum qui primatu caruerit. *To. 1. p. 107. A.*

Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 6. Petrum & Paulum eodem nomine *Præfectos Eccleſiæ* nuncupat. *P. 54. A*

Sanctus Chryſoſtomus Hom. 32. in Epiſtolam ad Roman. non tantùm *oculos Romæ, ſed & ſanctorum coryphæos* illos indiſtinctim appellat. *Ed. Co. p. 327. & 326.*

Sanctus Leo Serm. de Natali Apoſtolorum c. 1. Petrum & Paulum vocat *Romanæ Urbis patres & paſtores.* *To. 1. p. 336.*

To.2.p. 205.B. Sanctus Gregorius Magnus Lib. 1. Dialogorum c. 12. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico frater eſt.*

Tom.2. App.p. 216. F. Ambroſiaſter in caput 2. Epiſtolæ ad Galatas, dicit *primatus gratiam Paulo conceſſam fuiſſe, ſicut & Petro.*

Bibl.PP. To.6.p. 36. E. Sanctus Maximus Taurinenſis Hom. 5. in feſto Apoſtolorum, eos appellat *Principes Eccleſiarum & fidei doctrinæ.*

Beatus Petrus Damiani Opuſculo 35. cap. 4. poſtquam dicit ſanctum Petrum nullam ſpecialiter Cathedram occupaſſe, ſed omnibus præfuiſſe, quia toto terrarum orbe univerſalem Eccleſiam fundavit, idem poſteà dicit de Ed.Lugd.1623. Pa.652. col.2.B. ſancto Paulo: *Hæc igitur eſt cauſa*, inquit, *cur Paulus nullam ſpecialiter Cathedram teneat, quia ſi audemus ſummis minora conferre, ad inſtar Chriſti, ſalvo cæterorum Apoſtolorum jure, videtur omnibus Eccleſiis præſidere.*

Idem conſtat ex ipſis Summis Pontificibus qui ſe dicunt ſucceſſores Petri & Pauli: unde & Paulus III. in Decreto convocationis Conc. Tridentini ſic loquitur: *Auctoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur.* Idem habet Pius IV. in Diplomate quo ipſe Synodum à Paulo inchoatam, & à Julio III. prorogatam, tandem abſolvendam cenſuit.

Idem probat conſuetudo exprimendi in Diplomatibus Pontificiis effigies SS. Petri & Pauli, atque interdum dextera Paulo, interdum verò Petro datur; unde utriuſque perfecta æqualitas poteſt inferri.

Idem denique probat Officium Eccleſiæ Latinæ, quæ in ſuis precibus ambos ex æquo vocat *Principes terræ glorioſos, per quos Eccleſia Religionis ſumpſit exordium*, & *Judices ſæculi*. Et in Sacramentario S. Gregorii dicitur: *Deus qui ligandi ſolvendique licentiam tuis Apoſtolis contuliſti*: quæ verba ad SS. Petrum & Paulum pertinent.

Reſpondet Bellarminus Lib. 1. de Romano Pontifice cap. 27. quòd etſi conſtaret Paulum omnibus titulis & nominibus Petro æquandum vel etiam anteponendum eſſe, nihil tamen propterea imminueretur Petri primatus, vel Romanorum Pontificum auctoritati derogaretur. Non primum: Quia quantacunque tandem eſſet Pauli auctoritas, ea dumtaxat extraordinaria foret: unde ſicut in populo Iſraelitico major erat Moyſes Aarone, & tamen verè ac propriè Pontifex fuit Aaron; & non Moſis, ſed Aaronis poſteri in Summa Dignitate ſucceſſerunt, quia poteſtas Moſis extraordinaria erat, Aaronis verò ordinaria, & ideo in poſteros ſuos traducenda; ita quoque etiamſi admitteremus extraordinario privilegio Paulum Petro majorem fuiſſe, non propterea negandum foret Petrum ordinarium ac ſummum Eccleſiæ Paſtorem fuiſſe. Non ſecundum: Quia Romani Pontifices tam Petrum quàm Paulum prædeceſſorem & parentem agnoſcunt: uterque enim Romanam fundavit Eccleſiam & gubernavit.

Verùm ea miſſa hypotheſi,

Reſpondeo, ex citatis SS. Patrum teſtimoniis iſtud ſolummodo inferri poſſe, S. Paulum in auctoritate Apoſtolica æqualem fuiſſe ſancto Petro, uno dumtaxat excepto primatu, ſicut anteà expoſuimus. Sed ad ſingula teſtimonia paucis reſpondendum eſt.

Ad S. Irenæum: duo hæc valdè diverſa ſunt ac diſtinguenda, ſanctum Paulum unà cum ſancto Petro Romanam Eccleſiam fundaſſe prædicatione &

ſan-

ſanguine &c. & ſanctum Paulum unum fuiſse cum ſancto Petro Eccleſiæ Caput, in quantum ſcilicet Romana Eccleſia centrum eſt totius Eccleſiæ: primum aſserit S. Irenæus, alterum verò minimè.

Ad ſanctum Epiphanium, reſpondeo ſanctos Petrum & Paulum Apoſtolos pariter fuiſse & Epiſcopos Romæ, quoad munus docendi, non verò quoad auctoritatem regendi totam Eccleſiam, unde ſequitur pares illos fuiſse in auctoritate Apoſtolica, excepto primatu. Porrò citato loco non agit ſanctus Epiphanius de auctoritate, ex qua ſola deſumitur ratio primatus & denominatio Capitis; ſed agit dumtaxat de doctrina, quæ quidem exigit aliquam auctoritatem, miſſionis ſcilicet, quam à Chriſto ipſo Paulus accepit, non verò auctoritatem primatus, qua caruit. Scopus ſcilicet ſancti Epiphanii eſt ut oſtendat illibatam in Eccleſia particulari Romana conſervatam fuiſſe doctrinam, uſque ad Marcellinam veſanam quamdam mulierem, cujus occaſione dixit, quæ ſuprà relata ſunt: unde ſufficiebat Epiphanio ad conſervationem purioris doctrinæ, recurrere ad inſtitutionem in fide, quam à S. Paulo, ſicut & à Petro Romani perceperant.

Ad id quod additur, ſequi ſcilicet aliquem fuiſse Epiſcopum Romanum, qui primatu caruerit,

Reſp. diſtinguo: aliquem Epiſcopum Romanum extraordinarium, concedo: ordinarium, nego. Porrò ſanctus Paulus Epiſcopus fuit Romæ cum ſancto Petro, ſed non æquali jure. Extraordinarius quidem Epiſcopus fuit propter Apoſtolicum munus, quod jus Epiſcopale ubique terrarum omnibus Apoſtolis conferebat; ſed Epiſcopus ordinarius non fuit: unde ſanctus Epiphanius ibid. ait, beatum Clementem conſecratum fuiſse Romæ à ſancto Petro, non à S. Paulo; non ob aliam utique rationem, niſi quòd Petro, non Paulo ſingularis conveniret auctoritas, cui jus ordinarium annexum eſset.

Ad ſanctum Cyrillum, reſpondeo illum quidem SS. Petrum & Paulum Prælatos ſeu Præſides Eccleſiæ appellaſse, ſed cum hoc diſcrimine, quòd cùm de ſancto Petro ſeorſim loquitur, ipſum non ſolùm Præſidem, ſeu Protopræſidem ac Præfectum Apoſtolici Collegii eſse ait.

Ad ſanctum Chryſoſtomum, reſp. Petrum & Paulum ab ipſo dici oculos Romæ, propter doctrinam fidei qua Romam illuſtrarunt; ex quo, ut per ſe patet, nihil concluditur pro jure primatus utrique æquali ac communi. Dictus eſt autem ab eodem Chryſoſtomo Paulus Sanctorum Coriphæus, quia cæteris Sanctis ob eminentia virtutum merita eum exiſtimavit ſuperiorem: at ſuperiorem auctoritate eum minimè cenſuit; ſiquidem hom. ultima in Joan. obſervat ſanctum Paulum, præ cæteris inviſere voluiſse S. Petrum, atque P. 449. hunc illi deferre honorem. *Os enim*, inquit, *erat Apoſtolorum, & princeps & vertex ipſius cœtus.* E.

Ad ſanctum Leonem, reſp. SS. Petrum & Paulum meritò ab eo nuncupatos Romæ Patres ac Paſtores, quia Romanos in fide genuerunt, genitoſque T. 1. p. verbo & doctrina enutrierunt: ſed non ideo æqualem ipſorum poteſtatem à 336. ſancto Leone ſignificari, cùm ibidem aſserat, *Romam per Beati Petri Sedem caput orbis effectam.*

Ad ſanctum Gregorium, dico non rectè inferri parem Pauli cum Petro poteſtatem, ex eo quòd ab eo dicatur frater Petri in principatu Apoſtolico: nam, ut ipſe explicat Gregorius Lib. 2. ſuper Ezechielem hom. 6. *Frater qui-*

dem erat, ſed auctoritate minor. Agens quippè ibidem de reprehenſione Petri per Paulum, ſic loquitur: *Ecce a minori ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.* Jam dixerat, *eum qui primus fuit in Apoſtolatus culmine, fuiſſe etiam primum in humilitate.*

To. 1. p. 1368. B. C.

Ad Ambroſiaſtrum: parùm ejus auctoritate movemur, cùm à Catholica fide ſit alienus. Quamquam quando dixit gratiam primatus Paulo ſicut & Petro datam fuiſſe, intelligi poſſet de primatu prædicationis, non verò auctoritatis.

Ad S. Maximum, ſatis ſeipſum exponit eodem in Sermone, ubi utriuſque Apoſtoli diſcrimen evidenter indicat quantùm ad regimen, & magiſterium: *Nam ambo*, inquit, *claves à Domino acceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ.*

Biblior. PP. To. 6. p. 36. D.

Ad Petrum Damiani, reſp. 1. ejus propoſitionem abſolutam non eſſe: non enim ait ſanctum Paulum omnibus Eccleſiis præſidere, ſed videri aliquatenus præſidere. 2. Loquitur de præſidentia per prædicationem & doctrinam, non verò per auctoritatem: *Dignum eſt*, inquit, *ut ſicut in omnibus fidei ſemen ſparſit, ita in omnibus jus teneat præſidentiæ.* 3. Vult Paulum omnibus Eccleſiis præſidere, quia nullam ſpecialiter Cathedram tenet; non igitur ipſi aſſignanda eſt Romana Sedes, in qua parem exerceat cum Petro auctoritatem.

P. 652. col. 2. A.

Ad id quod dicitur de Pontificibus, reſp. eos dici ſucceſſores SS. Petri & Pauli, quoad ſucceſſionem realem, non quoad ſucceſſionem perſonalem. Succeſſio realis eſt ea, qua quis ſibi vindicat jura omnia illius cui ſuccedit: ſic filius ſuccedit patri; ſic etiam Romani Pontifices ſuccedunt non tantùm Petro & Paulo, ſed etiam omnibus Apoſtolis, quorum gaudent juribus. Succeſſio perſonalis eſt ea, qua quis in munere aliquo obeundo alteri ſuccedit, ut Conſul Conſuli: & hoc ſenſu Romani Pontifices non ſuccedunt Paulo, ſed Petro; cùm ſumma poteſtas qua gaudent, non fuerit penes Paulum, ſed ſolummodo penes Petrum. Unde ſanctus Bernardus Lib. 1. de Conſideratione ad Eugenium, ait: *Tu es poteſtate Petrus.*

Ad id quod additur de Paulo III. & Pio IV. nihil probat. Nam legimus varios Pontifices in ſuis Diplomatibus non tantùm Petri & Pauli, ſed etiam Beatæ Virginis & omnium Sanctorum auctoritatem appellare. Ita Joannes VIII. Epiſtola 262. Ita Nicolaus I. in ſententia contra Photium lata. Ita Alexander II. Epiſt. 9. Nihil aliud igitur ſignificant omnes iſtæ loquendi formulæ, præter auctoritatem patrocinii, quam ad officium ritè obeundum implorant, non verò auctoritatem officii cui Pontifices ſuccedant.

Quod refertur de ſigillis Pontificiis parum urget. Certè ſigillo ſuo effigies SS. Gervaſii & Protaſii ſimul conjunctas inſculpi curaverat S. Carolus Borromæus, nec tamen deceſſores in Mediolanenſi Archiepiſcopatu ſuos idcircò agnoſcebat, ſed ſingulares tantùm apud Deum patronos, ut & iſta inſcriptio adjuncta ſatis innuebat, *Tales ambio defenſores.* Deinde ſub annulo Piſcatoris obſignantur Pontificia Diplomata, hoc eſt, ſolius Petri; & alio modo obſignata in Regno Galliarum pro legitimis non haberentur.

Quod verò additur de dextera quæ interdum datur imagini ſancti Pauli, leve eſt: namque partem dexteram non eſſe ſemper locum in Eccleſia honoratiorem, patet, tùm ex VII. Synodo Act. 4. ubi refertur, Sophronium Patriar-

triarcham Hieroſolymitanum vidiſſe admirabilem imaginem quæ Chriſtum in medio adumbratum exhiberet, Virginem Deiparam à ſiniſtris, & ſanctum Joannem à dextris. Tùm ex Synodo Chalcedonenſi, in qua Dioſcorus, licèt mox damnandus, dexteram tenebat, Legati verò ſancti Leonis ſiniſtram. Tùm ex eo quòd in ſiniſtro cornu altaris Evangelium legi ſoleat. Tùm ex eo quòd dum adeſt Summus Pontifex Officiis Eccleſiaſticis, ſedeat in parte ſiniſtra Chori; & olim cùm in Eccleſia fœminæ ſeorſim à viris orabant, ſiniſtra viris & dextera fœminis aſſignabatur.

Ad Officium Eccleſiæ, reſp. hæc verba *per quos Religionis ſumpſit exordium*, innuere quidem paritatem utriuſque Apoſtoli in Eccleſiæ inſtitutione ac fidei propagatione, non verò in præeminentia primatus. Per omnes etiam Apoſtolos Eccleſia ſumpſit exordium: Petrum nihilominus ab Evangelio & Patribus dictum fuiſſe Apoſtolorum primum, negare nemo poteſt.

Nec obſtat quòd Principes terræ & Judices ſæculi dicantur Petrus & Paulus: namque id omnibus Apoſtolis commune eſt; cùm de illis omnibus & ſingulis in Officio ſuo canat Eccleſia: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*; ſicut & iſtud in Hymno veſpertino, *Vos ſæcli juſti Judices*.

Denique ad id quod ex Sacramentario ſancti Gregorii refertur, dico nihil inde adversùs nos probari: ſiquidem non ſolis Petro & Paulo conceſſit Chriſtus auctoritatem ſolvendi & ligandi, ſed etiam omnibus eorum in Apoſtolatu ſociis, cùm dixit, *Accipite Spiritum ſanctum &c.* Verùm in eodem Sacramentario ſanctus Gregorius evidenter expreſſit primatum S. Petri, in illa Oratione ad feſtum S. Petri recitari ſolitam; *Deus*, inquit, *qui Apoſtolo tuo Petro collatis clavibus Regni cœleſtis ligandi atque ſolvendi animas pontificium tradidiſti*: ubi per pontificium intelligenda eſt ſupereminens aliqua poteſtas, quæ non eſt in iis omnibus qui jure clavium ad peccatores ſolvendos aut ligandos, utuntur.

ARTICULUS II.

De primatu Romani Pontificis ſupra ceteros Epiſcopos in univerſa Eccleſia.

NUllum ferè caput eſt Religionis noſtræ in quod poſteriorum temporum Novatores cæco magis ac impotenti animo debacchati fuerint, quàm in primatum Romani Pontificis. *Non eſt*, ajebat Joannes Hus, *ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe unum Caput regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia converſetur & conſervetur.* Lutherani & Calviniſtæ in odium & vindictam auctoritatis, qua Romana Sedes eorum errores damnavit, ejus Pontificem non tantùm è primo inter Epiſcopos loco, ubi à Chriſto Domino conſtitutus eſt, deturbare conati ſunt, ſed etiam protervè ac contumelioſè illum antichriſtum appellare non erubuerunt. Quamquam non diſſimulandum, ex iis nonnullos, quibus pudoris aliquid ſuperfuit, labem hanc & ignominiam ab ipſo abſtergere & amoliri non detrectaſſe.

Conſentiunt inter ſe orthodoxi omnes Theologi, primatum illum, quo Romana Sedes, & qui in ipſa ſedet Romanus Pontifex, ſupra cæteras omnes Eccleſias divino privilegio fruitur, non tantùm honoris eſſe & ordinis, ſed etiam

etiam Juriſdictionis & auctoritatis. Verùm in aſſignandis hujuſce auctoritatis & juriſdictionis limitibus ac prærogativis, valde diſcordes illi ſunt inter ſe.

I. Plurimi Theologi ſunt, qui primatum Summi Pontificis in illis potiſſimùm prærogativis collocandum eſſe arbitrantur: nempe Romanum Pontificem abſolutum eſſe Monarcham, cæteros verò Epiſcopos ab ipſo ſolo ſuam mutuari auctoritatem: Plenitudinem Eccleſiaſticæ Juriſdictionis in uno Romano Pontifice tanquam in ſubjecto proprio, ſeu in fonte immediatè reſidere, ex quo in ſingulos Epiſcopos certa quædam ac definita portio derivatur ac defluit; ſeu, ut dicebat F. Joan. Sarrazin, de quo antea, *Omnes poteſtates Juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Papa quantùm ad inſtitutionem & collationem*. Claves Regni Cœlorum uni Petro proximè ac immediatè conceſſas, non unitati ſeu Eccleſiæ: ac per Petrum cæteris Epiſcopis communicari: Pontificem ex Cathedra definientem errare non poſſe: A nemine judicari illum poſſe, nequidem à Concilio generali cui ſuperior eſt: Denique illum totius mundi eſſe dominum, & habere poteſtatem ſaltem indirectam Reges ac Principes deponendi, eorumque ſubditos à ſacramento fidelitatis ſolvendi.

II. In extremum oppoſitum lapſi ſunt nonnulli; imprimis Edmundus Richer, dum viveret ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor ac Syndicus, in Libello de Eccleſiaſtica ac politica poteſtate, qui prodiit in lucem anno 1611. ubi extra metas abreptus, ut Eccleſiæ auctoritatem extollat, Pontificiam omnino deprimit, violatque legitima primatus Romanæ Sedis privilegia: Claves, ſeu Juriſdictionis poteſtatem uni & ſoli Eccleſiæ à Chriſto immediatè, Petro autem ceteriſque Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis mediatè per Eccleſiam datas eſſe contendit. Pontificem Romanum Eccleſiæ quidem Caput eſſe fatetur ille, at *Symbolicum dumtaxat ſeu figurativum, miniſteriale, accidentarium, non neceſſarium*.

Iſtæ ſunt propoſitiones Richerii ex Libello ipſius excerptæ.

Prima. *Chriſtus ſuam fundando Eccleſiam, prius, immediatiùs & eſſentialiùs claves ſeu juriſdictionem toti dedit Eccleſiæ, quàm Petro & aliis Apoſtolis.*

Secunda. *Tota Juriſdictio Eccleſiaſtica, primariò, propriè & eſſentialiter Eccleſiæ convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Epiſcopis inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantùm, ſicut facultas videndi oculo competit.*

Tertia. *Chriſtus non tam uni Petro, quàm unitati infallibilem clavium poteſtatem detulit.*

Quarta. *Papa eſt Caput Eccleſiæ ſymbolicum, miniſteriale, accidentarium, non eſſentiale, viſibile ſub Chriſto Capite principale & eſſentiali, cum quo poteſt Eccleſia facere divortium, quia hoc Caput ſymbolicum ſeu figurativum poteſt adeſſe & abeſſe ad tempus ſine Eccleſiæ interitu.*

To. 15. Conc. p. 6118. & 1629. Ibid. Librum Richerii de Eccleſiaſtica & politica poteſtate proſcripſit Concilium Senonenſe an. 1612. Præſide Cardinale Perronio, tanquam continentem *propoſitiones, expoſitiones, & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, &, ut ſonant, hæreticas, ſchiſmaticas*. Eadem cenſura eodem anno Librum Richerii

confixit

confixit Concilium Aquenſe. Dictas propoſitiones tueri primùm tentavit Richerius; at ſubinde ad palinodiam compulſus, Librum ſuum ſubjecit Judicio Eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ, data Eminentiſſimo Cardinali Richelæo Regni Adminiſtro eam in rem declaratione propria manu ſubſignanta die ſeptima Decembris anni 1629. Denique cùm intellexiſſet idem Doctor, nonnullos palam conqueri, quòd non ſatis evolutè ac diſtinctè retractationem ſuam explicaſſet, novam adornavit uberiorem ac clariorem, quæ poſt ejus mortem inter Memorialia & Chartas ipſius reperta fuit. Ægrè admodum tulit Cardinalis Perronius, quòd Richerius novam Operum Gerſonii Editionem cum ejus effigie, elogiis ac inſcriptionibus adornari curaverit anno 1606. quia ſcilicet quo tempore Pontifici omnem ille ſeu directam ſeu indirectam in temporalia Regum juriſdictionem adimebat, eumque generali ſubjiciebat Concilio; docebat tamen, certiſſimum eſse, Comitia generalia ſeu Status, ut vocant, Regni jure divino ac naturali Regibus eſse ſuperiores, ac ſupremam poteſtatem in Communitate, tanquam in fonte ac origine, unde profluxit, reſidere: à qua falſa & ſeditioſa doctrina longè abſunt, qui legitima Pontificum & Principum jura, ut oportet, diſcernunt; ac populo non alias, quàm obſequii partes aſſignant.

III. Media aliorum Theologorum incedit ſententia eorum qui dignitatem ac prærogativam primatus Romani Pontificis in his collocant.

1. Romano Pontifici tanquam Capiti omnium Eccleſiarum ſollicitudinem incumbere: Ipſius eſse invigilare Canonum obſervantiæ & executioni per orbem univerſum Chriſtianorum, ac rebelles & contumaces pœnis Canonicis coercere. Non autem particularium Epiſcoporum, quorum juriſdictio tota intra fines privatarum Diæceſeon eſt coarctata; qui que charitate dumtaxat, non juriſdictione & auctoritate extra fines illos excurrere poſsunt.

2. Reges ac Decreta Pontificis Romani in cauſis fidei & morum ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, ac Chriſtianos omnes ex conſcientia teneri ipſis obtemperare. Quamquàm enim infallibilis non ſupponatur Romanus Pontifex, proviſoriè tamen ipſius Decretis, quæ apud omnes bonos maximi ponderis ac momenti eſſe debent, obſequendum eſt, ſaltem, ut ait Gerſo, *ad non dogmatiſandum contrarium*, quandiu Eccleſia non reclamat nec contradicit.

Non ita eſt de privatis Epiſcoporum Decretis, quibus ii tantummodò ſunt obſtricti, qui eorum juriſdictioni ſubjiciuntur.

3. In controverſiis fidei ac Religionis præcipuas eſse Summi Pontificis partes, nec quidquam in Eccleſia magni momenti definiri debere, quod ad ipſum non referatur. Quamquam enim non ſit ſolus Judex controverſiarum, eſt tamen inter Judices primus ac præcipuus dignitate & auctoritate, ad quem majores, ut vocant, Eccleſiæ cauſæ referendæ ſunt. Majores autem appellantur Cauſæ, vel ex rei, de qua agitur, gravitate ac magnitudine, quales illæ ſunt quæ fidem, Religionem ac generalem ſpectant morum diſciplinam; vel ex magnitudine ſubortæ difficultatis, aut dignitate perſonæ v.g. cùm agitur de Epiſcopis.

4. Summum Pontificem diſpenſare poſse à legibus etiam à Conciliis generalibus latis, in iis nempe caſibus, in quibus diſpenſaret ipſummet Concilium, & juxta regulas diſpenſationum præſcriptas in Conciliis. Cùm enim Eccleſia in Concilium cogi ſemper non poſſit, & urgeat aliquando diſpenſationis con-

cedendæ

cedendæ neceſſitas, oportet ad eum recurrere, qui majori pollet in Eccleſiá auctoritate, qui Caput eſt aliorum Epiſcoporum, centrum unitatis ac Catholicæ communionis. Is eſt Romanus Pontifex.

5. ratione primatus jus habere Romanum Pontificem Concilia convocandi, & ipſis, ſi voluerit, per ſe vel per Legatos ſuos præſidendi. Quippe cùm Hæreticorum audacia & pertinacia Pontificis Romani auctoritate ac judicio comprimi non poteſt, neceſſe eſt omnes Epiſcopos in Concilium congregari quod univerſam Eccleſiam repræſentat, ejuſque ſuprema & infallibili auctoritate malum (ſi fieri poteſt) penitus extinguere. Epiſcopos autem in Concilium congregare, ipſiſque præeſſe, haud dubiè jure ſui primatus, ad Romanum Pontificem pertinet, nec hìc vulgò diſcordes ſunt Theologi. Licèt enim inter illos nonnulli exiſtiment jus illud ad Imperatores & Principes etiam pertinere, atque octo priora Concilia reipſa ab ipſis convocata fuiſſe, nihilominus fatentur ad Romanum Pontificem, licèt non ad ſolum, jus illud etiam ſpectare; quo pro ſua dignitate ac auctoritate uti poteſt; quamquam vix contingat jus illud executioni demandari poſſe ſine licentia & conſenſu Principum temporalium.

Ex his facile eſt colligere, Summum Pontificem eſſe verum & proprium Eccleſiæ Caput viſibile & externum, non ſymbolicum dumtaxat & figurativum, ut dicebat Richerius: an autem dici debeat cum eodem, Caput miniſteriale, accidentarium, & non neceſſarium, quæſtio in æquivoco laborat. Non eſt quidem Caput miniſteriale ad ſenſum Richerii, quaſi omnem ſuam auctoritatem acceperit ab Eccleſia, illiuſque dumtaxat ſimplex ſit miniſter *quoad executionem poteſtatis*, ut ille volebat. Ratio eſt, quia S. Petrus tanquam Caput Eccleſiæ eamque repræſentans, claves à Chriſto immediatè accepit. *Tibi dabo claves*. Recto nihilominus ſenſu Romanus Pontifex dici poteſt Eccleſiæ Caput miniſteriale, tùm reſpectu ipſius Chriſti, tùm etiam reſpectu ipſius Eccleſiæ. Reſpectu quidem Chriſti: *Pro Chriſto legatione fungimur*, ait S. Paulus 2. Cor. 5. v. 20. & 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Reſpectu etiam Eccleſiæ, cujus & ipſe omnium primus decreta obſervare tenetur, & ut ab omnibus obſerventur, ex officio invigilare. Aliquo pariter ſenſu Romanus Pontifex dici poteſt Eccleſiæ Caput accidentarium & non neceſſarium, quia ſcilicet deficere poteſt ſive per mortem, ſive per voluntariam abdicationem: attamen non immeritò Caput eſſentiale ac neceſſarium dicitur, quia ſicut deficere nunquam poteſt publicum ac viſibile Eccleſiæ miniſterium, ita nec Pontifex qui Caput eſt totius adminiſtrationis; & licèt mortuo Pontifice, videatur Eccleſia Capite carere, tamen, ut loquuntur Juriſconſulti, vivus apprehendit mortuum, nec tunc quidem minùs firma & incolumis ſubſiſtit Eccleſia, quàm Regnum, ubi Rex, aut Diœceſis, ubi Epiſcopus moritur.

Pariter claves & uni Petro, & unitati ſimul conceſſæ dicendæ ſunt, nec unum aliud excludit. Datæ ſunt uni Petro, non quidem per excluſionem Eccleſiæ, ſed quia unus ille primatum & regiminis poteſtatem accepit à Chriſto, atque perſonam Eccleſiæ totius gerebat, cùm ei dixit Chriſtus: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*. Datæ ſunt etiam immediatè unitati, id eſt omnibus Apo-
Jo. 20. v. 21. ſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis: *Sicut miſit me vivens Pater*,

ait

ait Chriſtus, *& ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur &c. Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spi-* Act.10.
ritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Omnes igitur poteſtates v.28.
juriſdictionis Eccleſiæ, ajebat juſſu ſacræ Facultatis Joannes F. Sarrazin anno 1429. *ſunt ab ipſo Chriſto, quantùm ad inſtitutionem & collationem primariam; à Papa autem & ab Eccleſia, quantum ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.*

Atque his ita præmiſſis ſit

CONCLUSIO.

Romanus Pontifex jure divino primatum honoris & juriſdictionis obtinet in tota Eccleſia ſupra alios Epiſcopos.

Duæ ſunt Concluſionis partes: prima, Romanum Pontificem primatum obtinere juriſdictionis: ſecunda, primatum illum eſſe juris & inſtitutionis divinæ.

Probatur prima pars ex antiqua & conſtanti Eccleſiæ Traditione, quæ dignoſci meliùs non poteſt quàm ex Conciliis, ſanctis Patribus, ipſis Summis ac ſanctiſſimis Pontificibus, qui, approbante Eccleſia, hac primatus ſui univerſali juriſdictione uſi ſunt; ac tandem Imperatoribus, qui ſanctionibus ſuis doctrinam hanc & Traditionem confirmarunt. Hæc quatuor probationum capita breviter percurremus.

Concilia.

Nicænum I. generale an. 325. Can. 6. qualis refertur Actione 16. Conc. Chalcedonenſis, ſic habet: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat au-* Tom.4.
tem & Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem &c. Conc.p.
Si autem priora hujus Canonis verba ad corpus Canonis pertineant, ſive 812. A.
ſint per modum inſcriptionis, perinde eſt ad rem noſtram, quia primatum Romanæ Sedis iis aſſeri Veteres agnoſcunt. Unde Nicolaus I. in Epiſtola octava ad Michaelem Imperatorem, ad hunc Nicænum Canonem attendens ſic loquitur: *Si inſtituta Nicænæ Synodi diligenter inſpiciantur, invenietur pro-* Tom.8.
fectò, quia Romanæ Eccleſiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: Conc.p.
ſed potiùs ex ejus forma, quod Alexandrinæ Eccleſiæ tribueret particulariter, 315.D.
ſumpſit exemplum.

Conſtantinopolitanum I. quod eſt generale ſecundum anno 381. Can. 2. juxta interpretationem Dionyſii exigui: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus*, inquit, *ha-* Tom.2.
beat primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum. Quibus verbis ſupponunt Conc.p.
Græci Romanam Eccleſiam eſſe omnium primam: neque id ſuo Canone in- 954.D.
dulgent quaſi novum, ut viſum eſt Græcis recentioribus, ſed privilegium, quo ab antiquo fruebatur, ei ſartum tectumque eſſe volunt, ita ut nihil obſit ejus primatui honor Epiſcopo Conſtantinopolitano delatus.

Aquileenſe eodem fermè tempore celebratum, in Epiſtola ad Imperatorem Ibid. p.
de Urſicino: *Obſecranda fuit*, inquit, *Clementia veſtra, ne totius orbis Roma-* 999.L.
ni Caput Romanam Eccleſiam turbari ſineret. Agnoſcebant igitur hujus Concilii Patres, Romanam Eccleſiam Caput eſſe omnium Eccleſiarum.

Epheſi-

Digitized by Google

Tom.3. Conc.ſ. 642. B. C. Epheſinum an. 431. Act. 4. ubi Juvenalis Hieroſolymitanus ſic loquitur: *Oportebat quidem Joannem Reverendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta & magna & Oecumenica Synodo conſiderata, confeſtim, ut de iis quæ ipſi objiciuntur, ſe purgaret, accurrere, & ad Apoſtolicam Sedem magnæ Romæ nobiſcum conſidentem, ac obedire & honorem deferre Apoſtolico Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum, præſertim cùm apud illam Sedem Antiochenæ ipſi Sedi ex Apoſtolico ordine & Traditione mos ſit dirigi, & apud ipſam judicari.*

Scitè in hunc Concilii textum obſervat doctiſſimus Cardinalis Perronius, in Opere cui titulus Gallicè, *Replique à la reponſe du Roi de la Grande-Bretagne*, Lib. 1. cap. 25. pag. 125. & 126. Edit. Par. an. 1620. corrigendum hìc textum, & loco verbi iſtius, *Hieroſolymorum*, quem Tractor Romanus inſcitè poſuit, legendum eſſe cum Peltano, *Romanorum*, ut ſenſus ſit: oportebat Joannem Antiochenum, ut ſe purgaret, citò accurrere, ac nobiſcum & cum Throno Apoſtolico Hieroſolymitano conſidentem, obedire & honorem deferre Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ Romanorum. Probat Eminentiſſimus Auctor. 1. ex ipſo græco contextu, cujus incongrua omnino foret conſtructio, cùm nullum in ea periodo verbum ſit, quod regat accuſativum, *Thronum Apoſtolicum magnæ Romæ*, præter verbum *honorare*. 2. Quia Sedes Antiochena à Romana, nuſquam verò à Hieroſolymitana Eccleſia judicata fuit. 3. Quia Synodus Antiochena tempore ſancti Athanaſii, nullius momenti ac roboris eſſe judicata fuit, propter abſentiam Romani Pontificis aut Legatorum ipſius, non autem propter abſentiam Epiſcopi Hieroſolymitani. 4. Quia tantùm abeſt ut Epiſcopus Antiochenus ſubditus foret Hieroſolymitano, quin è contra potius Hieroſolymitanus Antiocheno ſubjiciebatur, ſaltem per appellationem à ſententia Epiſcopi Cæſarienſis. 5. Quia ipſum Epheſinum Concilium, præſente Juvenali, cauſam Patriarchæ Antiocheni ad Summum Pontificem dijudicandam remiſit. 6. In ipſo Concilio Chalcedonenſi, cui aderat ipſe Juvenalis, Anatolius Conſtantinopolitanus cenſuit Maximum Antiochenum ſedere debere in Concilio, eo quòd S. Leo eum ſuæ communioni reſtituiſſet. 7. denique, quia in Concilio generali Conſtantinopolitano adversùs Monothelitas, Cauſa Macharii Antiocheni, qui per Concilium depoſitus fuerat, remiſſa fuit ad Romanum, non verò ad Hieroſolymitanum Epiſcopum. Hactenus doctiſſimus Cardinalis Perronius.

In eodem Epheſino Concilio Actione 1. Patres in Neſtorium ita pronuntiant: Tom.3. Conc.p. 533. *Coacti per ſacros Canones & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri & Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lacrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus &c.*

Fatentur Patres Epheſini, ſe & per Canones, & per Epiſtolam Cæleſtini neceſſitate compulſos ad pronuntiandam in Neſtorium damnationis ſententiam. Agnoſcunt ergo in Romano Pontifice ſpecialem ac primariam auctoritatem.

Ibidem Act. 2. Cæleſtinus in Epiſtola ad Concilium Epheſinum ait: Ibid. p. 618. *Direximus pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres & conſacerdotes noſtros, unanimes nobis & probatiſſimos viros, Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbiterum noſtrum, qui iis quæ aguntur, interſint, & quæ à nobis antea ſtatuta ſunt exequantur; quibus præſtandum à veſtra Sanctitate non dubitamus aſſenſum, quando id quod agitur, videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum.* Jubet hìc Romanus Pontifex, pro auctoritate qua pollet, exe-

executioni demandari quæ decreverat, nempe, *ut niſi* (Neſtorius) *decem
dierum intervallo ab hujus noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam* *Epiſt.*
doctrinam ſuam conceptis verbis anathematiſet, eamque de Chriſti Dei noſtri *Caleſti-*
generatione fidem in poſterum confeſſurum ſe ſpondeat, quam & Romana, & *ni ad*
tuæ Sanctitatis Eccleſia, & univerſa denique Religio Chriſtiana prædicat, il- *Cyril-*
lico Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat; is verò modis omnibus ſe à noſtro *lum. Ibid. p.*
Corpore ſegregatum eſſe intelligat. *349. A.*

Ibidem Act. 2. Philippus Preſbyter & Apoſtolicæ Sedis Legatus, nemine re-
clamante dixit: *Non ignorat veſtra beatitudo, totius fidei, vel etiam Apoſto-* *Ibid. p.*
lorum Caput eſſe beatum Petrum. Proinde . . . . rogamus ut ea nobis pate- *619.*
*fieri mandetis, quæ ante adventum noſtrum in ſancta hac Synodo acta ſunt;
quo, juxta Beati Papæ noſtri, præſentiſque hujus ſancti Cœtus ſententiam, nos
quoque confirmemus conformiter eorum depoſitioni.*

Rurſus idem Philippus Act. 3. dixit: *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus no-* *Ibid. p.*
tum eſt, quòd ſanctus beatiſſimuſque Petrus Apoſtolorum Princeps & Caput, *625. A.*
*fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino noſtro Jeſu
Chriſto, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves Regni accepit, ſol-
vendique ac ligandi peccata poteſtas ipſi data eſt, qui ad hoc uſque tempus,
& ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit, & judicium exercet.* Nihil ad com-
mendandam Romani Pontificis auctoritatem præclarum magis ac lucu-
lentum proferri poteſt.

Concilium Chalcedonenſe an. 451. plura nobis ſuppeditat primatus
Apoſtolici argumenta.

I. Paſchaſinus, aliis Legatis præſentibus, dixit: *Beatiſſimi atque Apoſto-
lici viri Papæ urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta ha-* *Tom. 4.*
bemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dio- *Conc p. 94. C.*
*ſcorus (Alexandrinorum Archiepiſcopus) non ſedeat in Concilio, ſed au-
diendus intromittatur. Hoc nos obſervare neceſſe eſt . . . aut ille egrediatur,
aut nos eximus . . . . Lucentius Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Judicii ſui
neceſſe eſt eum* (Dioſcorum) *dare rationem, quia cùm perſonam judicandi* *Ibid. p.*
non haberet, præſumpſit, & Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate Sedis *95. A.*
Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.

II. Act. 2. poſtquam lecta fuit Epiſtola S. Leonis, *Reverendiſſimi Epi-
ſcopi clamaverunt, Hæc Patrum fides: hæc Apoſtolorum fides. Omnes ita* *Ibid. p.*
credimus, Orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui non ita credit. Petrus per *368. B.*
Leonem ita locutus eſt, Apoſtoli ita docuerunt.

III. Act. 3. Paſchaſinus, cæterique Legati Summi Pontificis dicunt:
Sanctiſſimus & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo, per *Ibid. p.*
nos & per præſentem ſanctam Synodum, unà cum ter beatiſſimo & omni lau- *425. C.*
*de digniſſimo B. Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Eccleſiæ Catholicæ,
& rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm
etiam & ab omni Sacerdotali alienavit Miniſterio.*

IV. Act. 4. Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: *Dogma Eu-* *Ibid. p.*
tychis quare non anathematiſaverunt? (Ægyptii) *Epiſtolæ Leonis ſubſcri-* *511. C.*
bant anathematiſantes Eutychem & dogmata ejus. Conſentiant Epiſtolæ Leo- *Ibid. p.*
nis . . . . . Qui non ſubſcribit Epiſtolæ, cui omnis ſancta Synodus conſenſit, *514. A. Ibid. p.*
hæreticus eſt. Et Act. 5. *Si non conſentiunt Epiſtolæ Apoſtolici & Beatiſ-* *556. D.*
ſimi

ſimi viri Papæ Leonis , jubete nobis reſcripta dari , ut revertamur , & ibi Synodus celebretur.

In eadem Actione 5. Legati minantur , ſi rata non haberetur Leonis definitio , congregandam Romæ Synodum , ad quam rebelles mittendi
Ibid. p. 563. B. C. forent. *Qui contradicunt & non ſubſcribunt, ipſi ambulent, quia nos conſentimus benè decretis , & in nullo contradicimus. Reverendiſſimi Epiſcopi Illyrici dixerunt : Qui contradicunt , manifeſti fiant ; qui contradicunt , Romam ambulent.*

Ibid. p. 817. B. V. Actione 16. glorioſiſſimi Judices dixerunt : *Ex his quæ geſta ſunt , & ab unoquoque depoſita , perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundùm Canones , antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.*

Denique Patres Chalcedonenſes Leonem rogant, ut ſuo conſenſu con-
Ibid. p. 837. D. firmare velit, quæ ipſi ſtatuerant: *Rogamus igitur*, ajunt in relatione Synodi ad ſanctum Leonem, *& tuis Decretis noſtri honora judicium; & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam , ſic & Summitas tua filiis quod decet adimpleat.*

Concilium Lateranenſe ſub Martino I. an. 649. adversùs Monothelitas. In eo Stephanus Dorenſis natione Græcus Actione 1. ſeu Secretario primo Libellum obtulit, in quo dicit Hæreticos auctoritate primæ Sedis damnatos ſemper
Tom. 6. Conc. p. 104. A. B. fuiſſe. *Quoniam*, inquit, *hoc poteſtativè olim & antiquitus facere per Apoſtolicam ſive Canonicam conſuevit auctoritatem , dum aperta lucubratione non ſolùm claves Regni Cælorum creditæ ſunt ei , atque ipſe tantummodo ad aperiendas eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Evangelio gratiæ credentibus juſta claudere magnus ſecundùm veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus : ſed etiam & paſcere primus juſſus eſt oves Catholicæ Eccleſiæ , cùm Dominus dicit: Petre, amas me? Paſce oves meas; Et iterum ipſe præcipuè ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare exagitatos conſortes ſuos & ſpiritales meruit fratres, utpote diſpenſativè ſuper omnes ab ipſo qui propter nos incarnatus eſt Deus , poteſtatem accipiens & Sacerdotalem auctoritatem.*

Addit ibidem, ſe à Sophronio ad Sedem Apoſtolicam miſſum, ut de novo
Ibid. E. Sergii & aliorum errore illam edoceret: *Quantociùs*, dicebat, *de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem , ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias, non ſemel, non bis, ſed multò ſæpius aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundùm veritatem, quæ in his partibus mota ſunt.*

Ibidem Abbates, Presbyteri ac Monachi in Libello ſic loquuntur: *Sanctæ*
Ibid. p. 113. C. *Dei & Apoſtolicæ Synodo, ex Dei voluntate & gratia ..... in antiqua alma urbe Roma congregatæ. . . . per juſſionem ſanctam ſive præceptionem divinitus præſidentis vobis, atque omnibus his præeminentis Sacerdotis Sacerdotum , & Patris Patrum, domini noſtri Martini.*

Ibidem Sergius Cyprienſis Inſulæ Epiſcopus cum ſuo Concilio ad Theodo-
Ibid. p. 121. E. rum Papam ſcribit his verbis: *Sanctiſſimo & Beatiſſimo à Deo noſtro honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiſcopo & univerſali Papæ domino Theodoro, Sergius humilis in Domino ſalutem . Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidiſsimam fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit,*

ò ſ. eer

ò ſacer Vertex, Chriſtus Deus noſter. Tu es enim, ſicut divinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum eccleſiæ columnæ confirmatę ſunt. Tibi & claves cœlorum commiſit, atque ligare & ſolvere poteſtativè quæ in terra ſunt . . . . Tu profanarum hæreſeum depoſitor exiſtis, ut Princeps & Doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non deſpicias patrum tuorum, Pater, fidem æſtuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem: reſolve nebulam inſipientium lumine tuę divinæ ſcientiæ, ò ſanctiſſime.

Refertur quoque in hac ipſa Synodo, Epiſtola Concilii Africani ad eumdem Theodorum, cujus hæc verba ſunt: *Antiquis regulis ſancitum eſt, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo poſitis ageretur Provinciis, non priùs tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum, ut hujus auctoritate, juxta quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſię velut de natali fonte prędicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptę manarent fidei ſacramenta ſalutis.*

Concilium Conſtantienſe an. 1414. Petri ac Epiſcopi Romani ei ſuccedentis primatus dignitatem aſſerit; tùm in Vvicleſum, cujus iſtam ſententiam damnat, *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias*. Tùm in Joan. Hus, cujus hunc proſcribit articulum nonum, *Papalis dignitas à Cęſare inolevit, & Papę prefectio & inſtitutio à Cęſaris potentia emanavit*. Decimum quoque his verbis conceptum confixit: *Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe vel de alio, quòd eſſet Caput particularis ſanctę eccleſię: nec Romanus Pontifex eſt Caput Romanę eccleſię*. Et vigeſimum ſeptimum: *Non eſt ſcintilla apparentię, quòd oporteat eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante eccleſia converſetur & conſervetur*. Unde Martinus V. in Bulla contra errores Joannis Vviclef & Joannis Hus, ſuſpectum interrogari jubet, *utrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor beati Petri, habens ſupremam auctoritatem in eccleſia Dei.*

Concilium Florentinum. Deſciverat jam dudum Eccleſia Orientalis ab Occidentali; negabant Græci primatum Romani Pontificis, cui longo ſęculorum tractu ſubditi fuerant. Quæſtio in Concilio Florentino hinc inde in multis Collationibus & diſputationibus inter Latinos & Græcos ventilata eſt, & tandem determinata his verbis: *Definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbęm tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſię Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur*. Hæc certè de ſolo primatus honore intelligi non poſſunt.

Nihil novi hac definitione Romano Pontifici tributum fuiſſe, ſed explicatam eam dignitatem & auctoritatem, quam in perſona B. Petri à Chriſto acceperat, conſtat ex declaratione Concilii Baſileenſis; quod etſi

contenderet Summum Pontificem ſibi ſubjectum eſſe, non potuit tamen primatum juriſdictionis ejus non agnoſcere, ut teſtatur ejus reſponſio Synodalis ad Orationem pro Eugenio IV. ab Archiepiſcopo Tarentino habitam. Hæc ſunt Concilii verba de prædicti Archiepiſcopi Oratione: *Inprimis latè explicat juriſdictionem & poteſtatem Summi Pontificis, quòd Caput ſit & Primas eccleſiæ, Vicarius Chriſti & à Chriſto, non ab hominibus vel Synodis, aliis prælatus & Paſtor Chriſtianorum; & ei datæ ſunt à Domino claves, & uni dictum eſt, Tu es Petrus, & ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alii in partem ſollicitudinis, & multa hujuſmodi, quæ, cùm vulgatiſſima ſint, minimè neceſſarium erat recenſere. Iſta planè fatemur & credimus, operamque in hoc ſacro Concilio dare intendimus, ut omnes eandem ſententiam credant.*

Denique Tridentina Synodus Seſſ. 14. de pœnit. cap. 7. ſic habet: *Unde meritò Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare.* Hæc certè ad juriſdictionem, non ad merum honorem pertinent.

Hanc juriſdictionis auctoritatem pro data occaſione exercuere ſemper Romani Pontifices in Eccleſiam ipſam ſeu Sedem Conſtantinopolitanam; tametſi ſecundum à Romana honoris gradum à Conciliis Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi accepiſſet.

Pelagius II. Concilii Conſtantinopolitani, in quo Oecumenici nomen ejus urbis Epiſcopo attributum fuerat, Acta diſſolvit. Unde ſanctus Gregorius Magnus Lib. 7. Indict. 2. Epiſtola 12. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum ſic ſcribit: *De Conſtantinopolitana eccleſia, quod dicunt, Quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? quod & piiſſimus Dominus Imperator, & frater noſter ejuſdem civitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur.*

S. Leo Canonem Chalcedonenſem nunquam approbavit, imò rejecit & nullum declaravit: *In irritum mittimus*, inquit Epiſt. 55. nunc 79. c. 3. *& per auctoritatem B. Petri Apoſtoli prorſus definitione caſſamus.* Non quòd eo Canone ſui primatus dignitatem imminui timeret, quæ imminui non poteſt, ſed quòd Antiochenæ, Alexandrinæ, aliarumque Eccleſiam juribus ac privilegiis ſic detractum fuiſſe conqueratur idem S. Leo Epiſt. 56. *Audiant*, ait Gelaſius S. P. Epiſtola 13. *Marcianum .... ſanctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus proſecutum, quòd Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus. Audiant Anatolium .... Clerum potius Conſtantinopolitanum quàm ſe talia tentaſſe confitentem, atque in Apoſtolici Præſulis totum dicentem poſitum poteſtate.*

Nicolaus I. Photium Conſtantinopolitanæ Sedis invaſorem excommunicavit, & Ignatium à Photio expulſum reſtituit.

Adrianus II. ejuſdem Photii Acta damnavit. Joannes VIII. eundem, primùm in communionem receptum damnavit, rejecta ipſius Pſeudoſynodo. Et quamvis Schiſmaticus ille telum in Nicolaum retorquere tentaverit; Eccleſia tamen in VIII. Synodo non ſolùm ejus temeritatem improbavit, ſed etiam, ne quis eam imitari auderet, inhibuit, & juxta Nicolai & Adriani ſententiam Photium anathemate percuſſit, atque jura & dignitatem Nicolai his verbis expreſſit ac vendicavit Can. 2. *Beatiſſimum Papam Nicolaum tanquam organum ſancti Spiritus habentes, necnon & ſanctiſſimum Adrianum Papam ſucceſſorem*

ejus

ejus, definimus atque ſancimus. etiam omnia, quæ ab eis ſynodicè per diverſa tempora expoſita ſunt, & promulgata, tam pro defenſione ac ſtatu Conſtantinopolitanorum eccleſiæ, & Summi Sacerdotis ejus, Ignatii videlicet ſanctiſſimi Patriarchæ, quàm etiam pro Photii neophyti & invaſoris expulſione ac condemnatione ſervari ſemper ac cuſtodiri &c. Canone autem ſexto notatur, Acta excommunicationis à Photio contra Nicolaum latæ, publicè combuſta fuiſſe, ipſumque Photium propter ſuam temeritatem anathemate percuſſum.

Michael Cerularius Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus in templo ſanctæ Sophiæ excommunicatus eſt à Legatis Leonis IX. an. 1054. ut patet ex relatione, quæ extat poſt Epiſtolam 12. Leonis IX.

Quid egerit pro ſua auctoritate Cœleſtinus adversùs Neſtorium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, nemo eſt qui ignoret.

Sancti Patres Græci.

S. Irenæus Lib. 3. cap. 3. dicit Romanam Eccleſiam omnium eſſe *maximam & antiquiſſimam, ad quam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem eccleſiam convenire, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles. In qua,* pergit, *ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ ab Apoſtolis eſt Traditio.* Agnoſcit etiam S Martyr in Romano Epiſcopo auctoritatem alios Epiſcopos excommunicandi: Victorem quippè monuit & rogavit, ne propter varios uſus ac conſuetudines tot Eccleſias ab ipſo diſſidentes à corpore Eccleſiæ ſepararet. Ita refert Euſebius Libro 5. Hiſt. capite 24. Non negat igitur ſanctus Doctor, eſſe in Summo Pontifice poteſtatem excommunicandi Aſianos, ſed hoc unum intendit, intempeſtivum fore hujus poteſtatis uſum & exercitium in cauſa quam cum Aſiaticis habet.

S. Dionyſius Alexandrinus hunc quoque primatum Juriſdictionis agnovit in Dionyſio Romano Epiſcopo, imò & tota Eccleſia Alexandrina: cùm enim à Catholicis quibuſdam, quaſi malè ſentiret de SS. Trinitate, accuſatus fuiſſet, miſit ad Dionyſium tunc Romanum Pontificem apologeticos Libros, quibus ab omni hæreſeos ſuſpicione ſe purgabat. Porrò cur Dionyſium apud Romanum Pontificem accuſaſſent Catholici Alexandrini? Cur ipſe Dionyſius fidem ſuam apud ipſum defendiſſet? Niſi certum & exploratum tunc temporis fuiſſet, Romanum Pontificem in alios Epiſcopos Juriſdictionem habere.

Sanctus Athanaſius Apologia ſecunda teſtatur Urſacium & Valentem Arianos Epiſcopos pœnitentes à Julio R. Epiſcopo veniam delicti petiiſſe. Et in Epiſtola ad Felicem Papam, *Ob id vos,* inquit, *prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules in Summitatis arce conſtituit, omniumque eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis.*

S. Baſilius in Epiſt. 52. ad Athanaſium: *Viſum eſt mihi,* inquit, *conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur conſideret, & ſententiam ſuam expromat.*

S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de vita ſua, licèt novam Romam cum vetuſta comparet, hanc tamen totius orbis Præſidem fatetur.

S. Epiphanius hæreſi 68. quæ eſt Meletianorum n. 8. *Id quod,* inquit *Urſatii & Valentis confeſſione poſteà declaratum eſt, cùm pœnitentia ducti Ju-*

lio Romano Pontifici libellos obtulerunt, quibus errorem ſuum deprecabantur. Calumniam, inquiebant, contra Papam Athanaſium ſtruximus: tu verò ad communionem & pœnitentiam nos admitte.

S.Chryſoſtomus poſtquam accepit latam in ſe à Theophilo Alexandrino, & à Synodo ad Quercum exauctorationis ſententiam, confugit ad Innocentium I. tunc Romanum Pontificem, atque ad ipſum his verbis ſcripſit: *Obſecro ut ſcribas quòd hæc tam iniquè facta, & ab una ſolùm parte abſentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habent robur, ſicut neque ſua natura habent: illi autem qui adeò iniquè egiſſe deprehenſi ſunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant: nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei ſumus, litteris veſtris & charitate veſtra, aliorumque omnium, quorum ſcilicet & antea ſocietate fruebamur, frui concedite.* Agnoſcebat igitur ſanctus Chryſoſtomus cum aliis Græcis, ſuperiorem in Epiſcopo Romano Juriſdictionis auctoritatem, qua cæteros per orbem Epiſcopos judicare poterat.

Theodoretus Epiſtola 116. ad Renatum Presbyterum Romanum, hanc tribuit Eccleſiæ Romanæ laudem; *Habet ſanctiſſima illa Sedes, eccleſiarum quæ in toto ſunt orbe principatum multis nominibus; atque hoc ante omnia, quòd ab hæretica tabe immunis manſit, nec ullus contraria ſentiens in illa ſedit, ſed Apoſtolicam gratiam integram conſervavit.*

Denique omnes Græcos ſuam ſemper in Romanam Sedem reverentiam ſignificaſſe, ejuſque privilegia ſcriptis etiam agnoviſſe, teſtatur Pelagius II. in Epiſtola octava ad Joannem Conſtantinopolitanum. *Prædeceſſores Joannis*, ait, *& ipſe Joannes, non ſemel ſed ſæpiſſimè Epiſtolas & Libellos propria manu ſubſcriptas ſanctis Anteceſſoribus noſtris miſerunt, quibus coram Deo proteſtati ſunt, nihil unquam protervè contra Apoſtolicam Sedem agere, nec de illius privilegiis quidquam uſurpare; qui hactenus in Archivo S.R.Eccleſiæ ſub ſigillis & chirographis eorum roborati habentur integri.*

Et in ipſo Concilio Florentino Seſſ. 25. S. Pontifex Græcos alloquens ait: *Optimè ſcitis quantum honorem haberent ſemper Orientales Romanæ eccleſiæ, quantamque obedientiam illi exhiberent.*

Tempore dumtaxat Photiani Schiſmatis Græci Romanæ Sedis privilegia impugnare cœperunt, contendentes, ſicut ſcribit Nicolaus I. in Epiſt. ad Hincmarum, *Quando de Romana Urbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt translati, tunc & primatum R.Sedis ad Conſtantinopolitanam eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis etiam Eccleſiæ Romanæ privilegia translata fuiſſe; ita ut ejuſdem Eccleſiæ invaſor Photius etiam ipſe ſe in Scriptis ſuis Archiepiſcopum atque univerſalem Patriarcham appellet.* Ergo nonniſi poſt Schiſma Græci Romani Pontificis primatum aggreſſi ſunt. Sic ad Schiſma & hæreſis, ut fere fit, acceſſit: in Concilio tandem Florentino, ut jam diximus, Græci ad ſaniorem doctrinam reverſi ſunt.

SS. Patres Latini.

Tertullianus Lib. adversùs Praxeam initio, ait Romanum Pontificem pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ datam revocaſſe; ac, ſuadente Praxea Montanum damnaſſe. At pacem dare ejuſmodi Eccleſiis, vel datam revocare, non eſt niſi illius qui Juriſdictionem habet.

In

In Libro de pudicitia, quamquam in hæreſim lapſus & Romanum Pontificem impugnans, veritati nihilominus teſtimonium perhibet, cùm Romanum Epiſcopum, Pontificem Maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum tunc appellatum fuiſſe ſignificat. *Audio*, inquit cap. 1. *eſſe Edictum propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex Maximus, quod eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto.* Ad quæ Tertulliani verba hæc ſcitè Illuſtriſſimus Albaſpinæus: *Quacumque*, inquit, *ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, seriò vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum poteſtatem fuiſſe de rebus fidei Judicia peremptoria ferre, & totius Orbis Epiſcopos monere atque docere, quis non agnoſcit? Eoque magis, quòd unus Tertullianus, jam hereſi implicitus, de hac re, cæteris Eccleſiæ Epiſcopis non reluctantibus, conqueratur. Nam de his rebus eum oppugnando, conjecturam facit, ea tempeſtate id juris Romanis Epiſcopis conceſſum fuiſſe, eoſque revera hanc poteſtatem exercuiſſe.* Hactenus Doctiſſimus & Illuſtriſſimus Albaſpinæus. Pa. 555. A. B.

Sanctus Cyprianus Epiſtolis 42. & 45. Eccleſiam Romanam cæterarum omnium radicem & matricem agnoſcit, & R. Pontificem ut vinculum ſacerdotalis Collegii, & unitatis centrum veneratur: quæ certè intelligi non poſſunt, niſi primatum habeat non tantùm honoris, ſed etiam Juriſdictionis. Unde Epiſtola 55. quæ eſt ad Cornelium, loquens de quibuſdam Hæreticis, *Navigare*, inquit, *audent, & ad Petri Cathedram, atque ad eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, (quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Et in Epiſtola 67. ad Stephanum in cauſa Martiani Epiſcopi Arelatenſis qui ad partes Novatiani tranſierat, rogat Pontificem Romanum ut pro ſua auctoritate ſcribat ad Epiſcopos Gallicanos, & injungat ipſis, ut à ſua communione Martianum ejiciant. *Dirigantur*, inquit, *in Provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te Litteræ, quibus abſtento Martiano, alius in locum ejus ſubſtituatur.* Ob. an. 258. Pa. 84. P. 111.

Sanctus Ambroſius Epiſtola 78. ad Theophilum Alexandrinum, cui Capuana Synodus provinciam commiſerat judicandi de Eccleſiæ Antiochenæ diſſidiis. In ea ſcilicet Epiſtola agnoſcit ſanctus Doctor, Theophilum Judicii ſui relationem ad Sedem Apoſtolicam mittere debere, & nullius fore roboris prolatam ab illo ſententiam, niſi à Pontifice Romano probetur. Ob. an. 397. To. 2. p. 2037. D.

Sanctus Optatus Lib. 2. contra Parmenianum dicit quinque eſſe Eccleſiæ Catholicæ dotes, ac primam eſſe unicam & ſingularem Petri Cathedram, in qua ab omnibus ſervari debet unitas. Eam verò ſingularem Cathedram, non ſolùm Petri, ſed etiam ſucceſſorum eſſe oſtendit, enumerans Romanos Pontifices uſque ad Siricium, & tandem concludit n. 6. *Igitur de dotibus ſupradictis Cathedra eſt prima, quam probavimus per Petrum noſtram eſſe.* Ob. an. 370. P. 321.

Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum quæ eſt n. 14. aliàs 57. *Ego*, inquit, *nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluvio.* Et poſteà: *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, antichriſti eſt.* To. 4. p. 2. p. 19. Pa. 20.

Ob. an. 430. To. 2. p. 700. B. Sanctus Auguſtinus Epiſtola 190, aliàs 157. *Me*, inquit, *apud Cæſaream præſente venerunt, quò nos injuncta nobis à Venerabili Papa Zozimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat*. An porrò injungere potuiſſet Zozimus Africanis Epiſcopis ut ad Concilium venirent? An parendum neceſſariò exiſtimaſſet S. Auguſtinus, niſi agnoviſſet univerſalem Epiſcopi Romani Juriſdictionem? Ibid. p. 91. E. Epiſtola 43. aliàs 162. *In Romana*, inquit, *eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus*.

Ob. an. 456. P. 119. Sanctus Proſper in Carmine de ingratis cap. 2. n. 40. hæc habet.

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Ob. an. 533. P. 298. Sanctus Fulgentius Lib. de Incarnatione & gratia Chriſti cap. 11. ubi expoſita fide Eccleſiarum Africæ circa Incarnationem, ſic ait: *Quod duorum magnorum luminarium, Petri ſcilicet Paulique verbis, tanquam ſplendentibus radiis illuſtrata eorumque decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen eſt) tenet & docet eccleſia, totuſque cum ea Chriſtianus orbis.*

Ob. an. 434. Vincentius Lirinenſis in Commonitorio 1. adversùs hæreſes cap. 5. loquens de conſtantia ac gravitate qua Stephanus S. P. reſtitit Cypriano & aliis Orientalibus in cauſa Baptiſmi ab Hæreticis collati: Biblioth. PP. T. 7. par. 251. H. *Tunc*, inquit, *beatæ memoriæ Stephanus Apoſtolicæ Sedis Pontifex, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum ut opinor exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantùm loci auctoritate ſuperabat.*

Denique ſanctus Bernardus Lib. 2. de Conſideratione ad Eugenium cap. 8. Ob. an. 1153. To. 1. p. 422. A. *Age*, inquit, *indagemus diligentiùs qui ſis, quam geras pro tempore perſonam in eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cœli janitores, & gregum paſtores: ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hereditaſti. Habent illi aſſignatos ſibi greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor.*

Plura qui voluerit teſtimonia, Bellarminum adeat Lib. 2 de Romano Pontifice cap. 16. Coccium in theſauro, & præſertim Cardinalem Perronium in Reſponſione ad Regem magnæ Britanniæ cap. 25. ubi longam texit exemplorum ſeriem, in quibus Romanus Pontifex Juriſdictionem ſuam in cæteros Epiſcopos ſemper exercuiſſe legitur.

Summi Pontifices.

Antiquiores dumtaxat aliquos & ſpectandæ virtutis referemus, qui hanc primatus Juriſdictionem, non improbante Eccleſia, exercuerunt.

Victor R. Pontifex in celeberrimo negotio celebrandi Paſchatis, poſt varias ex utraque parte diſputationes, poſt varia Concilia, cùm intelligeret Orientales ſuæ traditioni tenaciùs addictos eſſe, tandem eos excommunicavit, ut volunt plurimi, aut ſaltem, ut aliis videtur, minas excommunicationis intentavit, niſi Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem amplecterentur;

quod

quod perinde eſt ad cauſam quam agimus: argumentum enim eſt manifeſtum Juriſdictionis in illos Orientales Epiſcopos; neque enim SS. Patres qui tunc temporis florebant, hanc Victoris auctoritatem negarunt. Hinc ſanctus Irenæus in Epiſtola ad Victorem, quam refert Euſebius Lib. 5. Hiſt. cap. 24. hortans ne tot Eccleſias à corpore Eccleſiæ Chriſti amputaret, ſupponit eas potuiſſe præſcindi, adeoque Juriſdictionem aliquam agnovit in Epiſcopo Romano, quæ aliis non conveniret.

Stephanus in controverſia de rebaptiſandis Hæreticis, Firmiliano & Orientalibus, Cypriano & Africanis ſtrenuè obſtitit, eoſque excommunicavit, aut ſaltem abſtinendos cenſuit. At quomodo alterutrum præſtare potuiſſet, niſi auctoritatem habuiſſet excommunicandi? Aut ſaltem quomodo nullus uſurpatam ab ipſo Pontifice auctoritatem obſervaſſet & conqueſtus fuiſſet?

Aliud primatus inſigne argumentum eluxit in Stephano, in cauſa Martiani Arelatenſis, de qua paulò antè, ubi teſtimonia ſancti Cypriani referebamus.

Julius in cauſa S. Athanaſii Patriarchæ Alexandrini, Pauli Conſtantinopolitani, Marcelli Ancyrani, & Aſclepæ Gazenſis, quos Orientales depoſuerunt, eos pro ſua auctoritate Sedibus ſuis reſtituit, ut refert Sozomenus Lib. 3. Hiſt. cap. 8. *Epiſcopus igitur Romanus*, inquit, *cùm ſingulorum cauſas cognoviſſet, omneſque in Nicenæ fidei doctrinam conſentientes reperiſſet, tanquam idem cum ipſo ſentientes, in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam cuique eccleſiam reſtituit. Scripſit etiam Orientalibus Epiſcopis, reprehendens eos quòd in ſupradictorum cauſis non rectè judicaſſent, & quòd Eccleſiarum ſtatum turbarent, eò quòd decretis Concilii Niceni minimè acquieſcerent. Simulque paucos ex illorum numero ad conſtitutum diem adeſſe juſſit, qui docerent juſtam ab ipſis prolatam fuiſſe ſententiam: minatuſque eſt ſe in poſterum non paſſurum, niſi à novandi ſtudio abſiſterent.* Idem narrat Socrates Lib. 2. Hiſt. cap. 15. *Ille*, (nempè Julius) inquit, *quæ eſt Romanæ Eccleſiæ prærogativa, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remiſit, ſingulis Sedem ſuam reſtituens; ſimulque perſtringens illos qui ſupradictos Epiſcopos temerè depoſuiſſent.* Revera narrat ibidem Orientales valdè id improbaſſe, & acerbiori ſtylo ad Julium ſcripſiſſe, quaſi hujuſce cauſæ cognitionem ac Judicium ad ſe trahere non potuiſſet. Verùm quid aliud ſperes ab Hæreticis factioſis, qui poſtpoſita ſemel Eccleſiæ auctoritate, ipſius etiam Caput viſibile facilè contemnunt?

Ed. Valeſ. pa. 507. C.

Ed. Valeſ. pa. 91. C.

Non expendo hìc an appellaverit Athanaſius ad Julium: ſatis eſt in præſentiarum oſtendiſſe, Romanum Pontificem Juriſdictionem aliquam in alios Epiſcopos exercuiſſe.

Liberius Euſtathii Sebaſteni cauſam cognovit. Fuerat ille in Concilio Melitinenſi in Armenia depoſitus, Romam confugit, Litteras à Liberio, quibus reſtitueretur, accepit. Rem totam narrat ſanctus Baſilius Epiſtola 74. ad Occidentales Epiſcopos de Euſtathio Sebaſteno data.

To. 2. p. 873. & ſeq.

Cœleſtinus I. in cauſa Neſtorii partes egit Paſtoris univerſalis. Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in hæreſim labitur. Certior factus de ejus impietate Cœleſtinus R. Pontifex, vices ſuas committit Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, ut eum communione & Epiſcopatu privaret, ſi fuerit in

errore propugnando pertinax. Quamobrem, inquit Cœleſtinus in Epiſtola ad Cyrillum, qua refertur parte 1. Conc. Epheſini n.15. *Noſtræ Sedis auctoritate adſcita, noſtraque vice & loco cum poteſtate uſus, ejuſmodi non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequeris; nempè ut niſi decem dierum intervallo ab hujus noſtræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam ſuam conceptis verbis anathematiſet....illico Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat. Is verò modis omnibus ſe à noſtro corpore ſegregatum eſſe intelligat*. Et in Epiſtola ad ſanctam Epheſinam Synodum parte 3. Conc. Epheſ. ſic habet: *Longiùs quidem ſumus poſiti; ſed per ſollicitudinem totum propiùs intuemur. Omnes habet B. Petri Apoſtoli cura præſentes*.

Tom. 3. Conc. p. 349. A.

Ibid. p. 1071. B.

Innocentius I. tùm in cauſis fidei, tùm in rebus diſciplinam ſpectantibus juriſdictione & auctoritate Sedis ſuæ uſus eſt.

In cauſis fidei: Cùm accepiſſet Africanorum Conciliorum Relationes circa hæreſim Pelagii & Cœleſtii, palmares duos illorum Hæreticorum errores damnavit, duoque Catholica dogmata his oppoſita definivit; alterum de neceſſitate gratiæ, alterum de Baptiſmo infantium propter peccatum originale. Dixit anathema in eos qui utrumque dogma impugnarent. Conſtant iſthæc ex Reſponſis Innocentii ad præfatas Africanorum Litteras. Acceptis autem Innocentii Reſcriptis, *cauſa finita eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus Sermone 2. de verbis Apoſtoli nunc 132.

In cauſis Diſciplinæ non minùs ſuam auctoritatem demonſtravit Innocentius. Habemus enim ejus Reſcripta ad conſultationes Epiſcoporum Italiæ, Hiſpaniæ, Illirici, & Galliæ, quibus propoſita circa Diſciplinam dubia diſſolvit.

S. Leo re & cognomento Magnus, innumeris in locis primatus ſui argumenta ſuppeditat, cùm nempè in Græcos, Aſiaticos, Ægyptum & Africam ſuam exercuit Juriſdictionem. Epiſtola 12. aliàs 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem ſic loquitur: *Sicut prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis: ita etiam ego dilectioni tuæ priorum ſequutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi: ut curam, quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares, & longinquis à nobis Provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes*. Et rurſus ibid. *Vices*, inquit, *noſtras ita tuæ credimus charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Legenda eſt 60. Epiſtola ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, 92. ad Maximum Patriarcham Antiochenum, 1. ad Epiſcopos Africæ, & ea quam ſcripſit ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, ubi teſtatur innumeris conſultationibus ad Sedem Romanam confugiſſe Gallos, cùm aliquid dubii patiebantur circa fidem ac mores.

To. 2. p. 438.

P. 440.

Sanctus Gregorius Magnus totius Eccleſiæ Caput & præfectum ſe non minùs disertè profitetur, quàm S. Leo & alii Pontifices jam laudati; quemadmodum intelligi poteſt ex Epiſtola 52. aliàs 37. Lib. 2. ad Natalem, ubi ſic eum alloquitur: *Poſtquam ad beatitudinem veſtram, & deceſſoris mei & mea, in cauſa Honorati Archidiaconi Scripta directa ſunt, tunc contempta utriuſque ſententia, præfatus Honoratus proprio gradu privatus eſt. Quod ſi quilibet ex quatuor Patriarchis feciſſet, ſine graviſſimo ſcandalo tanta contumacia tranſire nullomodo potuiſſet*. Quibus certè verbis ſanctus Gregorius quatuor

To. 2. p. 618. E.

tuor magnis Patriarchis Conſtantinopolitano ſcilicet, Alexandrino, Antiocheno, & Jeroſolymitano ſuperiorem ſe declarat. Et Lib.9. Epiſtola 12.ad
Joannem Epiſcopum Syracuſanum aliàs Lib. 7. Epiſt. 64. *De Eccleſia*, inquit, *Conſtantinopolitana quod dicunt, quis dubitet eam Apoſtolicæ Sedi eſſe ſub-* To.2.p. 941.A.
jectam? Quod & Domnus piiſſimus Imperator & frater noſter ejuſdem civitatis B.
Epiſcopus aſſiduè profitentur.

Quin & ipſe Joannes Conſtantinopolitanus qui *Univerſalis* Epiſcopi nomen ambitioſiùs uſurpaverat, eamque ob cauſam gravem habuit cum Gregorio diſputationem, ipſe, inquam, Joannes ſe Gregorio ſubditum agnovit, cujus Judicio in cauſa Joannis Presbyteri acquievit: de quo extat Epiſtola S. Greg. 52. Lib.2. & 64. Vide Baron. ad annum 595. Nullum denique, ut obſervat ibidem Hiſtoricus, Pontificatus ſui annum tranſegit S.ille Pontifex, quem aliquo inſigni ſui primatus argumento non illuſtraverit.

Nicolaus I. Epiſtola 8. ad Michaelem Imperatorem: *Eccleſiæ Romanæ*, in-
quit, *privilegia Chriſti ore in Beato Petro firmata, in eccleſia ipſa diſpoſita, an-* Tom 8. Conc.p.
tiquitùs obſervata, & à ſanctis Univerſalibus Synodis celebrata, atque à cun- 314.B.
cta eccleſia jugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non valet Ibid.C.
amovere conatus.... Iſta ergo privilegia huic ſanctæ Eccleſiæ à Chriſto donata, à Synodis non donata, ſed jam ſolummodo celebrata & venerata.

Idem Nicolaus I. Photium in Sedem Conſtantinopolitanam, vivente adhuc legitimo Patriarcha Ignatio, intruſum, ſic alloquitur, ac Sedis Romanæ primatum commendat: *Quia*, inquit, *univerſitas credentium ab hac ſanctâ* Ibid. p.
Romana Eccleſia, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integri- 283.C.
tatem fidei depoſcit, criminum ſolutionem, qui digni ſunt, & gratia Dei redempti, exorant; oportet nos, quibus commiſſa eſt, ſollicitos eſſe &c. Et poſteà: *Conſtat*
ſanctam Romanam Eccleſiam per B.Petrum principem Apoſtolorum, qui Dominico Ibid.D.
ore primatum Eccleſiarum ſuſcipere promeruit, omnium Eccleſiarum Caput eſſe, & ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus & Eccleſiaſticis inſtitutionibus, quas ſecundùm Canonicas & Synodicas SS. Patrum Sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere ac ſectari.

Denique, ut cæteros omittam, Joannes VIII. in Concilio Romano an.877. Tom.9. Conc.p.
Romana Eccleſia, inquit, *eſt Magiſtra, Mater & Caput Eccleſiarum.* 297.C.

Ad hæc teſtimonia per modum coronidis accedat præſcripta à Pio IV. Pontifice Maximo hæc profeſſionis fidei formula, totius Orbis Chriſtiani reverentia conſecrata: *Agnoſco Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram; Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.*

Adversùs tot & tam præclara ſanctiſſimorum Pontificum teſtimonia præſcribi poſſe putant Novatores, hac generali reſponſione, quòd nempè nemo in propria cauſa poſſit eſſe teſtis legitimus. Id quidem verum, ubi de privata alicujus cauſa agitur; ſed ubi de cauſa publica fidei, ubi de interpretatione inſtitutionis à Chriſto factæ, ubi de juribus primæ Sedis, certè non modò teſtes, ſed & judices ſunt Romani Pontifices, quibus certa fides haberi debet, præſertim cùm tota ſuffragatur Eccleſia, ſicut in præſenti negotio revera ſuffragatur. Non enim legimus aliquos Epiſcopos hanc le-

Digitized by Google

gitimam primatus prærogativam Romano Epiſcopo denegaſſe. Quin Imperatores ipſi illam agnoverunt, & ab omnibus agnoſcendam, tanquam vindices Religionis ac Eccleſiæ Protectores, ſuis Edictis decreverunt.

Imperatores.

Aurelianus Imperator domum Patriarchæ Antiocheni, quam Paulus Samoſatenſis à duplici Synodo proſcriptus & exauctoratus Domno Patriarchę ſuum in locum canonicè ſubſtituto dimittere nolebat, illi tradi juſſit, cui Romanus Epiſcopus cum Italiæ Epiſcopis eam adjudicaret. Ita refert Euſebius Lib. 7. Hiſt. cap. 30.

Pagina 282. D.

Theodoſius & Valentinianus Imperatores de primatu Romanæ Sedis ſic loquuntur: *Cùm igitur Sedis Apoſtolicæ primatum S. Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ & Romanæ dignitas civitatis, ſacræ etiam Synodi firmavit auctoritas.*

Tom. 4. Conc. p. 51. E.

Valentinianus in Epiſtola ad Theodoſium: *Quatenus*, inquit, *beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit.*

Juſtinianus Novella 131. titulo 14. cap. 2. *Sancimus ſecundùm Eccleſiaſticarum definitiones ſanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos novæ Romæ, ſecundum locum habere poſt ſanctam Apoſtolicam Senioris Romæ Sedem, aliis autem omnibus Sedibus præponatur.* Alia ejuſdem Imperatoris in rem eandem ſtatuta laudat Baronius To. 7. ad an. 533. (pag. 202.)

Ad hæc accedit, & ipſa Gallorum erga Romanum Pontificem innata veluti pietas ac reverentia.

Senatus Pariſienſis in celebri declaratione circa Libertates Eccleſiæ Gallicanæ, facta Ludovico XI. an. 1461. ſic loquitur ore Clariſſimi DD. Loſelier: *Proteſtatur Curia veſtræ Majeſtati, ſe nullo modo propter quæcumque inferiùs dicenda, excellentiæ, ſanctitati, dignitati, honori, & auctoritati noſtri S. Patris Papæ, ſanctæque Sedi Apoſtolicæ derogare; ſed è contra ei honorem, reverentiam & obedientiam quam omnes boni fideles Catholici ſupremo Eccleſiæ Paſtori præſtare tenentur. Proteſtans inſuper, ſi quid dictum factumque à ſe fuerit, quod correctione egeat, iſtud totum velle ſe omninò Eccleſiæ ſanctæ, Apoſtolicæ & Romanæ determinationi ſubmittere, quæ errare non poteſt*, juxta Can. Recta. 24. q. 1.

Libertès de l'Egliſe Gallicane, pag. 29. Edit. in fol.

Univerſitas Pariſienſis coram Clemente VII. perorante Petro de Alliaco, magno Regiæ Navarræ Moderatore, tùm Cardinale Eminentiſſimo, circa prærogativam Romani Pontificis & Apoſtolicæ Sedis, mentem ac ſententiam declaravit his verbis: *Hæc eſt fides, Beatiſſime Pater, quam in Catholica Eccleſia didicimus, in qua ſi minùs peritè, ac parum cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari petimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Non ignoramus enim, ſed firmiſſimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd ſancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, ſuper quam fundata eſt eccleſia .... De qua Sede in perſona Petri Apoſtoli in ea ſedentis dictum eſt: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hæc eſt igitur ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis deteſtatio maximè pertinet.*

Tom. 4. Hiſtor. Univ. Par. ad annum 1387. p. 127.

Neque

Quanquam verò Romani Pontificis & Apoſtolicæ ſe[illegible]tatem ac præeminentiam lubentiſſimè fateantur Galli: nihilominu[illegible]tibus ſuis manere poſſe contendunt: Verſantur illæ in duobus genera[illegible]itibus, quę legitimam primæ Sedis auctoritatem non lædunt.

Primum eſt, Romanum Pontificem nihil omninò poſſe in res noſtrorum Regum temporales; nec teneri eorum ſubditos illi obtemperare, ſi fortè ab iis quidquam exigeret, quod huic ſupremæ in temporalibus auctoritati adverſaretur. *Libertès de l'Egl.Gall. pag.5.*

Secundum, quòd, etſi Summus Pontifex in rebus Spiritualibus ſupremus ſit, poteſtas nihilominus abſoluta & illimitata apud nos locum non habeat, ſed regulis ac Canonibus ab antiquis Conciliis ſtatutis & confirmatis, atque apud nos receptis, retineatur ac coarctetur. Et in hoc maximè conſiſtit Libertas Eccleſiæ Gallicanæ, ajebat Univerſitas Pariſienſis, cùm intercedebat, ne Bullæ, quibus Cardinalis d'Amboiſe Legatus apud Gallos nominabatur, reciperentur.

Ex duplici illo quaſi trunco ſubnaſcuntur nonnulli ramuſculi circa variam apud nos in rebus ſeu temporalibus, ſeu ſpiritualibus tractandis diſciplinam, licet etenim unicuique Eccleſiæ privatam ſuam retinere diſciplinam. *Placuit ſanctę, & Oecumenicę Synodo*, ajunt Patres Concilii Epheſini an.431. in Decreto, *ut unicuique Provinciæ pura & inviolata, quæ jam ab initio habuit, ſua jura ſerventur, juxta veterem conſuetudinem. Unaquæque Provincia*, ait S. Hieronymus Epiſtola 52. aliàs 28. *abundet in ſuo ſenſu; & præcepta majorum, leges Apoſtolicas arbitretur.* Sanctus denique Gregorius Epiſt.43. aliàs 41. Lib.1. *In una fide nihil officit Eccleſiæ conſuetudo diverſa.* *To. 3. Conc. p. 801.* *T. 2. p. 532. B.* *To. 4. p. 2. d. 579.*

Denique Illuſtr. Petrus de Marca Gallis in re præſenti haud dubiè non ſuſpectus, ita conciliat ſupremam Romani Pontificis ſeu Apoſtolicæ Sedis auctoritatem cum juribus & Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ. *Tria ſunt potiſſimùm*, inquit de Concordia Lib. 1. cap. 2. *quæ in iſtis Diſſertationibus demonſtranda mihi propoſui. Primum eſt, Eccleſiæ Gallicanæ Libertatem eo præcipuè fundamento niti, ut ſupremam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem & profiteatur & omnibus officiis colat. Alterum, auctoritatis illius uſum à Pontificibus apud nos ita ſemper temperatum fuiſſe, ut & de ſumma Pontificis auctoritate nihil deceſſerit, & Jura Regni, Eccleſiæque Gallicanę vim ſuam obtinuerint ..... Etenim cùm eccleſia Gallicana inter præcipua & illuſtriora eccleſiæ Univerſalis membra cenſeatur, totius verò corporis caput in eccleſia Romana ſit conſtitutum; fieri non poteſt, ut veræ Eccleſiæ libertatibus fruatur, niſi capitis hujus communioni inſerta ſit. Retineri autem communio illa non poteſt, niſi officiis illis caput excolatur, quę principatui Apoſtolicæ Sedis nemo ſanus unquam negaverit. Docendum itaque eſt, Gallos ab ipſis eccleſię primordiis, uſque ad noſtram ætatem, & communionis eccleſiaſticæ originem in Cathedra Petri conſtituiſſe; & ſupremam eccleſiæ auctoritatem huic Sedi collatam ſemper coluiſſe, juxta varios illos gradus, quibus eam pro bono publicę diſciplinę, temporis ratione habita, Pontifices Romani explicare conſueverunt.* Hactenus Illuſtr. de Marca. *Pag. 6. col. 2.* *Pag. 7. col. 2.*

Nemo neſcit ſacram Facultatem Pariſienſem in aſſerenda Sedis Apoſtolicæ dignitate ac præſtantia ſtrenuè pro data occaſione ſe geſſiſſe, cujus rei præclara, & inſignia retulimus argumenta Tomo 1. de Deo ac divinis Attri-

butis

butis pag[illegible]em tamen Facultas, illæſa, quæ Pontifici Romano debetur, reve[illegible]ura Imperii, & Libertates Gallicanæ Eccleſiæ ſervandas eſſe declar[illegible]o 1663. his ſex articulis.

1. *Non eſſe doctrinam Facultatis, quòd Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſſimi auctoritatem habeat; imò Facultatem ſemper obſtitiſſe etiam iis qui indirectam tantummodò eſſe illam auctoritatem voluerunt.*

2. *Eſſe doctrinam Facultatis ejuſdem, quòd Rex Chriſtianiſſimus nullum omnino agnoſcit nec habet in temporalibus ſuperiorem præter Deum, eamque ſuam eſſe antiquam doctrinam; à qua nunquam receſſura eſt.*

3. *Doctrinam Facultatis eſſe, quòd ſubditi fidem & obedientiam Regi Chriſtianiſſimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu diſpenſari poſſint.*

4. *Doctrinam Facultatis eſſe, non probare, nec unquam probaſſe propoſitiones ullas Regis Chriſtianiſſimi auctoritati, aut germanis Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: verbi gratia, quòd S. Pontifex poſſit deponere Epiſcopos adversùs eoſdem Canones.*

5. *Doctrinam Facultatis non eſſe, quòd S. Pontifex ſit ſupra Concilium Oecumenicum.*

6. *Non eſſe doctrinam vel dogma Facultatis, quòd S. Pontifex, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, ſit infallibilis.*

Regio juſſu dicta ſacræ Facultatis declaratio in publicis omnium Tribunalium tabulis inſcripta fuit, atque Decreto ſupremi Senatus Pariſienſis dato die 30. Maji an. 1633. omnibus tam Magiſtris, quàm Baccalaureis facta inhibitio, ne ullum ex prædictis articulis impugnare aut rejicere audeant.

Probatur ſecunda pars Concluſionis, nempe illum Romani Pontificis primatum juris eſſe divini. Quia nempe ille in quem ſancti Petri auctoritas velut in ſucceſſorem transfuſa eſt, primatum obtinet jure divino ſupra alios Epiſcopos & univerſos fideles. Quamquam enim, ut exponemus modò, ratio propter quam Epiſcopus Romanus S. Petro ſuccedat, oriatur ex facto S. Petri, qui Romæ potius Sedem fixit & diem ſupremum obiit, quàm alibi, (quod certè factum non divinum, ſed humanum eſt,) ipſa tamen ſucceſſio in Pontificatum Petri ex inſtituto Chriſti eſt. Atqui S. Petri auctoritas in Romanum Pontificem velut in ſucceſſorem & hæredem transfuſa eſt: nullus quippè eſt qui ſe Petri ſucceſſorem ullo modo aſſeruerit, vel pro tali habitus ſit, præter Romanum & Antiochenum Epiſcopum. Atqui Antiochenus non ſucceſſit Petro in Pontificatu Eccleſiæ totius; nam non ſucceditur niſi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, ideſt depoſitionem, vel renunciationem: Petrus autem adhuc vivens & Pontificatum gerens, Antiochenam Eccleſiam reliquit, & Romæ Sedem ſuam fixit. Unde Innocentius I. Epiſt. 18. ait, *quòd Eccleſia Antiochena Urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa jam tranſitu meruit, iſta ſuſceptum* (B. Petrum) *apud ſe conſummatumque gauderet.* Ergo ſolus Romanus Pontifex qui Petro in Urbe Roma morienti ſucceſſit, eidem in tota ipſius dignitate & poteſtate ſucceſſit: ſed poteſtas illa & dignitas Petri juris eſt divini; ergo & poteſtas R. Pontificis.

To. 2. Conc. p. 1269. A.

Inde eſt quòd SS. Patres dicant 1. Sedem Romanam eſſe Sedem & Cathe-

thedram Petri. Ita ſanctus Cyprianus Epiſtola 52. & 55. Optatus Milevitanus Lib.2. contra Parmenianum n.3. *Cathedra unica eſt*, inquit, *quę eſt prima de dotibus .... Sedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens &c.* S.Hieronymus Epiſtola 14. aliàs 57. ad Damaſum. *Beatitudini tuę*, inquit, *id eſt Cathedrę Petri conſocior.*

2. Beatum Petrum Sedi Romanæ adhuc præſidere, in ea vivere, judicare, (in perſona ſcilicet ſuorum ſucceſſorum.) Ita S. Petrus Chryſologus Epiſtola ad Eutychetem relata 1. parte Conc. Chalced. n.15. ubi hortatur hunc hæreticum ut Romano Pontifici pareat, *Quia*, inquit, *B.Petrus in ejus Sede & vivit, & pręſidet, & pręſtat quęrentibus fidei veritatem.*

Ita Philippus Sedis Apoſtolicæ in Conc. Epheſino Legatus Actione 3. ſic interloquitur: *Nulli*, inquit, *dubium eſt, quòd S. Petrus .... à Domino claves regni acceperit .... qui ad hoc uſque tempus & ſemper in ſuis ſucceſſoribus vivit & judicium exercet. Hujus itaque ſecundùm ordinem ſucceſſor & locum tenens Beatiſſimus Papa noſter &c.*

3. In Romana Eccleſia Apoſtolicæ Cathedræ vigere principatum. Ita S. Auguſtinus Epiſtola 162. nunc 43. Et Epiſtola 92. nunc 176. ad Innocentium, nomine Concilii Milevitani, dicit, *ejus auctoritatem ex Scripturis ſanctis depromptam eſſe, adeoque ejus definitioni faciliùs ceſſuros, qui perversè de gratia Chriſti ſentiunt.*

4. Denique ajunt, Petrum per Romanum Pontificem loqui. Ita imprimis Patres Chalcedonenſes qui S.Leonis Epiſtolam ſolemni judicio comprobarunt: *Petrus*, inquiunt, *per Leonem loquutus eſt.* His omnibus ex antiquitate depromptis teſtimoniis accedat & auctoritas Cleri Gallicani, & doctrina Sacræ Facultatis Pariſienſis.

Clerus Gallicanus in Conventu Pariſiis habito Menſibus Martio & Majo anni 1681. de R.Pontifice ſic loquitur: *Caput eſt eccleſia, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis & juriſdictionis ſibi à Chriſto Jeſu in perſona S. Petri collatum: qui ab hac veritate diſſentiret, ſchiſmaticus, imò & hęreticus eſſet.* Et in Declaratione facta in Comitiis anni 1682. ſic rurſus loquitur Clerus Gallicanus: *In fidei quęſtionibus pręcipuę S. Pontificis partes ſunt, ejuſque Decreta ad omnes & ſingulas eccleſias pertinent.*

Sacra Facultas Pariſienſis ſingularem ſemper erga R. Pontifices profeſſa eſt reverentiam ac religionem. Anno 1542. in ſua celebri contra Lutherùm Cenſura hunc 23. habet Articulum: *Nec minùs certum eſt, unum eſſe jure divino ſummum in eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* Anno 1617. in Cenſura contra Spalatenſem dicit, *propoſitionem qua ille aſſeruerat Romanam eccleſiam jure divino auctoritatem in alias eccleſias non habere, hęreticam eſſe & ſchiſmaticam.* Anno 1657. in quemdam primi ordinis Baccalaureum, cui minùs cautè in ipſo diſputationis æſtu aliquid exciderat, quod primatum R.Pontificis imminuere videbatur, inſurrexit & ad revocandam ſententiam coegit. Denique, ut alia plura ſileamus, anno 1683. occaſione alicujus propoſitionis à Senatu ampliſſimo Pariſienſi ad ſe miſſæ, ut doctrinale ſuum judicium emitteret, in qua de Romano Pontifice agebatur, ita cenſuit in ipſa Cenſuræ præfatione priùs eſſe mentem ſuam aperiendam: *Cùm in ipſa*, inquit ſacer Ordo, *propoſitione de Romano Pontifice ſit ſermo, cujus jura non modò illęſa eſſe ubique voluit Facultas, ſed & qua-*

quaque occaſione data religioſè venerata eſt, expoſuit copioſè, ſtrenuè defendit, antiquæ ſuæ in Sedem Apoſtolicam reverentiæ eſſe duxit hìc brevi de ea præfari, diſertèque repetere, quod olim non ſemel profeſſa eſt, Romanum Epiſcopum eſſe jure divino ſummum in eccleſia Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere teneantur; & qui immediatè à Chriſto non honoris ſolùm, ſed poteſtatis ac juriſdictionis primatum habeat in tota eccleſia.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionis partem, ſilentium S. Pauli qui cùm Epheſ.4. v.11. & 1. Corinth. 12. v. 28. varios Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus enumeraſſet, nullam omninò mentionem facit capitis alicujus externi, cui præ cæteris honoris & juriſdictionis primatus conveniat.

Reſp.1. argumentum negativum parum habere ponderis, cùm non deſint poſitiva, ut hìc profectò non deſunt.

Reſp. 2. Apoſtoli ſcopum non eſſe citatis in locis omnes Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradus recenſere. Meminit etenim Prophetarum, Evangeliſtarum, Doctorum, Virtutum &c. quibus certè neceſſariò non conſtat Eccleſiaſtica Hierarchia: Hæc enim ſub ſupremo capite Chriſto in æternum iiſdem in gradibus eſt perſeveratura; jam dudum autem deſiere apud nos Prophetæ, Evangeliſtæ &c. Agit ergo dumtaxat Apoſtolus locis citatis, de variis chariſmatibus, quibus primi Miniſtri Evangelii inſtructi fuerunt ad fidem Chriſti faciliùs propagandam ac dilatandam.

Reſp. 3. unitatem Capitis Eccleſiæ colligi etiam poſſe ex Apoſtolo, cùm nempè ait, *unum nos corpus eſſe, & unum ſpiritum*: qua enim ratione poſſet unum corpus concipi, niſi intelligatur in eo unum caput eſſe, quod membris præſideat? Illud verò caput eſſentiale, inviſibile, primarium Chriſtus eſt; miniſteriale verò, ſecundarium, externum ac viſibile eſt S. Pontifex. Cùm enim Eccleſia ſit corpus viſibile, neceſſe eſt ipſius caput viſibile & externum agnoſcere: neque magis in injuriam Chriſti Capitis eſſentialis Eccleſiæ redundat, quòd S. Pontifex ſit & agnoſcatur Caput miniſteriale, quàm in ejuſdem Chriſti ſupremi animarum noſtrarum Paſtoris & Epiſcopi injuriam redundet, eſſe aliquos Paſtores, Epiſcopos, Doctores. Quid ita? Quia ſua ſemper Chriſto ſervatur primaria ac ſuprema auctoritas, cujus nos miniſtri dumtaxat ſumus, legibus ab ipſo poſitis aſtricti: *Sic nos exiſtimet homo*, ait S. Paulus 1. Cor.4. v.1. *ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Quibus certè legibus non tenetur ipſe Chriſtus, ſicut nos tenemur.

Objicies 2. auctoritatem S. Cypriani pluribus in locis.

I. In Lib. de Unitate Eccleſiæ diſertè ait, *omnes Apoſtolos pari conſortio honoris & dignitatis præditos fuiſſe....Unum eſſe Epiſcopatum cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*. p.180.

II. Negat inter Epiſcopos aliquem poſſe dici Epiſcopum Epiſcoporum: negat aliquem eſſe ad quem pertineat cæteros judicare in cauſis fidei, qualis erat celebris quæſtio de rebaptiſandis Hæreticis, de qua cum Stephano Romano Pontifice tunc temporis contentioſè diſputabat. Imò contendit

tendit Epiſcopos in hiſce rebus à ſolo Deo judicari poſſe, cui ſoli tenentur actuum ſuorum reddere rationem; ac Stephano definienti, *nihil eſſe innovandum &c.* durè ac obſtinatè reluctatus eſt. Qua porrò ratione ſtare poteſt hæc agendi ratio cum idea primatus in Romano Pontifice, qualem hìc propugnamus? Primatus enim ille juriſdictionem involvit & auctoritatem cui ſaltem proviſoriè parendum eſt ab omnibus Chriſtianis, donec Eccleſia aliud ſtatuerit: at tantùm abeſt ut Stephano paruerit Cyprianus, quin acriori & acerbiori ſtylo in eum invehitur; non igitur agnovit in ipſo primatum Juriſdictionis. Conſtant iſta ex verbis S. Doctoris quæ referuntur in præfatione tertii Concilii Carthaginenſis, cui adfuere Epiſcopi 87. an. 256. ex Provinciis Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, quique Cypriani ſententiam approbando, ſuam fecerunt. *Supereſt*, ait Cyprianus, *ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit, quando habeat omnis epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum judicare: ſed expectemus univerſi Judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi.* *Tom. 1. Conc. p. 803. C.*

III. Cenſuit S. Cyprianus non eſſe in poteſtate Romani Pontificis Epiſcopum à ſuis Coepiſcopis exauctoratum, Sedi ſuæ reſtituere; unde graviter tulit Baſilidem & Martialem duos Hiſpaniæ Epiſcopos propter crimen idololarriæ depoſitos, à Stephano reſtitutos fuiſſe. *Reſcindere*, inquit Epiſtola 68. ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes, *ordinationem rectè factam non potuit.* *Op. Cyp. p. 112.*

In cauſa quoque Marciani Epiſcopi Arelatenſis contendit ſibi & Coepiſcopis ſuis parem eſſe cum Stephano auctoritatem in ea dijudicanda. *Cui rei*, inquit Epiſtola 67. ad Stephanum, *noſtrum eſt conſulere & ſubvenire, qui divinam clementiam cogitantes & gubernandæ eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus &c.* *p. 110.*

Reſp. ad primum teſtimonium ex Lib. de Unitate Eccleſiæ, nos articulo ſuperiori, ubi de primatu S. Petri, inter objectiones expoſuiſſe quo ſenſu dixerit S. Cyprianus, omnes Apoſtolos pari conſortio honoris & poteſtatis præditos fuiſſe; & unum eſſe Epiſcopatum. Conſule.

Ad ſecundum. 1. non negat abſolutè Cyprianus aliquem eſſe Epiſcopum Epiſcoporum; ſed tantùm aſſerit inter Epiſcopos tertii hujus Concilii Carthaginenſis in quo ſedebat, nullum eſſe, qui ſe Epiſcopum Epiſcoporum faciat, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigat. Obliquè ſcilicet ibi perſtringit ac vellicat Stephanum, qui pro ſua auctoritate, intentata excommunicationis pœna, Epiſcopos rebaptiſantes ab errore revocare tentaverat; & cùm ait Cyprianus, nullum eſſe inter præſentes ſuos Coepiſcopos Epiſcopum Epiſcoporum, non obſcurè ſubindicat, eſſe aliquem in Eccleſia, Stephanum ſcilicet Epiſcopum Romanum, qui ſit Epiſcopus Epiſcoporum; quamquam ejus agendi rationem non approbet.

2. Cùm ait Epiſcopos ab aliis judicari non poſſe, ſed à ſolo Deo, certè mens ipſius non eſt aſſerere nullam eſſe in Eccleſia auctoritatem qua Epiſcoporum

porum Cauſæ judicari poſſint. Ipſemet enim Cyprianus cum ſuis Coepiſcopis multas dijudicavit, ut paſſim conſtat ex ipſius Epiſtolis; ipſe rogavit Stephanum ut Marcianum abſtineret, datis ad Arelatenſes Litteris: vult igitur tantùm in ea quam tunc cum Stephano agitabat, de rebaptiſandis Hereticis controverſia, obſcura, implicata, dubia, circa quam tam varia erat Epiſcoporum & praxis & ſententia, non poſſe quemquam ab alio judicari, ea præſertim ratione, qua fecerat Stephanus, excommunicando ſcilicet eos qui diverſa ſentirent. De rebus dubiis & incertis verba S. Cypriani laudata interpretatur S. Auguſtinus Lib. 3. de Baptiſmo cap. 3. *Opinor utique*, inquit

To. 9. p. 110. D. poſt recitata S. Martyris verba, *in his queſtionibus que nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſe ſunt. Noverat enim quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia varia diſputatione verſabat, liberumque faciebat querendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur.* In his itaque dubiis & obſcuris quæſtionibus, quæ diſciplinam magis quàm fidem ſpectant, qualem fuiſſe controverſiam de rebaptiſandis Hæreticis videtur exiſtimaſſe Cyprianus, in his, inquam, quæſtionibus putabat unicuique ſuam eſſe relinquendam ſentiendi & agendi licentiam, & ſoli Deo judicium eſſe reſervandum.

At, inquies, in rebus obſcuris & controverſis, non in iis quæ certæ ſunt & apertæ, neceſſarium imprimis eſt Superioris Judicium, cui proviſoriè ſaltem ſtandum eſt, donec aliud Eccleſia definierit; & qui huic reſiſtit, reus eſt violatæ ſuperioris auctoritatis, quam aut negat, aut contemnit. Unde ſequitur, Cyprianum Stephani Decreto pervicaciùs obſiſtentem, aut non agnoviſſe primatum ipſius & ſuperiorem auctoritatem, aut eam contempſiſſe.

Reſp. Cyprianum neque negaſſe, neque etiam contempſiſſe Stephani auctoritatem legitimam & Canonicam: at putabat eum ſua abuſum fuiſſe poteſtate, cùm à ſe diſſentientes Epiſcopos in quæſtione tam obſcura & dubia, communione Eccleſiaſtica privandos eſſe cenſuerat: ſuum unicuique in his circumſtantiis permitti debere judicium, ac neminem tyrannico terrore, ut ait, ad obſequendi neceſſitatem eſſe compellendum, volebat. Aliunde verò iſta præoccupatus erat opinione, & ſuam doctrinam tam antiquam eſſe, ut ipſius initium conſignari non poſſet, & erroneam eſſe eam, quam Stephanus tuebatur. Quibus certè in circumſtantiis pronum erat ut Stephano reſiſteret Cyprianus, cum quo tamen pro ſua modeſtia pacem & charitatem ſervavit, ægrè ferens quòd ita ſecum non ageret Stephanus. Non ergo primatum, ſed primatus, ut putabat, abuſum impugnavit Cyprianus; nec exiſtimavit erranti Stephano ſe obtemperare debere. Ex quo id unum rectè colligitur, non eam Cypriano inſediſſe infallibilitatis Pontificiæ ſententiam, quam Recentiores excogitarunt: quamquam diſſimulare non debemus cum S. Aug. Lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. *Cyprianum iratum & paulò commotiorem fuiſſe in Stephanum*, quem duro admodum & acerbo ſtylo perſtrinxit. Verùm, ut ait idem S. Auguſtinus Epiſtola 108. aliàs 255. ſi quid ab eo peccatum fuit ac purgandum, *glorioſa martyrii falce purgatum eſt.*

To. 9. p. 158. E. To. 2. p. 309. C.

Ad tertium: Meritò dixit ſanctus Cyprianus, non potuiſſe Stephanum ordinationem rectè factam, contra Canones Eccleſiæ irritam facere, quomodo dicebat ſanctus Paulus, *ſe nihil poſſe contra veritatem*: unde benè infertur S. Doctori viſum eſſe poteſtatem Summi Pontificis abſolutam & purè monarchicam non eſſe, ſed Canonibus ſubditam & temperatam. Agebatur

batur

batur ſcilicet de Baſilide & Martiali Epiſcopis Hiſpanis, qui legitimo & Canonico Epiſcoporum Judicio propter crimen idololatriæ depoſiti fuerant, aliis in eorum locum ſubrogatis. In locum nempe Baſilidis, Sabinus electus & ordinatus fuerat; Baſilides verò Romam pergens ac Romanum fallens Epiſcopum, ab eo obtinuit ut ordinatio Sabini irrita declararetur, quam non potuiſſe reſcindi à Stephano rei ignaro, ac poſt habito Epiſcoporum Concilio violatiſque regulis Eccleſiaſticis, meritò affirmat ſanctus Cyprianus. *Nec*, inquit, *reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt, quòd Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi ſe injuſtè in Epiſcopatum, de quo fuerat juſtè depoſitus.* *Epiſt. 68. pag. 114.*

Ex quibus, ut jam diximus, inferri rectè poteſt, Summum Pontificem, quamquam inter Epiſcopos primum in Eccleſia, non tamen ſupremum eſſe Monarcham ab omni lege liberum & ſolutum, ſed Canonibus totius mundi reverentia conſecratis aſtrictum ac ſubditum eſſe.

Ad ultimum quod eſt de facto Marciani Arelatenſis, negamus S. Cyprianum exiſtimaſſe ſibi & Coepiſcopis ſuis parem eſſe in judicandis Epiſcoporum Cauſis, auctoritatem. Ex charitate quidem omnes & ſinguli Epiſcopi curam habere debent Eccleſiæ, hoſtes ipſius propulſare, fidei & morum puritati invigilare. Quapropter cùm Marcianus Eccleſiam Arelatenſem Novatiani ſchiſmate & hæreſi inquinare tentaret, pro muneris ſui parte poterat ac debebat Cyprianus huic periclitanti Eccleſiæ ſubvenire; quod fecit monendo & rogando Stephanum, ut curaret deponi ab Epiſcopis Gallicanis Marcianum, & alium in ejus locum ſubſtitui: qua in re agnoſcit apertè ac profitetur ſuperiorem eſſe Stephani auctoritatem, ad quem propter primatum pertinet cura & ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Charitate igitur pares eſſe debent omnes Epiſcopi in ſollicitudine Eccleſiæ habenda; ſed juriſdictione diſpares ſunt, ac inter ipſos Romanus Pontifex ſolus juriſdictionem exercere poteſt in omnes & ſingulas Eccleſias. Citata igitur in Objectione S. Cypriani teſtimonia rectè quidem probant, nec infallibilem eſſe, nec Canonibus aut Eccleſiæ univerſæ ſuperiorem S. Pontificem; ejus verò legitimum primatum nullatenus impetunt.

Objicies 3. Qui primatum & juriſdictionem habet in omnes & ſingulos orbis Chriſtiani Epiſcopos, is meritò dici poteſt Epiſcopus univerſalis: atqui Romanus Pontifex non poteſt dici Epiſcopus univerſalis; ergo &c.

Minor probatur ex S. Gregorio Magno, qui 1. Epiſtola 20. Libri 5. aliàs 32. Libri 4. Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham inſectatur, quòd ſe Epiſcopum univerſalem diceret, aitque iſtud eſſe *blaſphemiæ nomen*. Et Epiſtola 18. aliàs 38. appellat nefandum & profanum tumorem erroris, nomen ſtultum, ac ſuperbum vocabulum, præſumptionem temerariam qua turbatur pax Eccleſiæ. *To. 2. p. 749. A. Ibid. p. 741. & ſeq.*

2. Epiſtola 43. aliàs 36. ait nullum è ſuis deceſſoribus Epiſcopis Romanis tam profano vocabulo uſum fuiſſe. Idem repetit Epiſtola 18. mox citata, quamvis agnoſcat à Synodo Chalcedonenſi titulum hunc Romano Epiſcopo datum fuiſſe. *Numquid non*, inquit, *ſicut veſtra Fraternitas novit*, (alloquitur Joannem Epiſcopum Conſtantinopolita- *Ibid. p. 772. C. Ibid. p. 743. D.*

num) *per venerandum Chalcedonenſe Concilium hujus Apoſtolicæ Sedis Antiſtites , cui Deo diſponente deſervio , Univerſales oblato honore vocati ſunt ? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit , nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit*, ex quo perniciem Eccleſiæ imminere dicit Epiſtola 43.

Ibid. p. 743. C. 3. Eadem in Epiſtola ait Petrum Eccleſiæ membrum eſſe non Caput. Similia ferè jam dixerat Pelagius II. ſcribens ad Joannem Conſtantinopolitanum.

Reſp. diſtinguo min. Romanus Pontifex non poteſt diei Epiſcopus univerſalis, perverſo ſenſu, concedo: ſenſu orthodoxo & Catholico quem nuſquam rejecit S. Gregoris Magnus, nego. Quam ſolutionem ut intelligas, duo hìc obſervanda ſunt.

Primo, à temporibus Concilii Nicæni uſque ad primum Conſtantinopolitanum, tres dumtaxat fuiſſe inſignes Sedes Patriarchales quæ juriſdictionem habuerunt in Eccleſias intra limites ſuos contentas, ſcilicet Romanam in Europa, Alexandrinam in Africa, Antiochenam in Aſia; Eccleſia enim Hieroſolymitana his tribus inferior erat, cujus Epiſcopus Cæſarienſi ſubjiciebatur.

Anno 381. in Conc. Conſtantinopolitano Can. 2. concedunt 150. Patres honoris primatum Epiſcopo Conſtantinopolitano poſt Epiſcopum Romanum, quæ dignitas confirmata fuit in Concilio Chalcedonenſi an.451. Can. 28. fruſtra reclamantibus Legatis Romanæ Sedis; imò & juriſdictio in Diœceſes Ponticam, Aſianam, & Thraſicam diſertè attributa; qui Canon legibus Imperatorum confirmatus deinde fuit. Satis non fuit Epiſcopis Conſtantinopolitanis hæc Patriarchica dignitas, voluerunt & iiſdem omnino privilegiis frui, quibus fruebatur Epiſcopus Romanus, excepto tamen primatu in omnes Orbis Eccleſias, de quo nunquam controverſum fuit: ſed quia audierant Patriarchæ Oecumenici titulum S. Leoni à Presbyteris & Diaconis Eccleſiæ Alexandrinæ Actione 3. Conc. Chalcedonenſis dari, voluerunt & ipſi hoc nomine appellari. Hinc an. 518. in Concilio Conſtantinopoli habito primo anno Imperatoris Juſtini, Joannes III. Patriarcha Oecumenicus appellatus fuit: hinc & Juſtinianus Juſtini ſucceſſor ſuo Epiſcopo Epiphanio hunc honoris titulum tribuit, & in Conc. Conſtantinopolitano ſub Menna centies ſic appellatur: ſed nemo hunc honorem ambitioſiùs ſibi arrogavit, quàm Joannes IV. cognomento Jejunator, adversùs quem inſurrexerunt Pelagius II. & Gregorius I. Romani Pontifices.

Obſervandum ſecundò: nomen Epiſcopi univerſalis triplici ſenſu poſſe uſurpari. 1. Ita ut unus ſit propriè in Orbe Chriſtiano Epiſcopus, cujus cœteri omnes ſint tantùm delegati ac Vicarii. 2. Epiſcopus univerſalis dicitur ille qui in omnes Orbis Chriſtiani Eccleſias, in iis rebus quæ politiam Eccleſiæ totius ſpectant, juriſdictionem habet. 3. Epiſcopus univerſalis dici poteſt ille, qui in maximam Orbis Chriſtiani partem ſuam exercet auctoritatem; pars enim pro toto interdum ſumitur.

Primo ſenſu nomen Epiſcopi univerſalis videri poterat ſibi arrogaſſe Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus; huncque ſenſum meritò damnat S. Gregorius, ut mox oſtendemus. Secundo ſenſu nomen Epiſcopi univerſalis datum eſt S. Leoni in Concilio Chalcedonenſi. Tertio denique ſenſu nomen

Epiſco-

Epiſcopi univerſalis ſibi arrogaſſe plures Patriarchas Conſtantinopolitanos veriſimile prorſus eſt; neque enim eos juriſdictione univerſali frui voluiſſe in totius Orbis Eccleſias, vel minimum eſt in antiquitate veſtigium. Concilia, Imperatores, ipſi Patriarchæ Conſtantinopolitani ante ſchiſma Græcorum, ipſe Jejunator Pontificem Romanum ut Caput Eccleſiæ univerſalis agnoverunt; neque niſi ſecundum locum poſt veteris Romæ Epiſcopum, & Patriarchæ Oecumenici in Oriente tantùm, non autem in Occidente, longè minùs in toto Orbe ſibi dari contenderunt. Id expreſsè teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione VII. Synodi ad Joan. VIII. *Aſſerebant, inquit, Græci, quòd non ideo Oecumenicum, quòd multi Univerſalem interpretati ſunt, dicerent Patriarcham, quòd univerſi orbis teneat præſulatum, ſed quòd cuidam parti preſit Orbis quæ à Chriſtianis inhabitatur.* Aliunde verò Græcos Epiſcopos prerogativas ac privilegia Romanæ Eccleſiæ agnoviſſe ac ſyngraphis ſuis confirmaſſe, teſtatur Pelagius II. Epiſtola 8. quæ eſt ad Joan. Conſtantinopolitanum, antea inter probationes citata. Tom. 7. Conc. p. 31. A.

His duobus præſuppoſitis, facile jam eſt diſſolvere quæ ex S. Gregorio hìc opponuntur, & intelligere quo ſenſu rejecerit, non tantùm ab Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſed etiam à Romano, univerſalis Epiſcopi nomen.

Ad primum itaque dico, S. Gregorium Epiſcopi univerſalis nomen tanquam profanum, ſuperbum, ſacrilegum damnaſſe ac rejeciſſe, non tantùm à Conſtantinopolitano, ſed etiam à Romano Epiſcopo, juxta primum ſenſum; quaſi unus foret in Orbe Chriſtiano Epiſcopus, & alii omnes Epiſcopi ipſius dumtaxat Vicarii forent, à quo ſuam mutuarentur auctoritatem; qui profectò ſenſus abſurdus eſt, falſus, erroneus. Omnes enim Epiſcopi *pro Chriſto legatione funguntur*; omnes ſunt à Spiritu ſancto poſiti regere Eccleſiam Dei; omnibus dictum à Chriſto, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Ad hunc verò ſenſum reſpexiſſe S. Gregorium, demonſtrant hæc ipſius verba in citata Epiſtola 18. ad Joan. Conſtantinopolitanum, quem ſic alloquitur: *Vehementer admiror, quia ne ad Epiſcopatum venire potuiſſes, fugiſſe velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere deſideras, ac ſi ad eum ambitioſo deſiderio cucurriſſes. Qui enim indignum te eſſe fatebaris, ut Epiſcopus dici debuiſſes, ad hoc quandoque perductus es, ut deſpectis fratribus Epiſcopus appetas ſolus vocari.* Et infrà rationem reddit cur nullus Pontifex Romanus hunc ſibi titulum univerſalis Epiſcopi aſſumpſerit: *Ne, inquit, ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus Fratribus denegaſſe videretur.* Eph. 6. v. 20. Act. 20. v. 28. Joa. 20. 23. To. 2. p. 741. D. E. Ibid. p. 743. D.

Eodem ſenſu Pelagius II. deceſſor Gregorii Epiſtola mox citata dicebat: *Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur. Quia ſi Summus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit à fidelis cujuſquam mente, hoc ſibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacumque parte videatur.* Tom. 5. Conc. p. 959. E.

At, inquies, veriſimile non videtur Joannem illum Conſtantinopolitanum hoc ſenſu voluiſſe ſibi Epiſcopi univerſalis nomen arrogare, quem noverat planè alienum à doctrina Catholica: unde ergo tanta contentio? Cur tam aſperis verbis illum inſectatur S. Gregorius? Cur abſolutè & ſimpliciter damnat iſtum Epiſcopi univerſalis titulum?

Reſp. cum Bellarmino Lib. 2. de R. Pontifice cap. 31. *Duabus de cauſis: pri-* To. 1. p. 273. co. 1. B.

mò ad cautelam. Sicut etiam nomen, Chriſtotocos, bonum ſenſum habet, & tamen Patres vetuerunt uſum illius nominis, ne videlicet ſub illo nomine lateret hæreſis Neſtorii, qui Mariam Chriſti matrem, ſed non Dei matrem appellabat. Ita timebat S. Pontifex Gregorius, ne quis nomen Epiſcopi univerſalis ad primum perverſum ſenſum deflecteret; quapropter ad cautelam illud omnino ſupprimendum cenſuit. Secundò, *Quia*, inquit Bellarminus, *quæſtio* Ibid. *tunc erat an Joanni Conſtantinopolitano Epiſcopo hoc nomen concedi poſſet; non autem an concedi poſſet Romano Pontifici. Quoniam igitur Joanni illi nullatenus conveniebat nomen Epiſcopi univerſalis, & tamen illud ſibi uſurpabat; ideo ſimpliciter & abſolutè Gregorius pronuntiat hoc nomen eſſe profanum & ſacrilegum, nimirum quatenus tribuitur Epiſcopo Conſtantinopolitano; & nihilominus etiam ipſe illud recuſavit, quamvis ſibi aliquo ſenſu conveniret, ad meliùs ſcilicet & faciliùs comprimendam ſuperbiam Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani.* Ita Bellarminus.

Bonifacius III. an. *606.* obtinuit à Phoca Imperatore, ut Epiſcopi univerſalis nomen non ampliùs ſibi arrogarent Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſed uni tribueretur Romano Pontifici: ita refertur in vita Bonifacii III. Tom. 5. Conc. pag. *1615.*

Ad ſecundum: Solutio patet ex mox dictis.

Ad tertium: Non alio modo negat Petrum eſſe Caput, quàm quo Chriſtus ipſe Caput eſt Eccleſiæ; independens ſcilicet ac primarium. Ait autem illum eſſe membrum Eccleſiæ, quod certè non pugnat cum dignitate Capitis: ſimul enim Petrus & ejus ſucceſſor R. Pontifex, & Caput & membrum eſt Eccleſiæ; ipſique & præeſt, ac ſubjicitur: præeſt omnibus Eccleſiis, ut Caput; ſubjicitur toti Eccleſiæ, ut membrum & quidem primum.

Objicies 4. omnes Epiſcopos inter ſe pares eſſe, ac nullum habere inter ſe ſuperiorem, multa videntur demonſtrare.

I. Omnes Epiſcopi dicuntur Petri & aliorum Apoſtolorum ſucceſſores. Ita SS. Cyprianus Epiſtola 27. & 42. Hieronymus Epiſtola 1. & 54. Ephrem Oratione de laudibus Baſilii Magni, Auguſtinus in Pſalm. 44. & alii benè multi.

II. Omnium Epiſcoporum auctoritas à Deo eſt immediatè inſtituta & accepta: manifeſtè patet ex cap. 20. Act. Apoſtolorum, *Vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

III. Omnes Epiſcopi ſunt Vicarii Chriſti in terris: omnes enim *pro Chriſto legatione funguntur.* 2. Cor. 5. v. 20.

Ed. Cot. To. 2. p. 904. D. Tom. 1. Conc. p. 590. D.

IV. Omnes dicuntur curam univerſalis Eccleſiæ ſuſtinere. Ita S. Ignatius Epiſtola ad Philadelphenos, ubi dicit Epiſcopum ſuſcipere *miniſterium ad communem utilitatem.* Ita Eleutherius in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, ubi dicit, *ipſi à Chriſto commiſſam eſſe Eccleſiam univerſalem.*

V. Quilibet Epiſcopus in aliena Diœceſi ſua poteſtate uti poteſt, ut patet ex facto ſancti Epiphanii, qui cùm in Diœceſi Hieroſolymitana verſaretur, Diaconum & Presbyterum ordinavit in Monaſterio Bethlemitico, inconſulto Joanne loci Epiſcopo: qua de re graviter quidem conqueſtus eſt Joannes adversùs Epiphanium, quaſi diſciplinæ Eccleſiaſticæ jura violaſſet; ſed Epiphanius factum defendens oſtendit, quòd cùm nulla ſit diverſitas in Sacerdotio, unuſquiſque Epiſcopus utilitati Eccleſiæ, quando cauſa ſubeſt, poteſt conſulere.

VI.

VI. denique, Epiſcopi toti Eccleſiæ leges dare poſſunt, & Concilia aliorum Epiſcoporum convocare, quod innumeris exemplis demonſtrare promptum foret.

Reſpondeo, nego antecedens.

Ad primam probationem diſtinguo: Omnes Epiſcopi ſunt Petri & aliorum Apoſtolorum ſucceſſores in poteſtate Ordinis Epiſcopalis, ſecluſo primatu & amplitudine poteſtatis Apoſtolicæ, concedo: ſunt ſucceſſores Petri & Apoſtolorum in primatu & plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, nego. Itaque in Apoſtolis duplex veluti fuit poteſtas, una Apoſtolica, nullis limitibus coarctata, ſed ampliſſima, quæ ad omnes Eccleſias extendebatur: hac in auctoritate non ſuccedunt Epiſcopi Apoſtolis, quæ ipſis dumtaxat propria fuit ad alios minimè tranſmittenda, ſolo excepto Petro, cujus primatus & poteſtatis amplitudo ad ejus ſucceſſores Romanos Pontifices dimanavit. Auctoritas verò Epiſcopalis Ordinis quæ fuit in Apoſtolis, tota ad Epiſcopos eorum ſucceſſores tranſiit, ſed intra limites uniuſcujuſque Diœceſeos concluſa; atque ſemper cavit Eccleſia, ut quiſque Epiſcopus intra fines ſibi præſcriptos ſe contineret.

Ad ſecundam: Fatemur parem omnium eſſe Epiſcoporum auctoritatem origine ac inſtitutione divina, ſed negamus eſſe parem gradu & juriſdictione externa. *Erras*, inquiebat S. Bernardus ad Eugenium Lib. 3. de Conſideratione cap. 4. *ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam auctoritatem exiſtimes.* *To. 1. p. 433. A.*

Ad tertiam diſtinguo: Omnes Epiſcopi ſunt Vicarii Chriſti in ſua quiſque Eccleſia, ſicut Romanus Pontifex in univerſa, concedo: ſunt Vicarii in univerſa Eccleſia, nego.

Ad quartam diſtinguo: Omnes Epiſcopi dicuntur curam ſuſtinere univerſalis Eccleſiæ, per charitatem qua Eccleſiæ cuilibet laboranti ſubvenire debent, concedo. *Epiſcopatus enim unus eſt*, ait S. Cyprianus, *cujus in ſolidum pars à ſingulis tenetur*. Per auctoritatem & juriſdictionem, nego. *Lib. de unit. Eccl. p. 180.*

Ad quintam diſt. pariter: Quilibet Epiſcopus ex charitate poteſt aliquando in aliena Diœceſi ſua poteſtate uti, concedo, poteſt ex auctoritate ordinaria & juriſdictione, nego. Hac ratione purgavit ſe Epiphanius apud Joannem Hieroſolymitanum.

Ad ſextam diſtinguo: Epiſcopi particulares toti Eccleſiæ leges dare poſſunt, doctrina & ſcriptis pro defenſione Catholicæ fidei, concedo: auctoritate, juriſdictione, nego. Pariter diſtinguo alterum propoſitionis membrum: Epiſcopi convocant aliorum Epiſcoporum Concilia Provincialia & particularia, concedo: univerſalia, nego. Ad Romanum quippe ſpectat Epiſcopum omnes Epiſcopos in Concilium Oecumenicum congregare.

Objicies 5. Canonem ſextum Concilii Nicæni, tùm juxta veterum, hoc eſt, Iſidori Mercatoris, Dionyſii exigui & aliorum interpretationem; tùm juxta interpretationem Rufini.

Juxta priorem interpretationem ſic edicit Canon: *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam &c.* *Tom. 2. Conc. p. 46. C. D.*

Juxta verò Rufinum Lib. 11. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 6. ſic verti debet Canon: *Et ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetuſta conſuetudo ſerve-* *Ibid. p. 56. C.*

tur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.

Ex cujus Canonis duplici interpretatione hæc duo colligi poſſunt adversùs primatum S. P. argumenta.

Ex prima; Eo Canone deſtruitur Romani Pontificis primatus in omnes Orbis Eccleſias, per quem ejus juriſdictio intra Occidentis limites coercetur: atqui ſexto Canone Nicæno, juxta primam interpretationem, Romani Pontificis juriſdictio coercetur intra fines Occidentis, alioquin non eſſet legitima comparatio quam inſtituunt Nicæni Patres inter Alexandrinum Epiſcopum & Romanum: namque Alexandrini auctoritas intra Ægyptum, Lybiam & Pentapolim definitur, Romani verò in orbem univerſum eſſet diffuſa; ergo Romani Epiſcopi in omnes Orbis Eccleſias primatus ſexto Canone Nicæno deſtruitur.

Ex ſecunda: Eo Canone deſtruitur Romani Pontificis primatus, quo ejus juriſdictio & auctoritas coarctatur intra Eccleſias ſuburbicarias, id eſt, centum mille paſſibus Roma diſtantes, vel ſaltem intra decem Provincias Urbis Vicario addictas: atqui ſexto Canone Nicæno, juxta interpretationem Rufini, juriſdictio Romani Pontificis coarctatur intra Eccleſias ſuburbicarias; ergo &c.

Reſp. prædicto Canone confirmari & ſtabiliri potius primatum Romani Pontificis, quàm labefactari.

I. Quia Paſchaſinus Sedis Apoſtolicæ Legatus in Concilio Chalcedonenſi proferre juſſus Canones, quos contra vigeſimum octavum Canonem ejuſdem Concilii allegabat, ſic Nicænum ſextum ex ſuo codice recitavit. *Trecentorum decem & octo Patrum Canon ſextus: quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo.* Adversùs quam lectionem reclamavit nemo. Judices verò dixerunt: *Perpendimus quidem omnem primatum & honorem præcipuum ſecundùm Canones antiquæ Romæ Archiepiſcopo conſervari.* Quibus patet evidentiſſimè, Veteres intellexiſſe prædicto Canone ſexto primatum Romani Pontificis confirmari.

Tom. 4. Conc. p. 812. A.

ibid. p. 837. B.

II. Eo Canone non evertitur Romani Pontificis primatus, quo nullis circumſcribitur limitibus ejus poteſtas, cùm tamen Alexandrini Epiſcopi auctoritati certi fines aſſignentur: atqui prædictus Canon, juxta primam interpretationem, Pontificis Romani poteſtatem nullis circumſcribit limitibus, cùm tamen Epiſcopi Alexandrini Diœceſim definiat.

III. Canon ille nihil ſtatuit de Epiſcopo Romano, de aliis verò Patriarchis aliquid ſtatuit, puta de Alexandrino & Antiocheno, ac exhibet Epiſcopum Romanum tanquam formam & exemplum auctoritatis, quam Alexandrinus per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim exercere debet. Id patet tùm ex verbis Canonis; tùm ex Nicolao I. in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Deinde cur pro compeſcenda Meletii audacia utuntur Patres exemplo Epiſcopi Romani potius quàm Antiocheni? cur confirmant auctoritatem illorum Patriarcharum, non Epiſcopi Romani?

Ad primum argumentum diſtinguo maj. Si coerceatur intra limites Occidentis ejus juriſdictio, quatenus eſt Summus Pontifex, Chriſti Vicarius & S. Petri ſucceſſor, concedo: ſi tantùm quatenus eſt Patriarcha, nego. Porrò prædicto Canone inſtituitur tantùm comparatio inter Alexandrinum Epiſcopum

pum & Romanum, quoad dignitatem Patriarchalem, atque illius jura anne-xa. Nimirum quadruplex dignitas diſtingui poteſt in Summo Pontifice. Eſt Epiſcopus reſpectu Urbis Romæ, & diſtrictus Epiſcopalis quem regit: eſt Metropolita reſpectu Romanæ Provinciæ & Regionum ſuburbicariarum: eſt Patriarcha reſpectu totius Occidentis: eſt Pontifex Summus reſpectu totius orbis Chriſtiani.

Ad ſecundum: Reſpondeo cum eadem diſtinctione. Quid autem intelligi debeat per Urbes ſuburbicarias, non eſt hujus loci prolixiùs inquirere. Duo dumtaxat hìc obſervari debent: 1. Græcos licèt Schiſmaticos, totum Occidentem Romano Epiſcopo aſcribere. Ita Zonaras in Can.6.Conc.Nicæni. Ita Nilus Lib. 2. de primatu Papæ. Ita Balzamon Patriarcha Antiochenus ad hunc Canonem. 2. non magnam adhibendam fidem Rufino: tùm quia excluſus erat à communione Eccleſiæ Romanæ per Anaſtaſium Pontificem, antequam ſuam ſcriberet Hiſtoriam, quam non incœpit ante irruptionem Alarici, id eſt Innocentii primi tempore: tùm ob ejus inſcitiam & in interpretandis auctoribus audaciam, ut ſcribit ſanctus Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem, & Apologia ſecunda adversùs Rufinum.

Objicies 6. Non conveniunt inter ſe noſtri Theologi, de prærogativis in quibus potiſſimùm reponi debeat Romani Pontificis primatus, ut initio hujus Articuli obſervavimus; ergo primatus ille non pertinet ad certum & fixum dogma Religionis noſtræ.

Reſp. diſtinguo ant. Noſtri Theologi non conveniunt de aliquibus prærogativis in quibus nonnulli primatum Romani Pontificis reponunt, concedo: non conveniunt de omnibus prærogativis, quaſi inter ſe non conſentirent de certis quibuſdam titulis ac privilegiis Romanæ Sedi annexis, nego. Initio autem hujus Articuli ea privilegia expoſuimus apud omnes certa & indubitata.

Objicies 7. contra ſecundam Concluſionis partem. Primatus Romani Pontificis non fundatur in jure ſeu inſtitutione divina, ſed in aliquo facto, quod nec in Scripturis narratur, nec jus divinum conſtituit, ſed planè humanum. Nempe in eo fundatur, quòd Petrus ſuam Sedem Romæ potius quàm alibi fixerit; quod certè factum planè humanum fuit ac voluntarium, nullo enim divino ſpeciali mandato ſanctus Petrus Romæ alligatus fuit: non alia porrò de cauſa Romanus Pontifex dicitur habere primatum, quàm quòd ſuccedat in Epiſcopatu Romano S. Petro. Contra ſecundā Concluſionis partem.

Reſpondet Bellarminus Lib. 2. de Romano Pontifice cap. 12. diſtingui debere ſucceſſionem & rationem ſucceſſionis. *Nam*, inquit ille, *ſucceſſio Romani Pontificis in Pontificatum Petri, ex inſtituto Chriſti eſt: ratio autem ſucceſſionis, qua Romanus Pontifex potius quàm Antiochenus, vel aliquis alius ſuccedat, ex facto Petri initium habuit. Succeſſio ergo ipſa ex Chriſti inſtituto & jure divino eſt, quia Chriſtus ipſe inſtituit in Petro Pontificatum duraturum uſque ad finem mundi, & proinde quicunque Petro ſuccedit, à Chriſto accipit Pontificatum. At verò, quòd Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet Petrus nullam Sedem particularem ſibi unquam eligere, ſicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro, non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is quem Eccleſia ſibi elegiſſet:* T. 1. p. 243. co. 2. F.

potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet. Quia verò Romæ Sedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuccedat.

Ibid.H. Addit ibid. Cardinalis doctiſſimus: *Tametſi fortè non ſit de jure divino Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex eſt, Petro ſuccedere in præfecturam totius Eccleſiæ, tamen ſi quis abſolutè petat, an jure divino Romanus Pontifex Paſtor ſit & Caput totius Eccleſiæ, omnino eſſe id aſſerendum. Namque ad hoc nihil aliud requiritur quàm ut ipſa ſucceſſio ſit de jure divino, hoc eſt, ut ordinarium officium Eccleſiam univerſam cum ſumma poteſtate gubernandi, non ſit ab hominibus, ſed à Deo immediatè inſtitutum.*

Ibid. Pergit adhuc ſic Bellarminus. *Licèt fortè*, inquit, *non ſit de jure divino Romanum Pontificem, ut Romanum Pontificem, Petro ſuccedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinet. Non enim eſt idem, aliquid eſſe de fide, & eſſe de jure divino: nec enim de jure divino fuit ut Paulus haberet penulam, eſt tamen hoc ipſum de fide, Paulum habuiſſe penulam. Etſi autem Romanum Pontificem ſuccedere Petro, non habeatur expreſsè in Scripturis, tamen ſuccedere Petro deducitur evidenter ex Scripturis: illum autem eſſe Romanum Pontificem, habetur ex Traditione Apoſtolica Petri, quam Traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declaravit.* Hactenus Bellarminus. Eadem ferè docuerat Melchior Canus Lib. 6. de Locis c. 8. in reſponſione ad decimum argumentum. P. 337.

Objicies 8. Primatus dicitur Romano Pontifici conceſſus à Canonibus, imò & ab Imperatoribus, ut à Synodo Chalcedonenſi Can. 28. ubi dicitur: *Antiquæ Romæ throno, quòd Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.* Et Juſtinianus Novella 100. ait: *Decernimus ſecundùm ſacrarum Synodorum decreta, ſanctiſſimum veteris Romæ Epiſcopum primum eſſe omnium Sacerdotem.* Tom.4. Conc.p. 796.A.

Reſp. Canonibus Eccleſiaſticis hoc ſenſu primatum aſſeri Romano Pontifici, quòd per illos declaretur à Chriſto jam conceſſus, ac confirmetur: quomodo v.g. Concilium Nicænum dicitur definiiſſe Filium Dei eſſe Patri conſubſtantialem, quia declaravit dogma in Scripturis & Traditione revelatum.

Ad Canonem vigeſimum octavum Chalcedonenſem reſpondet Bellarminus Lib. 2. de R. Pontifice cap. 17. illum à S. Leone improbatum ac rejectum fuiſſe. Reſpondent alii, Canonem eſſe intelligendum de jure Patriarchico quod Romano Pontifici ab Eccleſia conceſſum eſt in certas Eccleſias, non de jure primatus quod eſt inſtitutionis divinæ. Lege Bellarminum cap. 17. jam citato.

Nicolaus I. Summus Pontifex Epiſtola 8. quæ eſt ad Imperatorem Michaelem, affirmat privilegia Sedis Romanæ à Chriſto, in ſancto Petro conceſſa fuiſſe, non ab ullo Canone vel Concilio. *Animadvertendum eſt*, inquit, *quia non Nicæna, non denique ulla Synodus quodquam Romanæ Eccleſiæ contulit privilegium, quæ in Petro noverat eam totius jura poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ovium regimen accepiſſe.* Ibid. *Iſta privilegia huic ſanctæ Eccleſiæ à Chriſto donata, a Synodis non donata, ſed jam ſolummodo celebrata & venerata*: Ter aut quater idem repetit in eadem Epiſtola. Tom.8. Conc.p. 325.C. Ibib. p. 314.C.

Nicolao concinit S. Thomas Opuſculo contra impugnantes Religionem. *Eccleſia*, inquit, *Romana nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis præ-* T 20.p. 559.co. 2.E.

lata

lata eſt, ſed Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit. Inde facile eſt reponere ad Novellam Juſtiniani. Lege Bellarminum c. 17. jam citato.

ARTICULUS TERTIUS.

De auctoritate ſummi Pontificis & Eccleſiæ univerſæ in cenſura librorum, ſeu ut vocant, in factis dogmaticis.

DUo hic accuratè, pro argumenti dignitate & gravitate pertractanda.

Primum, utrum Eccleſia in cenſura librorum, & propoſitionum quæ ex illis extrahuntur, errare poſſit.

Secundum, quem ſenſum reſpiciat Eccleſia, cùm de libris vel propoſitionibus ex eis extractis pronuntiat.

Utrum Eccleſia in cenſura Librorum, vel propoſitionum quæ ex illis extrahuntur, errare poſſit.

Exponitur ſtatus quæſtionis, ac variæ recenſentur Theologorum opiniones.

STATUS QUÆSTIONIS.

OBſervandum I. circa Librorum cenſuram has moveri poſſe quæſtiones.

Prima eſt, utrum hic auctor talem ſcripſerit Librum.

Secunda, utrum propoſitiones talis Libri damnatæ, totidem verbis expreſſæ in eo legantur.

Tertia, quem ſenſum Libri auctor in mente habuerit præconceptum.

Quarta, qualis ſit obvius verborum, propoſitionum & Libri totius ſenſus, ſive qualis doctrina colligi poſſit ex Libri totius conſilio, ſerie & conformatione. Obvius autem dicitur ſenſus propoſitionum vel Libri, quem nempe verba ipſa præſeferunt, quique legenti ſtatim occurrit.

Obſervandum II. quid ſit apud Theologos quæſtio juris, & quæſtio facti.

Quæſtio juris ſeu dogmatis ea eſt, qua quæritur qualis ſit in ſe hæc vel illa doctrina, vera, an falſa, Catholica, vel hæretica: v. g. an Chriſtus ſit Patri conſubſtantialis; an Beata Virgo ſit Deipara &c.

Quæſtio facti illa eſt, qua quæritur quænam ſit doctrina his propoſitionibus, vel Libris, vel auctoribus expreſſa: V. g. an hæreſis quæ negat Verbum divinum eſſe Patri conſubſtantiale, expreſſa ſit & contineatur in Propoſitionibus, Sermonibus, vel Scriptis Arii. Pariter, an hæreſis quæ negat Beatam Virginem eſſe Deiparam, contineatur in Scriptis Neſtorii &c. In hujuſmodi quæſtione, jure ſeu dogmate ſuppoſito, de uno dumtaxat facto inquiritur.

Aliquando quæſtio juris ſimplex eſt, id eſt, non colligata cum facto; aliquando verò complexa, ſeu cum facto conjuncta. V. g. cùm dicitur, *Beata Virgo eſt Deipara*; eſt ſimplex juris quæſtio: cùm verò dicitur, *Neſtorius negavit*

gavit Beatam Virginem eſſe Deiparam, quæſtio juris eſt ſimul & facti, quæ duo continet, nempe tale dogma, & illius dogmatis attributionem tali perſonæ vel Libro.

Obſervandum III. facta multiplicis eſſe generis.

Alia enim ſunt immediatè à Deo revelata, qualia ſunt omnia fidei noſtræ myſteria, v.g. Trinitas, Incarnatio Verbi &c. quæ propriè ad jus ſeu dogma pertinent.

Alia ſunt merè hiſtorica & perſonalia, quæ nempe rei geſtæ veritatem, aut perſonæ alicujus ſtatum, conditionem, internum animi ſenſum, crimen, vel innocentiam ſpectant. V.g. utrum Arius à Concilio Nicæno propter hæreſim damnatus fuerit, factum eſt hiſtoricum: ſimiliter utrum Cæcilianus reus fuerit traditionis Librorum ſacrorum, cujus à Donatiſtis accuſabatur; utrum Templarii conſcii ac rei fuerint eorum ſcelerum, propter quæ damnati ſunt, & extinctus eorum Ordo; utrum Honorius Summus Pontifex in mente præconceptum habuerit erroneum ſenſum Monothelitarum, cùm ſuas ad Sergium ſcripſit Epiſtolas; totidem ſunt facta merè perſonalia.

Alia verò ſunt facta doctrinalia ſeu dogmatica quæ nempe includunt aliquod dogma fidei, & illius attributionem alicui Libro vel perſonæ: v. gr. cùm dicitur, hæretica eſt doctrina Neſtorii circa myſterium Incarnationis; hæretica eſt Libri Janſenii doctrina quinque famoſis Propoſitionibus expreſſa; in his etenim factum juri ſeu dogmati permiſcetur, à quo poſt definitionem Eccleſiæ ſejungi & ſeparari non poteſt.

Alia denique ſunt facta quæ ex ordinatione divina media ſunt ſive inſtrumenta neceſſaria ad conſervationem & cognitionem doctrinæ Catholicæ: talis eſt v.g. Traditio Eccleſiaſtica Scriptis SS. Patrum conſignata; ſic enim providè inſtituit Deus, ut SS. Patrum conſpirans in aliquod dogma conſenſus, certiſſimum ſit veritatis Catholicæ argumentum.

Cùm quæritur an Judicium Eccleſiæ de propoſitionibus vel Libris, firmum ſit nec obnoxium erroris,

Quæſtio non eſt, an certo & infallibili Judicio definiat hunc vel illum Librum hujus eſſe vel illius Auctoris: hoc quippe facti genus merè hiſtoricum & perſonale, ſupponit, non definit Eccleſia, quæ de Libris judicat, prout ſub nomine hujus vel illius Auctoris circumferuntur, & præſuppoſita ex communi hominum conſenſu verborum ſignificatione.

Quæſtio pariter non eſt, an neceſſe ſit credere propoſitiones quas Eccleſia in aliquo Libro damnavit, totidem verbis & ſyllabis expreſſas in eo legi; non eſt enim hoc definitionis Eccleſiæ aut fidei noſtræ objectum; ſed ipſe propoſitionum vel Libri ſenſus proprius, quatenus ſcilicet ex verbis & toto Libri contextu deprehendi poteſt. Ita S. Aug. Lib. de geſtis Pelagii cap.
T.10.p. 13. obſervat nonnulla Cœleſtii capitula magis ſecundùm ſenſum, quàm ſe-
207.C. cundùm verba Pelagio objecta fuiſſe.

Quæſtio pariter non eſt, an auctor, cujus error proſcribitur, talem reverà latentem in mente ſenſum habuerit, qualem verba, quibus utitur, præ ſe ferunt. Quamquam enim id præſumi meritò debeat; (niſi velis auctorem aut ignarum, aut malignum eſſe, qui receptam verborum ſignificationem vel ignorat, vel aliò inflectit) non tamen ab Eccleſiâ, quæ de occultis non judicat, certò definitur. Unde immeritò Facundus Libro 10. cap. 4. quaſi in-

ſti inſultans quinto Concilio ſic habet: *Verùm... demus & conſtituamus quòd probatum fuerit Synodo illa Theodori eſſe capitula; unde certum haberet quæ fuerint intentione prolata?* Etenim de intentione occulta & latente auctoris non judicat Eccleſia, ſed de ea quæ verbis exprimitur. P. 156. A.B.

Quæſtio pariter non eſt, neque de factis immediatè revelatis, quæ propriè fidei dogmata continent, neque de factis merè perſonalibus: conſentiunt enim omnes Theologi, certum omnino eſſe ac infallibile Judicium Eccleſiæ de prioribus; de poſterioribus verò incertum eſſe poſſe & errori obnoxium. Cujus diſcriminis ratio hæc eſt, quòd Judicium Eccleſiæ de facto revelato ſeu de dogmate, fundatur in revelatione divina, cui falſum ſubeſſe non poteſt; Judicium verò de facto merè perſonali, fundatur aut in ſenſibus, aut in teſtimoniis hominum incertis & fallacibus: quo ſenſu meritò dixit S. Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. *Concilia priora poſterioribus emendari poſſe, cùm nempe aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* T. 9. p. 98. C.

Quæſtio igitur movetur de facto doctrinali, hoc eſt, de ſenſu propoſitionum, vel Libri; an ſcilicet Eccleſia certo & infallibili Judicio ſtatuere poſſit, quis & qualis ex tota propoſitionum & Librorum ſerie atque textura elici poſſit ſenſus, quæ & qualis doctrina; an falſam pro vera probare, aut veram pro falſa damnare poſſit: quo in Judicio, non conjecturis, non incertis hominum teſtimoniis utitur Eccleſia, ſed diligenti propoſitionum vel Librorum examine, facta eorum comparatione cum fidei noſtræ regula, Scriptura ſcilicet & Traditione. Ita Concilium Epheſinum probavit Epiſtolam S. Cyrilli, Epiſtolam verò Neſtorii damnavit: Ita Chalcedonenſe probavit Epiſtolam dogmaticam S. Leonis ad Flavianum.

Hunc quæſtionis ſtatum diſſimulare ac perturbare mira obſcuritate affectarunt aliquando Janſenii diſcipuli, facta perſonalia cum doctrinalibus inſidioſè confundentes. Sic imprimis Auctor Apologiæ Monialium Portus Regii parte 4. ut probet falli poſſe Eccleſiam in ſuo de factis Judicio, adducit exemplum damnationis Templariorum; quaſi de factis hujuſmodi merè perſonalibus, de crimine vel innocentia, vel etiam interna hominum ſententia, controverſia inter nos foret: non ita certè. Totius quæſtionis cardo in eo volvitur, utrum falli poſſit Eccleſia, cùm de ſenſu propoſitionum, vel Librorum pronuntiat.

Cùm verò Eccleſia facti quæſtionem cum jure ſeu dogmate conjungit, factum dicitur à jure ſeu dogmate inſeparabile, non quidem abſolutè, ſimpliciter & antecedenter, ſicut ad invidiam imponit nobis Auctor Apologiæ mox citatus, quaſi tam arcta & neceſſaria foret inter factum v. g. Neſtorii, & dogma ab eo propugnatum connexio, ut unum ſine altero abſolutè eſſe non poſſet: quis enim tam ſtupidus, qui hoc cogitaverit? ſed inſeparabile dicitur, conſequenter & ex hypotheſi, tùm ſenſus Neſtorii, tùm definitionis Eccleſiæ quæ ſenſum hunc in Neſtorio damnavit.

Obſervandum IV. Judicio Eccleſiæ de ſenſu propoſitionum vel Librorum, duobus præſertim modis obtemperari poſſe; nempe vel interno mentis & judicii aſſenſu, vel externo tantùm, & religioſo, ut vocant, ſilentio, quod in eo reponitur, ne quid dicatur, ſcribatur, aut doceatur contrarium definitioni Eccleſiæ. Quæritur autem hìc, an Eccleſia exigat obſequium

mentis,

mentis, ſeu judicii interiorem aſſenſum; an verò ſolum externum ſilentium, ut vocant, religioſum, acceptum & gratum habeat.

Obſervandum V. Varium aſſignari poſſe motivum aſſenſus & obedientiæ quæ defertur Eccleſiæ Decretis circa facta doctrinalia. Vel enim eſt motivum fidei divinæ fundatum in revelatione; vel motivum fidei ſimpliciter humanæ, quæ falli poteſt & fallere; vel denique motivum fidei Eccleſiaſticæ omni humana majoris, quæ cùm in ſingulari Spiritus ſancti ope & aſſiſtentia ſubnixa ſit, in errorem inducere non poteſt. Quæſtio autem eſt, quodnam ex iſtis ſit motivum aſſenſus qui debetur Eccleſiæ de ſenſu Librorum judicanti.

Variæ Theologorum ſententiæ.

Circa quæſtionem hanc ſic expoſitam variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima eorum eſt, qui non tantùm infallibilem agnoſcunt Eccleſiam in factis doctrinalibus, verùm etiam facta hæc ad fidem ipſam pertinere, nec ſine hæreſeos nota poſt definitionem Eccleſiæ negari poſſe arbitrantur, propter inſeparabilem facti & juris ſeu dogmatis conjunctionem. Ita cenſuiſſe nonnullos ſignificant novemdecim Gallicani Epiſcopi in Epiſtola quam die 1. Decembris an. 1667. ſcripſere ad S. P. Clementem IX. Mirum quanto impetu & animi ardore adversùs hanc opinionem inſurrexerint Janſenii fautores; quàm tetris admodum coloribus eam adumbraverint, quaſi divinæ fidei fundamenta penitus convelleret, factum ſcilicet novum nec revelatum pro fidei objecto obtrudens. Quin, ut majorem adverſæ parti conflarent invidiam, prædicabant altiùs, non ſine fraude ac mendacio, communem hanc eſſe ſententiam eorum omnium, qui pro inerrantia Eccleſiæ in factis doctrinalibus dimicabant.

In hanc ſententiam abiiſſe videtur Illuſtriſſimus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, cùm dixit, hujuſcemodi circa facta doctrinalia Eccleſiæ definitiones *pertinere ad partem dogmatis*. Cùm verò à patronis hujuſce ſententiæ quæritur, quomodo facta illa, *quæ ad partem dogmatis pertinent*, ſint à Deo revelata; nonnulli reſpondent, immediatè revelata eſſe, ea ipſa revelatione qua conſtat Eccleſiam in doctrina ipſa definienda errare non poſſe: alii verò ajunt, mediatè tantùm eſſe revelata, quomodo concluſio in principio, unde fluit, revelata dicitur. Quin nonnulli hanc Eccleſiæ inerrantiam extendunt non ſolùm ad ſenſum Theologicum, ſed etiam ad litteralem & grammaticalem.

Secunda ſententia rigidiorum fuit Janſeniſtarum. Hi exploſa penitus ac rejecta Eccleſiæ in factis inerrantia, jus ſeu dogma diſtinxerunt à facto, ſeu attributione talis dogmatis huic Libro vel perſonæ. Dogmati quidem ab Eccleſia definito, fidem mentiſque ac judicii aſſenſum deberi; facto verò reverentiam in uno ſilentio religioſo poſitam contendunt: atque cùm perſuaſum illi habeant, ſubſcriptionem externam ſignum eſſe interioris aſſenſus, negant eam ſimplicem & abſolutam aut imperari ab Eccleſia poſſe, aut dari à Fidelibus definitioni jus & factum includenti, ab iis ſaltem quibus evidens ac perſpecta non eſt facti definiti veritas. Conſequenter recuſant illi ſubſcribere ſine exceptione ac limitatione aut explicatione, formulæ ab Ale-

xandro

xandro VII. in facto Janſenii ſancitæ, quòd nempe exiſtiment S. Pontificem, imò Eccleſiam univerſam non ſatis aſſecutam eſſe ſenſum Libri Janſenii, & errore facti in eo aſſignando laboraſſe.

Tertia opinio molliorum fuit Janſenii diſcipulorum, qui tametſi cum aliis Eccleſiæ auctoritati multùm detrahant, ſpecioſo tamen pacis & reverentiæ Eccleſiæ Decretis debitæ prætextu exiſtimarunt, ſe abſque ulla exceptione ac reſtrictione ſubſcribere poſſe formulæ Alexandri VII. licèt factum Janſenii, quod illa includit, interiùs non crederent: quia nempe placuit ipſis ſupponere, ſubſcriptionem ſimplicem & abſolutam, quæ datur definitioni Eccleſiæ dogma ſimul & factum continenti, ſignum quidem eſſe conſenſus & approbationis internæ reſpectu dogmatis; reſpectu verò facti, ſolius exterioris reverentiæ; idque ex ipſa utriuſque nativa conditione omnibus tam conſtans ac manifeſtum eſſe, ut nemo in fraudem induci poſſit. Hujus opinionis laxitatem ac manifeſtum errorem totis viribus impugnarunt rigidiores Janſeniſtæ, imprimis verò Auctor Apologiæ Monialium Portus Regii parte 4. c. 2. 4. & 5. ubi probat ejuſmodi ſimplicem ſubſcriptionem, interiori mentis ac judicii aſſenſu deſtitutam, verum continere mendacium ac perjurium: atque inde graves exarſerunt inter ipſos Janſenii defenſores diſcordiæ ac diſſenſiones.

Fuere qui paulò aliam inivere viam, ut ſubſcriptionem ſuam à labe mendacii & perjurii purgarent, quamquam interiori fide deſtitutam. Nempe placuit ipſis fingere, à tempore redditæ pacis per Clementem IX. nonnihil de priori ſeveritate in exigenda ſubſcriptione remiſſum fuiſſe; atque ex publico veluti condicto & conſenſu, ſubſcriptionem formulæ Alexandri VII. quamquam ſimplicem nec reſtrictam, cadere in ſolum dogma, non verò in factum, erga quod religioſum dumtaxat ſilentium ſufficere, S. ille Pontifex, ut ipſi putant, declaravit. Addunt alii, poſt Breve Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii datum die 6. Februarii anno 1694. quo ſignificat ſatis eſſe ſi famoſæ V. Propoſitiones Janſenii damnentur in *ſenſu obvio quem verba ipſa præſeferunt*, ſubſcriptionem non amplius cadere in ſenſum Janſenii ſeu à Janſenio intentum, ſicut pronuntiaverat Alexander VII. ſed in ſenſum obvium verborum, ſepoſita iſta quæſtione, utrum ſenſus obvius ſit ſenſus Janſenii, vel non.

Quarta ſententia recentioris eſt Lovanienſis Theologi in Opuſculo cui titulum fecit, *Via pacis*. Diſtinguit ille inter iſta duo, quis nempe, & qualis ſit verborum aut propoſitionum ſenſus. Prius deſignat ſenſum litteralem & grammaticalem verborum & propoſitionum: *Quis ſit*. Poſterius, qualitatem ſeu conditionem ſenſus Theologici, veritatem nempe, aut falſitatem: *Qualis ſit*. Circa hunc poſtremum ſenſum exiſtimat quidem ille, falli non poſſe Eccleſiam; at circa primum, falli eam poſſe. Frivolam hanc diſtinctionem non alio conſilio excogitavit auctor ille, quàm ut Janſenii ſenſum cenſuræ Apoſtolicæ ſubduceret, affirmando litteralem & grammaticalem V. Propoſitionum ſenſum reipſa non eſſe ſenſum Janſenii; adeòque errore facti laboraſſe Alexandrum VII. cùm ſenſum illum, quaſi foret Janſenii, damnavit. Verùm auctor ille non ſatis attendit, Eccleſiam de ſenſu Theologico verborum aut propoſitionum certò judicare non poſſe, niſi priùs perſpectam habuerit grammaticalem earum ſignificationem, quam vulgò ex communi uſu fixam ſupponit, non facit. Inanis igitur planè videtur & ad quæſtio- D. Hennebel.

ſtinem præſentem inutilis adducta ſenſus grammaticalis & Theologici diſtinctio.

Quinta opinio exiſtimat, abſolutè quidem & ſpeculativè loquendo, errare poſſe Eccleſiam in factis doctrinalibus; in praxi tamen numquam illam erraſſe: ac prudenter & piè præſumendum, eam nunquam aberraturam; adeoque ubi obſequium & manus & mentis exigitur, ſepoſita hujus infallibilitatis quæſtione, ſemper ex animo & intima conſcientia exhibendum illud eſſe, neque poſſe denegari ſine grandi ſuperbiæ & temeritatis nota.

Opinio hæc in tuto quidem reponit obedientiam, quæ in praxi Decretis Eccleſiæ ſemper debet exhiberi: verùm opinionis hujus defenſores vel agnoſcunt in Eccleſia veram moralem infallibilitatem, & ita incidunt in ſextam opinionem mox referendam; vel omnem penitus denegandi obſequii prętextum Fidelibus eripere non videntur. Quippe, vel putant illi, ſingulari Spiritus ſancti providentiæ & aſſiſtentiæ hoc dandum, quòd nuſquam contingat falſum eſſe de ſenſu Librorum Eccleſiæ Judicium, vel humanæ dumtaxat induſtriæ. Si primum; velint nolint, veram admittunt Eccleſiæ in cauſis ejuſmodi interrantiam, qua fit ut non tantùm nuſquam aberret, ſed neque poſſit aberrare: ſi poſtremum; hærebit ergo ſemper in animo ſcrupulus iſte, an Eccleſia omnem induſtriam & diligentiam adhibuerit; an rectè Libri ſenſum ſit aſſecuta: uno verbo, nullum erit ſatis firmum & conſtans argumentum, quo viro pertinaci ſuadeas, eam in hoc vel illo Judicio reipſa non aberraſſe; & ita videtur hæc ſententia in hoc ipſum recidere incommodum, quod declinare tentabat.

Theologi illi omnes qui arbitrantur Eccleſiam in hujuſcemodi factis dogmaticis decipi poſſe, fatentur nihilominus Eccleſiæ Libros aliquos damnanti ex diſciplina obtemperandum eſſe; nec, quo tempore fervet controverſia, cuiquam licitum, damnati Libri patrocinium ac defenſionem ſuſcipere: licèt poſtea cùm ſopita eſt contentio, & nullum eſt erroris vel ſchiſmatis periculum, licitum illud eſſe poſſit.

Sexta denique opinio, quam hìc ampleĉtimur, exiſtimat, Eccleſiæ de ſenſu propoſitionum vel Librorum judicanti Spiritum ſanctum ſingulari ope & aſſiſtentia ſic adeſſe, ut à vero deflectere nuſquam illa poſſit: cujus proinde Judicio acquieſcere tenentur Fideles, non ſilentio tantùm, ut vocant, religioſo, ſed ex animi ſententia, conſenſu & approbatione. Motivum igitur hujus aſſenſus & interioris noſtræ adhæſionis, eſt ipſamet ſuprema Eccleſiæ auctoritas. Nonnulli poſt Illuſtriſſimum Perefixium Archiepiſcopum Pariſienſem, fidem hanc appellant Eccleſiaſticam, quæ media eſt, inter fidem ſimpliciter divinam, & ſimpliciter humanam: quemadmodum præcepta Eccleſiaſtica nec ſimpliciter divina, nec ſimpliciter humana dicuntur. His præmiſſis totam pręſentē diſſertationem duplici omnino Concluſione abſolvemus.

Prima exemplis & factis hiſtoricis demonſtrabit, Eccleſiam uſu perpetuo & conſtanti de ſenſu propoſitionum, Librorum & auctorum decretoriè ſemper pronuntiaſſe: impoſita Fidelibus lege ut ſuo ſubſcriberent Judicio, niſi pro hæreticis, aut hæreſeos fautoribus haberi vellent, & anathemate percelli.

Secunda Concluſio demonſtrabit 1. Eccleſiam accepiſſe à Chriſto auctoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum & auctorum, ac Fideles ad ſuam ſubſcribendam ſententiam compellendi. 2. teneri

Fide-

Fideles acquieſcere interna mentis ac judicii adhæſione, non ſolo, ut vocant, religioſo ſilentio. 3. certum eſſe nec errori obnoxium hocce Judicium Eccleſiæ. Erit hæc utraque Concluſio adversùs auctores ſecundæ & tertiæ ſententiæ.

AN ECCLESIA USU CONSTANTI AC PERPETUO DE SENSU propoſitionum Librorum & auctorum decretoriè pronuntiaverit, juncta ſimul juris & facti quæſtione; ſuoque Judicio ſubſcribi voluerit à Fidelibus, atque renuentes velut hæreticos, aut hæreticorum fautores anathemate percuſſerit.

CONCLUSIO.

Eccleſia uſu conſtanti ac perpetuo de ſenſu propoſitionum, Librorum & auctorum decretoriè pronuntiavit, juncta ſimul juris & facti quæſtione; ſuoque Judicio ſubſcribi voluit à Fidelibus, atque renuentes velut hæreticos aut hæreticorum fautores anathemate percuſſit.

Probatur exemplis & factis hiſtoricis.

Auctor Apologiæ Monialium Portus Regii parte 4. fuſiori ſtylo exempla hæc percurrit, quibus demonſtrari quidem uſum Eccleſiæ in Libris configendis, & compellendis ad ſubſcriptionem Fidelibus non negat; verùm ea cum Janſenii facto, & ſubſcriptione Formularii ab Alexandro VII. imperata, nihil prorſus commune habere contendit: quia ſcilicet facta hæc vetera, quæ in exemplum vulgò proferuntur, clara erant ex ſeſe, certa, de quibus nulla erat controverſia, quibus ii tantùm ſubſcribere recuſabant, qui vel hæreſim tuebantur, vel hæreticis impenſiùs favebant, factum verò Janſenii obſcurum, implicatum, maximè controverſum inter Orthodoxos, qui cùm alienos ſe ab omni tuendo errore apertè profiteantur, compelli meritò non poſſunt ad facti hujuſmodi ſubſcriptionem: Eccleſia enim facti ſubſcriptionem nec imperavit unquam, nec Fideles eam exhibere tenentur, ait Auctor citatus, niſi cùm tam certum illud eſt ac evidens, ut ſine inſigni mala fide, ac manifeſta erroris ſuſpicione negari non poſſit.

Atqui patebit hiſtoricis exemplis mox referendis, 1. vetera facta v.gr. Neſtorii, Eutychetis, trium Capitulorum, & alia hujuſmodi, quorum ſubſciptionem Eccleſia poſtulavit, obſcura, & maximè in controverſiam adducta fuiſſe, non tantùm ab Hæreticis animo erroris, ſed & ab Orthodoxis propenſiori in auctores aliquos ab errore excuſandos voluntate. 2. Orthodoxos illos, quamquam ſe ab omni erroris ſuſpicione per apertam Catholicæ fidei profeſſionem purgaſſent, ab Eccleſia tamen idcirco malè exceptos fuiſſe, quòd proſcriptos Libros vel auctores ab errore vendicare auderent: nec priùs ad pacem admiſſos, quàm Judicio Eccleſiæ de Libris vel auctoribus ſincera ſubſcriptione acquieviſſent.

Quamquam vel in eo maximè peccat Auctor citatus, quòd exiſtimet controverſiam de facto aliquo inter Catholicos excitatam, legitimam cauſam eſſe poſſe denegandi ſubſcriptionem Eccleſiæ definitioni, eò quòd factum illud multis dubium & incertum videatur. Si ita eſt; nutabit ergo ſemper

per Eccleſiæ de factis Judicium? quoties ſcilicet inquietis hominibus placebit facta ejuſmodi in dubium & in diſputationem adducere. Licebit ergo factum Arii, Neſtorii, Eutychetis, & alia hujuſce generis in ſcenam revocare, & vetera de illis Eccleſiæ Decreta recudere? Neque enim ſuis illa caruerunt, aut etiamnum carent defenſoribus, qui obtendent ſibi tam clara & certa hæc non videri, ac viſa ſunt Nicæno, Epheſino & Chalcedonenſi Conciliis. Quàm verò patentem ad omnem licentiam aditum iſtud aperiat; quantam in rem Chriſtianam perturbationem ac confuſionem inducat; quantùm denique fanaticorum hominum deliriis, ac privato Novatorum noſtrorum ſpiritui faveat, difficile non eſt intelligere.

At, reponit idem Apologiæ Auctor, tam certa fuere & manifeſta vetera illa Arii, Neſtorii, Eutychetis &c. facta, ut nonniſi mala fide & inſigni malitia negari potuerint, & impugnari de illis Eccleſiæ Judicium.

Fateor equidem, nonniſi mala fide negari illa potuiſſe: ſed hujus malæ fidei certius non eſſe argumentum contendimus, quàm quòd adverſetur Judicio Eccleſiæ. Quod enim, quæſo, eſſet? An rei ipſius evidentia? At præterquam quòd infiniti penè ſunt qui res ejuſmodi per ſeſe expendere & dijudicare certò non valent, ſive ex imperitia, ſive ex præoccupatæ mentis judicio, non omnibus profectò æqualiter affulget rei veritas; & quod tibi evidens ac certum, alteri obſcurum & dubium videbitur. An privatum uniuſcujuſque judicium? At ſuperbiæ & temeritatis eſt non ferendæ, tuum privatum anteponere publico Eccleſiæ totius Judicio; cæteroſque ad tuam ſententiam velle adducere, cùm ipſe ſententiæ Eccleſiæ accedere recuſes. Præterea verò, tam varium eſt ac multiplex privatorum de factis ejuſmodi judicium, ut ſi ſuum unicuique permittatur, nihil fixum ac certum futurum ſit. Ex una igitur Eccleſiæ auctoritate atque Judicio haberi poteſt firma & certa tùm ſententiæ, tùm obedientiæ noſtræ regula; neque ulla à privatis obtendi unquam poteſt legitima ratio non obſequendi Decretis Eccleſiæ Libros vel auctores ſpectantibus.

Atque hæc præmittenda erant, ad præoccupandam generalem & ferè unicam Auctoris Apologiæ reſponſionem ad omnia quæ prolaturi ſumus exempla hiſtorica, ne ſæpius eadem repetere teneamur. Ad rem noſtram jam propiùs accedendum.

PRIMUM EXEMPLUM.

A damnatione Arii, Euſebii Nicomedienſis, & Theognis Nicæni Epiſcopi.

Duo continet exemplum iſtud: unum quod Arium ejuſque damnationem, alterum verò quod ſpectat Libellum pœnitentiæ ab Euſebio & Theogni oblatum.

Circa primum hæc certa obſervanda.

I. Arium ejuſque diſcipulos obſcuris & ambiguis verbis errorem ſuum dolosè involviſſe, ac finxiſſe ſe perverſum dumtaxat Pauli Samoſateni, vel Sabellii ſenſum vocis hujus ὁμοούσιος excludere ac damnare. Ita ſignificat Socrates Lib. 1. Hiſtoriæ: ita teſtantur paſſim SS. Athanaſius, Hilarius & Epiphanius.

In

Digitized by Google

In Epiſtola quam Arius cum ſuis ſcripſit ad Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, quæ refertur à ſancto Hilario Libro ſexto de Trinitate P. 881. C. circa initium, teſtatur doloſus ille, ſe ὁμοούσιον propterea negare Filium, ne *ut Valentinus prolatione Natum Patris commentatus eſt; nec ſicut Manichæus partem unius ſubſtantiæ Patris Natum expoſuit; nec ſicuti Sabellius, qui unionem dividit, ipſum dixit Filium quem & Patrem nec ſicuti Hieracas lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes*, ipſe quoque aſſerere videatur. Idem legere eſt in Epiſtola Euſebii Nicomedienſis ad Paulinum Tyri, apud Theodoretum Lib. 1. Hiſt. cap. 6. & in Epiſtola quam idem Arius ſcripſit ad Euſebium Nicomedienſem apud eundem Theodoretum Lib. 1. cap. 5. *Perſecutionem patimur*, inquiebat, *propterea quod diximus eum eſſe ex non extantibus: quod ideo diximus, quia nec pars Dei eſt, nec ex ulla ſubjecta materia*. P. 21. C. Quapropter eò impudentiæ prorupit Arii temeritas, ut quanquam Patres Nicæni ad ejus blaſphemias exhorruiſſent, ſuaſque ſibi obturaſſent aures, Imperatori tamen Conſtantino etiam cum juramento aſſeverare non erubuerit, *ſe minimè ſenſiſſe ea, quorum cauſa ab Alexandro ejectus fuerat*. Theodi pag. 42. C. Ita refert S. Athanaſius Epiſtola ad Serapionem, & Theodoretus Lib. 1. Hiſt. cap. 14.

II. Synodum Nicænam vocis hujus ὁμοούσιος uſum & Catholicam ſignificationem ita conſecraſſe, ut ſine ſuſpicione erroris rejici amplius non potuerit. Pariter verba & nomina blaſphemiæ plena quibus utebatur Arius, ejuſque Librum, quem *Taliam* inſcripſerat, condemnaſſe, fidem certam facit tùm Epiſtola Synodica Concilii Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam, apud Socratem Lib. 1. c. 9. tùm Sozomenus Lib. 1. Hiſt. c. 21.

III. Certum eſt Synodum Nicænam anathema pronuntiaſſe non tantùm in errorem, ſed & in ipſam Arii perſonam; id eſt, facti quæſtionem ſimul cum jure definiiſſe. *Placuit*, ajunt Patres Nicæni in citata Synodica Epiſtola, Tom. 2. Conc. p. 250. B. *Concilium communibus ſuffragiis anathema denuntiare & ei ipſi, & nefariæ ejus opinioni, & verbis ſententiiſque execrabilibus quibus uſus eſt ad Filium Dei blaſphemiis onerandum*. Et Socrates Lib. 1. c. 8. *Quam ob cauſam*, inquit, *Synodus Arium & omnes qui cum eo ſentiebant, anathemate percuſſit*. P. 23. B. C.

IV. Certum non minùs eſt, Arii fautores, paucis exceptis, à Concilio compulſos, ut & fidei, & damnationi Arii ſubſcriberent. Ita teſtatur oculatus teſtis Euſtathius Antiochenus apud Theodoretum Lib. 1. Hiſt. cap. 8. *Ariani*, inquit, *metuentes ne tot Epiſcopis in unum congregatis ipſi Eccleſia ejicerentur, in medium proſilientes, dogma quod improbatum fuerat, anathemate damnarunt, & Libello qui unanimi omnium conſenſu conſcriptus fuerat, propria manu ſubſcripſerunt*. P. 27. A. En illuſtre & antiquum ſubſcriptionis ab Eccleſia imperatæ monumentum; cujus mentionem quoque facit ſanctus Athanaſius Tom. 1. L. de Decretis Synodi Nicænæ p. 210. 211. & 212.

Circa ſecundum, nempe Libellum pœnitentiæ Euſebii Nicomedienſis & Theognis Nicæni, Socrates Lib. 1. cap. 8. narrat Nicænæ fidei ac damnationi Arii omnes conſenſiſſe Epiſcopos, quinque exceptis, inter quos erant duo mox appellati, qui eam ob cauſam damnati ſunt, & depoſiti à Concilio, in exilium verò miſſi ab Imperatore Conſtantino. Capite verò 14. narrat Euſebium & Theognim pœnitentia ductos Libellum Epiſcopis obtuliſſe, veniam deprecantes, eorumque apud Principem implorantes gratiam.

tiam. In eo Libello diſtinguunt illi duo Ariani Epiſcopi, (quod ad rem noſtram attinet) factum à jure ſeu dogmate. Dogmati quidem ſe conſenſiſſe teſtantur, non verò facto, id eſt, damnationi Arii, propterea quòd eum putarent innocentem & immunem ab errore cujus accuſatus fuerat. *Significamus vobis*, inquiunt, *nos fidei quidem ſubſcripſiſſe, anathematiſmo verò noluiſſe ſubſcribere; non quòd fidem reprehenderemus, ſed quia minimè credebamus illum quia accuſatus fuerat, ejuſmodi eſſe, cùm partim ex iis quæ ad nos per Literas ſcripſerat, partim ex ejus ſermonibus in conſpectu noſtro habitis, compertum haberemus, illum talem non eſſe.*

Apud Socrat. p.43.D.

Occurrit hìc primùm à duobus Epiſcopis Arianis excogitata diſtinctio juris & facti, in gratiam quidem hæreſiarchæ Arii: verùm in contumeliam Eccleſiæ, à qua ejectus ille fuerat & proſcriptus. Neque verò injuriam hanc ſibi inferri impunè tulit Eccleſia, ſicut vel ipſi apertè ſignificant hoc ſuo pœnitentiæ Libello dicti Epiſcopi: ſiquidem ad meliorem mentem reverſi, ac pro certo habentes nunquam poſſe ſe in gratiam Eccleſiæ redire aut ab exilio revocari, niſi definitioni facti, hoc eſt, Arii damnationi conſentirent, promittunt hoc ſuo Libello ſe in omnibus obſecuturos Concilii Decretis. *Quòd ſi*, inquiunt, *ſanctiſſimo veſtro Concilio ſatisfactum fuerit*, (ut reddit Valeſius, vel ut alii) *Quòd ſi perſuaſum fuerit veſtro Concilio Arium talem eſſe, qualis accuſatus fuit, non repugnantes, ſed conſentientes iis quæ à vobis decreta ſunt, etiam hoc Libello conſenſum noſtrum confirmamus*. Et paulò poſt: *Si in conſpectum veſtrum nos venire patiemini, invenietis nos in omnibus concordes, & Decretis veſtris mordicùs inhærentes*. Revocant igitur duo illi Epiſcopi (quantumcunque reclamet Auctor Apologiæ parte 4. cap. 8. & 9.) priorem ſuam in Arium indulgentiam; revocant & ſuam in eo ab errore excuſando contumaciam; atque in omnibus, hoc eſt, in quæſtione tam facti quàm juris, Nicæno Concilio concordes ſe eſſe profitentur.

Ibid.

At, inquit Auctor Apologiæ, qua conſcientia potuiſſent duo illi Epiſcopi obligare ſe ad dicendum Ario anathema, qui, ſi Libello fides, ſe ipſum ab errore jam purgaverat, ab exilio fuerat revocatus, & in gratiam atque communionem Eccleſiæ receptus; cuique proinde tunc anathema dici amplius non poterat?

Reſp. tunc quidem temporis Epiſcopos illos anathema non dixiſſe Ario, neque etiam hoc ſuo Libello ipſi ſignificant, ſed ut maximam, quæ dari poteſt, erga Concilii Decreta ſignificent ſuam obedientiam & reverentiam, ſuam priorem de Ario deponunt opinionem, eumque reipſa erraſſe, ac meritò damnatum à Concilio agnoſcunt, quamquam ſubinde correctus ille & emendatus ſupponatur.

Majorem difficultatem præſeferre videtur quod addit ibidem citatus Apologiſta, ut nempe totam hanc Socratis narrationem falſi, Libellum verò duorum Epiſcoporum ſuppoſitionis manifeſtæ redarguat.

I. Narrat Socrates duos illos Epiſcopos cum aliis tribus recuſaſſe ſubſcribere in Concilio, tùm fidei definitioni, tùm damnationi Arii; eamque ob cauſam illos à Concilio depoſitos, & ab Imperatore in exilium amandatos fuiſſe. Atqui certiſſimis Veterum monumentis conſtat, omnes, ſolis exceptis Theona Marmaricæ, & Secundo Ptolemaidis Epiſcopis, Nicænæ fidei & depoſitioni Arii conſenſiſſe; atque nonniſi poſt Concilium, Euſe-

bium Nicomedienſem & Theognim Nicænum ob initam cum Arianis ſocietatem in exilium pulſos fuiſſe. Ita teſtantur Patres ipſi Nicæni in Synodica Epiſtola apud Socratem Lib. 1. c. 9. S. Athanaſius Lib. de Decretis Synodi Nicænæ pag. 210. 211. & 212. editionis Pariſienſis poſtremæ, Euſtathius Antiochenus apud Theodoretum Lib. 1. Hiſt. c. 7. & alii benè multi.

II. Supponit Libellus ille prætenſus, Euſebium & Theognim in ipſo Concilio damnatos ac depoſitos fuiſſe: atqui tamen ex teſtimoniis mox indicatis conſtat illud falſum eſſe.

III. Supponit Socrates Libellum oblatum fuiſſe Patribus in Concilio adhuc ſedentibus: at pugnat iſtud cum Hiſtoriæ veritate. Uno enim & eodem anno Synodus Nicæna & initium & finem habuit; juxta Baronium ad annum Chriſti 325. n. 7. Epiſcopi autem illi Libellum obtulerunt in exilio adhuc detenti, quo tribus poſt Concilium menſibus mulctati fuerant, teſte Philoſtorgio Lib. 1. c. 10. & à quo poſt tres annos fuerunt revocati, teſte eodem Lib. 2. c. 7. id eſt, anno 328.

IV. Supponit Socrates & Libellus quem refert, Arium pœnitentiam ab ipſomet Nicæno Concilio in gratiam & communionem receptum: at licèt ea in opinione fuerint S. Hieronymus & Rufinus, ſimilitudine nominis alterius Arii decepti, reclamant & contradicunt Veteres omnes; S. Athanaſius Apologia ſecunda; Patres Nicæni in citata Synodica Epiſtola; Concilium pariter Alexandrinum in ſua quoque Synodica Epiſtola; Socrates Lib. 1. c. 8. Theodoretus Lib. 1. c. 7.

Reſpondeo ſatis firma non videri hæc momenta, ut Libellum disjiciant à fide quam à totu ſæculis apud omnes obtinuit.

Ad primum igitur, duo hìc confundere videtur Auctor Apologiæ, quæ diſtingui debent, nempe Socratis narrationem, & ſupplicem duorum Epiſcoporum Libellum. Non renuimus lapſum eſſe Socratem, cùm ſcripſit Euſebium & Theognim noluiſſe Concilio Nicæno ſubſcribere, & eam ob cauſam depoſitos & in exilium miſſos, congregatis adhuc in Concilio Epiſcopis; citata etenim teſtimonia repugnant. At ſi peccat in aliquo Hiſtoricus, ac ſibi contrarius eſt; an idcirco Acta & Inſtrumenta publica quæ profert, in ſuſpicionem falſi & ſuppoſitionis venire debent? Non profectò; niſi fortè Inſtrumenta hæc manifeſtas præſeferrent ſuppoſitionis notas, qualem profectò non eſſe pœnitentiæ Libellum à Socrate relatum contendimus. Libellus enim ille non ſupponit, ſicut Socrates, duos illos Epiſcopos fuiſſe à Concilio depoſitos, & eo adhuc ſtante in exilium pulſos. Quid enim ajunt in eo dicti Epiſcopi? *Dudum*, inquiunt, *à pietate veſtra damnati*. Iſtud verò, *dudum*, intelligi non immeritò poteſt de tempore ſubſequente Concilium: tribus ſcilicet poſt Concilium menſibus, juxta Philoſtorgium, damnati illi ſunt in alio Concilio, ſicut conjicit doctiſſimus Valeſius in ſuis notis ad Caput 14. Lib. 1. Hiſtoriæ Socratis. Cauſam damnationis iſtam refert Synodus Alexandrina ann. 339. in ſua Synodica Epiſtola, *Propter*, inquit, *eo-* *Tom. 2.*
rum impietatem, & communionem cum Arianis à Nicæno Concilio reprobatis. *Conc. p.*
Exilii verò cauſam exponit Conſtantinus in ſua ad Nicomedienſes Epi- 542. C.
ſtola: *Ipſe*, inquit Imperator, *quoſdam Alexandrinos qui à fide noſtra defece-* D.
rant, huc mitti juſſeram, quandoquidem eorum opera diſſidii flamma incenſa *Ibid. p.*
erant. Sed illi honeſti boniqueſcilicet Epiſcopi, (Euſebius & Theognis) *quos vera* 283. A. B.

Concilii dijudicatio ad pœnitentiam agendam reſervaverat, non ſolùm eos admiſerunt ad ſe, & ſecum tutò collocarunt, verùm etiam illorum depravatis moribus communicarunt. Quamobrem ingratos iſtos aliquo pacto puniendos eſſe cenſui, & juſſi, ut à ſuis abrepti Sedibus longiſſimè relegarentur. Conjicere igitur meritò poſſumus, duos illos Epiſcopos, metu exilii, ficto animo tùm fidei, tùm Arii depoſitioni ſubſcripſiſſe in Concilio; quo ſoluto, inita rurſus cum Arianis ſocietate, & excogitata diſtinctione juris & facti, fidei occultiùs inſidiatos eſſe, atque eam ob cauſam damnatos & in exilium pulſos, in quo per tres annos detenti ſunt, quo temporis intervallo Arius cantata palinodia revocatus eſt, atque communioni reſtitutus.

Inde patet falsò ſupponi Libellum hunc Patribus in Concilio Nicæno adhuc ſedentibus oblatum fuiſſe: falsò non minùs ſupponi Arium pœnitentem ab eodem Concilio receptum. Nihil igitur continet Libellus à Socrate relatus, quod non poſſit rectè conciliari cum veteribus Hiſtoriarum monumentis.

SECUNDUM EXEMPLUM.

A damnatione Librorum Origenis.

Variam Origenis fortunam, ac diverſa de illo Scriptorum judicia qui pleniùs noſſe deſideraverit, legat eruditas Illuſtriſſimi Huetii Diſſertationes. Præſenti cauſæ noſtræ tria obſervaſſe ſufficiat.

Primum, de ſenſu Librorum Origenis multùm & diu diſputatum, aliis orthodoxum, aliis hæreticum ſenſum affingentibus: quo tamen non obſtante conflictu, Eccleſia Libros Origenis proſcripſit, atque è Fidelium manibus eripuit, detecta ac rejecta prava illorum doctrina, quod præſertim in Concilio generali V. contigit.

Secundum, compulſos fuiſſe Origenis patronos ad ſubſcribendam de eo Eccleſiæ ſententiam.

Tertium, vel eo ipſo errorum Origenis ſuſpectos malè audiiſſe, qui tametſi errores illos in ſe ipſis rejicerent, ab illis purgare Origenem contra Judicium Eccleſiæ præſumebant.

Primum qui negaverit, ſe planè hoſpitem & peregrinum in hiſtoria Origenis probaverit. Vel ipſe Origenes Hom. 25. in Leviticum, & in Epiſtola ad amicos Alexandrinos, apud S. Hieronymum Apolog. ſecunda contra Rufinum, conqueritur ſibi falſas ab invidis & calumiatoribus impoſitas opiniones, ac vitiatos ab Hæreticis Libros ſuos.

Nemo præterea ignorat quàm diverſa fuerint de Libris & doctrina Origenis judicia, Euſebii, Didymi, Rufini, Epiphanii, Hieronymi, &c. Euſebius Ariano, Didymus Catholico ſenſu exponit quæ de Trinitate ſcripſit, teſte S. Hieronymo (Tom. 4. par. 2. p. 407.) L. 2. Apolog. contra Rufinum. *Doctiſſimus Euſebius*, inquit, *nihil aliud agit, niſi ut Origenem ſuæ oſtendat fidei, id eſt Arianæ perfidiæ*. Cùm verò Rufinus loca hæc eadem apud Origenem mala Hæreticorum fraude inducta contenderet, veriſimile id non videri probat ſanctus Doctor, eo quòd Didymus ea ſenſu Catholico exponere tētaverit: (Ibid. p. 409.) *Non negavit*, inquit, *ab Origene ſcripta, quæ ſcripta ſunt, ſed nos ſimplices homines non poſſe intelligere quæ dicuntur, & quo ſenſu in bonā partem accipi debeant*,

debeant, perſuadere conatur. Hunc porrò Didymi conatum improbat ſanctus Doctor eodem Libro, *Caſſo*, inquit, *labore conatur alienum errorem defendere*. *Ibid. p. 401.* Improbat pariter Rufinum & alios, qui errores Origenis rejiciebant in eos qui Libros ipſius interpolaverant: *Hac enim*, inquit ibid. *defenſionis perturbatione, nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accuſari poterunt: quia quidquid nos ab his impiè dictum objecerimus, diſcipuli reſpondebunt, non à magiſtris ſuis ita editum, ſed ab inimicis eſſe violatum*. *Ibid. p. 409.*

Non deerant quoque qui ad excuſandum Origenem, cauſabantur eum non aſſertivè, nec dogmaticè, ſed dubitando tantùm & inquirendo multa dixiſſe. Hoc ipſum de ſe affirmavit aliquando Origenes, teſte S. Hieronymo Epiſtola ad Avium n. 59. *Hæc*, inquit loquens de metempſycoſi Pytagoræ, *juxta noſtram ſententiam non ſunt dogmata, ſed quæſita tantùm atque projecta, ne penitus intractata viderentur*. *Ibid. p. 763.*

Denique ſanctus Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 43. narrat multos defenſores Origenis fidem ejus ab errore contra Trinitatem vindicaſſe; quos tamen apologiſtas ferre non potuit S. Hieronymus. Unde celebrem ſub nomine Pamphili Martyris vulgatam Origenis Apologiam, ſancto huic Martyri abjudicat, & Euſebio alteri reſtituit: quamquam etſi à Martyre elaborata illa fuiſſet, ſanguine ſuo maculam hanc ſubinde expiaſſet, addit idem ſanctus Doctor in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum. *Ibid. p. 348.*

Atqui tamen Eccleſia attendens ad ſenſum erroneum verbis Librorum Origenis expreſſum, Libros illos toto terrarum orbe damnavit, ait S. Hieronymus Lib. 3. Apol. contra Rufinum; & ne à Fidelibus legerentur, prohibuit, teſtibus Socrate Lib. 6. cap. 7. & 10. Sozomeno Lib. 8. cap. 14. S. Hieronymo Epiſtola ad Tranquillinum 56. aliàs 76. Anaſtaſio S. Pontifice in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, ubi ſibi gratulatur Imperatorum Decretis è manibus Fidelium ereptos illos Origenis Libros; Severo Sulpitio Dialogo 1. & ante ipſos Pamphilo in Apologia. Ipſe denique Juſtinianus Imperator in Tractatu ſeu Epiſtola ad Mennam, quam, Liberato teſte c. 23. Breviarii, Vigilius S. Pontifex cæterique Epiſcopi approbarunt, anathema dixit *Origeni ejuſque doctrinæ, & ei omni qui eam ullo modo quocunque tempore tueri præſumit*. Quod anathema ratum habuere & confirmavere Synodus V. generalis Collatione 8. ſexta etiam generalis, Actione 17. & 18. ſeptima denique, Actione 1. 3. & 7. *Tom. 5. Conc. p. 778.* *Ibid. p. 679. B.*

Secundum, nempe ad præcavendam omnem fraudem & erroris ſuſpicionem, ad ſubſcribendam damnationem errorum & Librorum Origenis compulſos fuiſſe ipſius diſcipulos, patet duplici illuſtri teſtimonio, S. Hieronymi, & Juſtiniani Imperatoris.

Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Pammachium & Oceanum, recenſens varia defenſorum Origenis ſubterfugia, *Hoc*, inquit, *vel maximè cavent, ne quando contra auctorem ſuum eorum ſcripta teneantur. Facilè dicunt cum juramento, quod poſtea alio ſolvant perjurio. Ad ſubſcriptionem tergiverſantur quæruntque ſuffugia.... Si quando urgeri cœperint, & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſia, miras Strophas videas. Sic verba temperant; ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant &c.* Audis aut *ſubſcribendum fuiſſe damnationi Origenis, aut exeundum de Eccleſia*. *Tom. 4. part. 2. p. 343.* *Ibid. p. 344.*

Juſtinianus Imperator in citata ad Mennam Epiſtola versùs finem, jubet

1. ut convocentur Epiſcopi & Monaſteriorum Præfecti. 2. ut illi omnes
Tr. 5. damnatis in Origene Capitulis dicant anathema: *Omnibus*, inquit, *præ-*
Conc. p. *dicendum eſt, ne omnino quiſquam audeat talem hæreticum aut ejus expoſitiones de-*
670. E. *fendere, ſed eas unuſquiſque ex toto animo & tota cogitatione oderit & averſetur,*
& anathematiſet, ut à Chriſtiana traditione alienas, & ſimpliciorum animabus
gravem afferentes luem & peſtem. 3. mandat ne quis impoſterum ordinetur Epiſcopus aut Monaſteriorum Præfectus, niſi priùs ſubſcripſerit damnationi Origenis, eumque ſicut & alios Hæreticos, anathemate damnaverit.
Ib. C.D. *Ut & ipſi*, inquit, *ſubſcriptione propria anathematiſent Origenem ſceleſtaque ejus dogmata*. Ita certè actum olim erga perverſos Libros & eorum auctores, quantumcunque de eorum mente variis ſtudiis hinc & inde diſputaretur; quibus controverſiis finem imponere tandem debet Eccleſiæ de Libris hujuſmodi Judicium.

Tertium denique, malè audiiſſe defenſores Origenis, etſi erroris ipſi falsò, ut putabant, affictos rejicerent,

Patet 1. ex Poſthuminiano apud Severum Sulpitium Dialogo 1. ubi peregrinationis ſuæ diarium quoddam exponens, narrat diſſidia Alexandriæ ſuborta inter Epiſcopos & Monachos Niſtriæ, occaſione Librorum Origenis.
Bib. PP. T. 6. p. *Septimo die*, inquit, *Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter Epiſcopos at-*
358. H. *que Monachos certamina gerebantur, ex ea occaſione, quia congregati ſæpius in unum Sacerdotes frequentibus decreviſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis Libros legeret aut haberet.... quia in illis Libris Epiſcopi quædam inſaniùs ſcripta memorabant, quæ aſſertores ejus* (id eſt defenſores Origenis) *defendere non audebant, ſed fraudulenter inſerta dicebant*; atque adeo propter illa, cætera quæ recta ſunt, prohibenda non eſſe. Illi ergo Monachi perſonam Origenis, non ejus perverſam tuebantur doctrinam: atqui tamen narrat ibidem Poſthuminianus, reprehenſos illos ab Epiſcopis fuiſſe ac durè exceptos, atque omnes indiſcriminatim Libros Origenis ex eorum manibus excuſ-
Ibid. p. ſos: *Quia*, inquiunt Epiſcopi, *ſatis ſuperque ſufficerent Libri alii, quos Eccle-*
359. A. *ſia recepiſſet; atque reſpuendam penitus lectionem, quæ plùs eſſet nocitura inſipientibus, quàm ſapientibus profutura*. Addit ibidem idem Auctor; ſe non auſum fuiſſe ſuum de hoc diſſidio interponere judicium; nihilominus videri ſibi, debuiſſe Monachos illos Epiſcoporum Decretis obtemperare. Ea igitur tantùm de cauſa Monachi illi malè audierunt, & durè ſunt excepti ab Epiſcopis, quòd, poſthabito Eccleſiæ Judicio, Libros Origenis retinerent, legerent, & ab erroribus immunes eſſe contenderent.

Patet 2. ex iis quæ Conſtantinopoli contigere, narrante Socrate Lib. 6. cap. 9. & Sozomeno L. 8. cap. 12. & 13. Scilicet cùm ſuis Monaſteriis expulſi Monachi, inter quos erant præcipui germani fratres, qui ob proceritatem corporis Longi vocabantur, ait Socrates L. 6. cap. 7. Conſtantinopolim ad S. Chryſoſtomum confugiſſent, honorificè & perhumanè ab ipſo excepti ſunt, ad communionem quidem precum admiſſi, non verò ad participationem Sacramentorum: hacque prudenti œconomia uſus eſt ſanctus Doctor, quia eos nec planè innoxios conjiciebat, cùm fuiſſent ab Epiſcopis damnati, nec etiam hæreticos, cùm omnem, Palladio teſte, damnarent hæreſim. Illi ergo Monachi vel ea tantùm de cauſa à participatione Sacramentorum excluſi ſunt à ſancto Chryſoſtomo, quòd Epiſcoporum Decretis obſi-

obſiſterent, Libroſque Origenis damnatos & retinerent, & vindicarent ab errore.

Patet 3. ex S. Hieronymo Epiſtola ad Pammachium & Marcellam aliàs 78. nunc 87. ubi non diſſimulat inter defenſores Origenis plures fuiſſe qui ejus dumtaxat perſonæ, non erroribus, quos negabant ipſius eſſe, faverent. *En*, inquit, *Papa Theophilus tota Origenem arguit libertate hæreticum eſſe, nec illi* (ejus defenſores) *dicta defendunt, ſed fingunt ab Hæreticis immutata, multorumque dicunt Libros ſimiliter depravatos; ut illum non ſua fide, ſed aliorum tueantur erroribus.* Ejuſmodi verò defenſores Origenis ſuſpectos fuiſſe errorum ipſius, ſignificat idem S. Doctor Epiſt. 65. nunc 41. ad Pamm. & Oceanum: *Cęterorum*, inquit, *vitia de Libris ſuis* (Origenis) *ad hoc tantùm excerpitis, ut hujus defendatis errorem. Origenem ſic fertis in cælum, ut eum nihil erraſſe dicatis.* Ibidem ait tam odioſum extitiſſe nomen Origenis, atque tam malam ejus defenſoribus aſperſam eſſe famam, ut à centum & quinquaginta annis, ex quo Tyri mortuus fuerat Origenes, nemo auſus fuerit latino ſermone reddere Libros ipſius de Reſurrectione, de Principiis &c. *Quis*, inquit, *per infame opus ſe ipſum voluit infamari?*

To. 4. part. 2. pa. 690. *Ibid. p. 346.* *Ibid. p. 345.*

Denique Baronius, quem perpetuò nobis opponunt adverſarii, ad annum Chriſti 256. n. 40. temeritatis arguit eos omnes, qui contra Judicium Eccleſiæ Origenem ab omni errore purgare conantur. Verba inferiùs referemus.

Dices 1. cum Auctore Apologiæ parte 4. c. 15. Illi Niſtriæ Monachi erroribus Origenis reipſa adhęrebant, teſte Theophilo in Epiſtola ad S. Hieronymum: mirum igitur eſſe non debet quòd tam durè exagitati fuerint ab Epiſcopis.

Reſp. aliquos quidem Monachos erroribus Origenis adhæſiſſe, de quibus Theophilus, Epiphanius, & alii; non verò omnes: erant enim multi, qui rejectis erroribus Origeni affictis, idcirco tantùm reprehenſi ſunt, quòd purum ab illis eſſe Origenem contenderent, de quibus loquuntur adducta teſtimonia.

Dices 2. cum eodem: Qui volebant Scripta Origenis aut vitiata fuiſſe ab Hæreticis, ut Rufinus; aut in Catholicum ſenſum poſſe ea quæ de SS. Trinitate ſcripſit, adduci, ut Didymus, *qui certè*, ait S. Hieronymus Apol. adv. Rufin. Libro 2: *in Trinitate Catholicus eſt*, ii propterea nulla leguntur cenſura Eccleſiaſtica perſtricti; ſed hoc unum ab illis poſtulabatur, ut miſſa facti quæſtione, errores ipſos, qui Origenis eſſe dicebantur, in ſe ipſis damnarent. *Quid mihi*, inquit S. Hieronymus alloquens Joannem Hieroſolymitanum, Epiſtola 38. aliàs 61. *longo ſermone & laciniosis periodis Arianum te non eſſe demonſtras? Aut nega hoc dixiſſe eum, qui arguitur; aut ſi locutus eſt talia, damna quia dixit.*

Tom. 4. part. 2. p. 407. *Ibid. p. 310.*

Rufinum pariter alloquens Lib. 1. Apol. *Si non es*, inquit, *Origeniſtes vel non fuiſti, credo juranti. Si fuiſti, ſuſcipio pœnitentem.* S. igitur Hieronymus non exigit aut à Rufino, aut à Joanne Hieroſolymitano ut ſubſcriberent quæſtioni facti; id eſt, ſibi perſuaderent Origenem revera reum eſſe errorum quorum accuſatus fuerat, ſed dumtaxat ut errores illos apertè damnarent, quod viro Catholico ſatis eſſe debet.

Ibid. p. 361.

Reſp. 1. duas hìc diſtingui debere quæſtiones valdè diverſas. Prima, utrum hic vel ille Liber ſit hujus vel illius auctoris, integer & ſincerus, an vitiatus & interpolatus. Secunda, quis ſit illius Libri, à quocunque tandem

ſcriptus fuerit, ſenſus, quæ doctrina. Prima quæſtio eſt facti puri, ſimplicis, & merè, ut vocant, perſonalis, quam ſupponit Eccleſia, non definit, & in qua falli abſolutè poteſt, & fallere, cùm pendeat ex teſtimonio hominum. Ea de cauſa reprehenſus non eſt Rufinus, quòd aſſereret manu adultera errores intruſos fuiſſe in Libris Origenis, ſed quòd eos latino ſermone reddendo, approbaſſet, & ſuos veluti feciſſet. Altera verò quæſtio propriè juris eſt, ſeu ad dogma pertinet, de qua decretoriè pronuntiat Eccleſia, nec patitur alium Libris ſenſum affingi, ab eo quem ipſa Judicio ſuo vel probavit, vel damnavit: nec alia ratione excuſandus venit Didymus propter Catholicum ſenſum Origeni circa Trinitatem affictum, quàm quòd tunc temporis nullo publico Eccleſiæ Judicio notata fuiſſet Origenis de Trinitate doctrina. Unde in utramque partem de ipſius ſenſu liberè diſputatum fuiſſe obſervat ſanctus Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 43. *Verùm*, pergit ibidem ſanctus Doctor, *alia ſunt ejuſdem dogmata, quæ Eccleſia omnino non recipit, in quibus nec ipſum falsò arguit, nec poteſt à ſuis defenſoribus excuſari*. Et verò ipſemet Origenes errorem ſuum fatetur, dum veniam pro eo poſtulat in Epiſtola ad S. Pontificem Fabianum, teſte S. Hieronymo in Epiſtola ad Pammachium n. 65. *Pœnitentiam agit*, inquit, *cur talia ſcripſerit; & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quòd ſecretò edita in publicum protulerit*. Meritò igitur damnatus eſt Didymus, ait idem S. Hieronymus Lib. 2. Apol. contra Rufinum c. 4. *quia in aliis dogmatibus in Origenis ſcita concedit; & quod omnes Eccleſiæ reprobant, Catholicè & piè dictum eſſe defendit*.

T. 8. p. 13. A.

T. 4. pa. 2. pag. 347.

Ibid. p. 400.

Reſp. 2. totam diſputationem S. Hieronymi cum Rufino & Joanne Hieroſolymitano de jure ſeu dogmate potiſſimùm fuiſſe, hoc eſt, utrum talis doctrina, quæ dicebatur eſſe Origenis, ſana foret, an erronea. Cùm verò intelligeret ſanctus Doctor, illos doctrinam hanc velut ſanam & orthodoxam tueri, meritò, relicta facti quæſtione, totum ſe ad jus ſeu dogma convertit, & ab illis poſtulat, ut apertè errores illos rejicerent, ſive ſint Origenis, ſive cujuslibet alterius auctoris. Præterea cùm tota facti quæſtio volveretur de mente ſeu doctrina Origenis circa Trinitatem; de qua nihil pronuntiaverat Eccleſia, mirum eſſe non debet, quòd S. Hieronymus nec Rufinum, nec Joannem Hieroſolymitanum adegerit ut agnoſcerent eo in capite revera erraſſe Origenem.

TERTIUM EXEMPLUM.

A damnatione Pelagii & Cæleſtii.

Duo ad rem noſtram accommodata ex hoc facto inferimus.

Primum: Pelagium, mirum fallendi & diſſimulandi artificem, quamquam errorem ſuum Catholicis in ſpeciem verbis obvelaret, quamquam aut negaret ſua eſſe, quæ ejus nomine circumferebanrur Scripta, aut contenderet orthodoxa, compulſum tamen ab Eccleſia fuiſſe, erroneum, quem ipſa in iis detexerat, ſenſum damnare.

Secundum: Qui erroris Pelagiani ſuſpecti erant, vel ab illo converſi redibant ad Eccleſiam, coactos fuiſſe ſubſcribere damnationi non erroris tantùm, ſed etiam auctorum ipſius.

Quan-

Quantùm ad primum: S. Auguſtinus Lib. de Gratia Chriſti cap. 37. ait ſe T.10 p.
Pelagii Epiſtolam ad Demetriadem legiſſe, *mihique*, inquit, *penè perſuaſerat* 246.F.
hanc illum gratiam, de qua quæſtio eſt, confiteri: tanta nimirum erat arte ad Ibid.
fraudem compoſita. *Sub ambiguâ*, pergit ſanctus Doctor, *generalitate quid* Ibid. p.
ſentiret abſcondens, gratiæ vocabulo frangens invidiam, offenſionemque decli- 192.A.
nans. Lib. de geſtis Pelagii cap. 1. cùm Pelagio fuiſſet objectum, in quodam Ibid. p.
Libro eum dixiſſe, *non poſſe eſſe ſine peccato niſi qui legis ſcientiam habue-* 209.C.
rint; *Ego quidem*, repoſuit ille, *hoc dixi, ſed non ſicut illi intelligunt*. Cap. Ibid. p.
14. ad aliam objectionem pariter reponit: *dictum illud quidem à nobis, ſed* 207.C.
malignè & imperitè reprehendunt. Cap. 13. cùm aliqua ex Cœleſtino deprom- Ibid p.
pta capitula Pelagio objicerentur, *Magis*, inquit S. Auguſtinus, *ſecundùm ſen-* 208.C.
ſum quàm ſecundùm verba, reſpondit Pelagius; *Hæc utrum Cœleſtii ſint, ipſi*
viderint qui dicunt ea eſſe Cœleſtii; ego verò nunquam ſic tenui. Et iterum Ibid. p.
cap. 19, *Dico*, inquit, *quia hæc non ſunt mea, pro quibus ſatisfactionem non* 215.D.
debeo: quæ verò mea eſſe confeſſus ſum, hæc recta eſſe affirmo.

Ipſe pariter *Innocentius I.* in Epiſtola ad quinque Epiſcopos, apud ſanctum To.2.p.
Auguſtinum n. 183. & Lib. de peccato originali cap. 9. varias illas Pelagii ar- 642.A.
tes & dolos recenſens, *Objecta*, inquit, *ille partim vitando ſuppreſſit, partim* T.10.p.
multa in ſe verba retorquendo tota obſcuritate confudit, aliqua magis falſis ar- 275.A.
gumentis, quàm vera ratione, purgavit, negando alia, alia falſa interpreta-
tione vertendo. His artibus Patribus Palæſtinis verſipellis ille impoſuit,
eorumque cenſuræ ſe ſubduxit.

Ex quibus patet Pelagium de ſenſu Scriptorum ſuorum litigaſſe, quem
planè Catholicum eſſe contendebat. Inde eſt quòd Neſtorius ſcribens ad
Cœleſtinum S. Pontificem aſſerit, Pelagianos maximè conqueſtos fuiſſe
de impoſitis ſibi per calumniam erroribus.

Atqui tamen Eccleſia perverſum Libri Pelagii ſenſum deprehendit & da-
mnavit, ſicuti teſtatur Innoc. I. Epiſtola 183. inter Auguſtinianas n. 5. *Librum*, To.2.p.
inquit, *qui ejus eſſe diceretur, evolvimus, in quo multa contra Dei gratiam* 645.C.
legimus eſſe conſcripta, multa blaſphema, nihil quod placeret, & nihil penè D.
quod non penitus diſpliceret, à quovis damnandum atque calcandum ..... Ana- Ibid. E.
thematiſet ergo iſta quæ ſenſit &c. Innocentii Judicio acquieſcunt 214. Epiſcopi
in Concilio Africano an. 417. & omnes per Orbem ſparſæ Eccleſiæ.

Imò compulſi ſunt Pelagius & Cœleſtius non quidem pro ſuis agnoſcere Li-
bris, quos negabant ſuos eſſe, (iſtud enim pertinet, ut diximus, ad quæſtio-
nem facti merè perſonalis) ſed damnare illorum Librorum, cujuſcunque tan-
dem forent, doctrinam. Ita multis in locis refert S. Auguſtinus. Lib. de geſtis
Pelagii cap. 6. interrogatus Pelagius in Synodo Palæſtina, utrum ſcripſiſſet, T.10.p.
poſſe hominem eſſe ſine peccato, negavit. *Quo audito, Synodus dixit: Quo-* 200. n.
niam negas te talia ſcripſiſſe, anathematiſas eos qui ſic tenent? Pelagius reſ- 16.
pondit: Anathematiſo. Et cap. 11. rurſus ad ſatisfactionem ſanctæ Synodi,
Anathematiſo illos qui ſic tenent, aut aliquando tenuerunt. Et Epiſtola Aure- Ibid. p.
lii ad Innoc. I. inter Auguſtinianas 177. aliàs 195. n. 7. *Si autem*, inquit, *hunc* 205.A.
eſſe ſuum Librum negat, aut eadem in Libro loca, non contendimus: anathe- To.2.p.
matiſet ea. Et n. 15. *Anathematiſet Pelagius Scripta ſua ... aut ſi ea eſſe* 624.E.
negat, aut Scriptis ſuis ab inimicis ſuis dicit immiſſa quæ ſua eſſe negat, ana- Ibid. p.
thematiſet ea tamen & damnet. Inde eſt quòd Africani Epiſcopi obſervant ſatis 627.B.

non

T. 19. p. non eſſe, quòd Cœleſtius promiſerit ſe Innocentii Epiſtolis generatim conſen-
434. C. ſurum, ſed adhuc neceſſe eſſe, *ut apertè damnet quæ in ſuo Libello malè poſuerat*. Ita refert S. Aug. Lib. 2. ad Bonifacium cap. 3.

At, inquies, compulſus non fuit ab Eccleſia Pelagius, ut fateretur & crederet, hoc vel illud ſcriptum, aut dogma Cœleſtii eſſe.

Fateor, quia nempe Cęleſtius ipſe negabat, aut ſuum eſſe Librum, aut in eo contineri quod objiciebatur. Verùm compulſus eſt uterque damnare per verſum ſenſum, ſeu erroneam doctrinam quæ hoc in Libro exprimebatur, imò & Librum ipſum, & auctores, quicunque tandem forent, tùm Libri, tùm doctrinæ.

Secundum, quod ex hoc Pelagii & Cęleſtii facto colligimus, nempe eos qui vel ſuſpecti erant erroris, vel ad Eccleſiam redibant, compulſos fuiſſe ſubſcribere damnationi non tantùm erroris Pelagii, ſed etiam ipſius perſonæ.

P. 18. Probatur 1. ex Commonitorio Mercatoris cap. 3. *Hæc omnia*, inquit, *ſupra ſcripta capitula continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zozimi Epiſtola, quæ dicitur Tractoria, qua Cęleſtius Pelagiuſque damnati ſunt; quæ & Conſtantinopolim, & per totum Orbem miſſa ſubſcriptionibus SS. Patrum eſt roborata: cui Julianus, & reliqui complices ejus ſubſcribere detractantes .... non ſolùm Imperialibus Legibus, ſed & Sacerdotalibus Statutis depoſiti atque exauctoritati, ex omni Italia deturbati ſunt*. Et verò adverſùs Pelagianos nonnulla prodierunt Imperatorum Edicta, inter quæ iſtud eſt Honorii ad Aurelium
Tom. 2. Carthaginenſem datum an. 419. quo jubet, ut qui Pelagii & Cęleſtii damnatio-
Conc. p. ni ſubſcribere recuſarent Epiſcopi, deponerentur, & communione in perpe-
1608. E. tuum privarentur. Ita teſtatur Aurelius in Epiſtola ad univerſos Epiſcopos per Byzacenam & Arzugitanam Provinciam conſtitutos. Rationem hujus
Ibid. p. ſubſcriptionis ibidem ſubjicit: *Ut nihil*, inquit, *omnino ſit unde ullius*
1609. C. *diſſimulationis vel negligentiæ, vel occultæ forſitan pravitatis aliqua videatur meritò remanſiſſe ſuſpicio*.

In Concilio Arauſicano II. an. 529. multis Canonibus proſcripti ſunt Pelagianorum errores, atque ipſis oppoſita veritas Catholica confirmata. In fine autem ſic Patres loquuntur: *Et quia definitionem antiquorum Patrum, noſtramque,*
Tom. 4. *quæ ſupraſcripta eſt, non ſolùm Religioſis, ſed etiam laicis medicamentum eſſe &*
Conc. p. *deſideramus & cupimus; placuit ut eam etiam & illuſtres ac magnifici viri, qui*
1071. C. D. *nobiſcum ad præfatam feſtivitatem convenerunt, propria manu ſubſcriberent*.

Probatur 2. ex S. Leone Epiſtola ad Epiſcopum Aquileenſem 6. aliàs 86. quæ
To. 1. p. eſt de Pelagianis in communionem recipiendis. *Damnent*, inquit, *apertis pro-*
423. *feſſionibus ſui ſuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur; omniaque Decreta Synodalia quæ ad exciſionem hujus hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum*. Et in Epiſtola ad Septimium 7. aliàs 85. *Saluberrimum eſt*, in-
Ibid. p. quit, *& ſpiritualis medicinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive Presbyteri ſive*
214. *Diaconi, ſive alii cujuslibet ordinis Clerici, qui ſe correctos videri volunt, errorem ſuum, & ipſos erroris auctores damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur*. Igitur ad præcavendam erroris ſuſpicionem, in qua neminem patientem eſſe permittit S. Hieronymus Epiſtola ad Pammachium, neceſſaria eſt ſubſcriptio damnationi erroris & auctorum ipſius.

QUAR-

QUARTUM EXEMPLUM.

A damnatione Neſtorii.

Totum Neſtorianæ impietatis virus in eo veluti collectum latebat, quòd negaret Beatam Virginem, θεοτόκον, *Deiparam*. Inde enim ſequitur 1. Chriſtum non eſſe verè & per ſubſtantiam Deum, ſed per gratiam dumtaxat & aſſiſtentem ſeu inhabitantem tanquam in templo divinitatem. 2. moralem eſſe, non phyſicam & hypoſtaticam in Chriſto unionem divinitatis cum humanitate. 3. non unam eſſe in Chriſto perſonam, ſed duas; non unum, ſed duos Chriſtos; quæ totidem impii erroris capita in Neſtorio reipſa damnavit Eccleſia univerſa, omneſque ejus defenſores adduxit ab ſubſcribendam damnationem tùm erroris, tùm perſonæ Neſtorii.

Ita eſt, reſpondet Auctor Apologiæ cap. 19. 20. & 21. at Neſtorii error tam evidens erat, certus & manifeſtus, ut de eo dubium non eſſet, neque ſine amentia, mala fide & animo Catholicæ veritati infenſo negari poſſet.

Demonſtramus è contra 1. de mente & ſenſu Neſtorii obſcuro & implicato diu multùmque, ad ſchiſma uſque, certatum ab iis qui eum in verbis dumtaxat incautè lapſum contendebant, non in fide; quem idcirco immeritò ab Epheſina Synodo errore facti damnatum affirmabant, ejus ſcilicet ſenſu non ſatis cognito & explorato. 2. demonſtramus Joannem Antiochenum & alios nonnullos Neſtorii patronos, quamquam ſe ab omni erroris ſuſpicione per apertam fidei Epheſinæ profeſſionem purgaſſent, non priùs tamen ad pacem & communionem Eccleſiæ admiſſos fuiſſe, quàm Neſtorii damnationi & depoſitioni conſenſiſſent.

Prius facilè demonſtratur, tùm ex ipſomet Neſtorio, tùm ex defenſoribus ipſius.

Neſtorius in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, quæ extat cap. 3. Synodici apud Baluſium in nova Conciliorum Collectione, & Chriſtianum Lupum, declarat 1. ſe pacis cauſa ad ſedandas contentiones inter ſuos Clericos exortas, nomen *Chriſtiparæ* ſubſtituiſſe in locum *Deiparæ*. 2. ſe non obſtare quin B. Virgo dicatur *Deipara*, pio & Catholico ſenſu, excludendo ſcilicet pravum ſenſum Apollinaris & Arii, quem unum doloſus ille ſe averſari fingebat. *P. 688.*

Sermone 5. n. 4. ait, apud ſe nullam eſſe de voce θεοτόκος invidiam, modò B. Virgo Dea non dicatur. *Dixi jam ſæpius*, ait, *ſi quis inter vos ſimplicior, ſive inter quoſcumque alios voce hac* θεοτόκος *gaudet, apud me nulla eſt de voce invidia, tantùm ne Virginem faciat Deam*. Et Epiſtola tertia ad Cœleſtinum n. 2. *Ego autem*, inquit, *& hanc quidem vocem, quæ eſt* θεοτόκος, *niſi ſecundùm Apollinaris & Arii furorem ad confuſionem naturarum proferatur, volentibus dicere non reſiſto*. Et Sermone 13. n. 7. *Etiam nunc*, ait, *evidentiore ſermone ſumma voce proclamo, quoniam ſancta Virgo & Dei eſt & hominis genitrix.* *Apud M. Mer. part. 2. p. 30. Ibid. p. 80. Ibid. p. 94.*

Sermone 12. n. 2. Paulum Samoſatenum exagitat, quòd à Chriſto ſeparaverit divinitatem ab ejus humanitate inſeparabilem. *In ſtupore remaneat dentium Paulus Samoſatenus*, inquit, *qui nobis Dominicam humanitatem nudam* *Ibid. p. 85.*

à dei-

à deitate delirat; qui ſolam, præter divinitatem fabulatur hanc, quæ ſemper conjuncta eſt atque connexa.

Ib. p. 9. Sermone 2. unum dumtaxat Chriſtum videtur agnoſcere. *Chriſtus*, inquit, *ſecundùm quod eſt Chriſtus, indiviſus eſt; & filius, ſecundùm quod eſt filius, indiviſus eſt. Non enim habemus duos Chriſtos vel duos filios.*

Epiſtola 2. ad S. Cyrillum (1. parte Conc. Epheſini) *In eo*, inquit, *laudo quòd diſtinctionem naturarum ſecundùm divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una perſona conjunctionem prædicas, quòdque Deum Verbum altero ex muliere ortu minimè indiguiſſe affirmas.* Tom. 3. Conc. p. 324. C. D.

Denique cap. 6. Synodici conqueritur Neſtorius depravata & interpolata fuiſſe Scripta ſua; & verba quæ disjuncta erant, malignè ſic unita & compoſita ſimul fuiſſe, ut contra mentem ſuam perverſum omnino ſenſum redderent. Baluz. Collect. Conc. p. 694. & 695.

Atque toties repetita hæc Neſtorii declaratio, quamquam doloſa & mendax, multis tamen occaſionem dare potuit, ut revera dedit, exiſtimandi bono & ſimplici animo eum, ſin minùs in verbis caſtigatum, in fide ſaltem purum & orthodoxum.

Et reipſa multi hac opinione ducti, ejus patrocinium ac defenſionem amplexi ſunt.

Joannes Antiochenus inter cæteros fervidus Neſtorii patronus, in Epiſtola ad ipſum data (par. 1. Conc. Epheſ.) *Ut intelligo*, inquit, *non infrequenter multi ex te audierunt, quòd ipſam vocem*, (θεοτόκον) *non piam vocis notionem averſeris.* Ibidem perſuadere ipſi conatur, *ne vocem ipſam rejiciat*. Quid in gratiam Neſtorii fecerit Joannes Antiochenus, notius eſt, quàm ut hìc repetere opus ſit. Tom. 3. Conc. p. 391. D.

Acacius Beroenſis Epiſcopus in Epiſtola ad S. Cyrillum 1. parte Concilii Epheſ. fatetur quidem Neſtorio vocem malè elapſam, quæ deberet emendari; ac contendit ſanum & Catholicum eſſe ipſius ſenſum, idque à pluribus teſtibus ita confirmari aſſerit. Exemplum ibidem adducit Paulini Antiocheni, qui tametſi pertimeſceret tres dicere in Deo hypoſtaſes, re tamen ipſa à fide Catholica non diſſentiebat. Ibid. p. 384.

Eutherius Thyanenſis & Helladius Tharſenſis ſcribentes ad Sixtum S. P. (cap. 117. Synodici) conqueruntur verba Neſtorii in ſenſum ab ejus mente planè alienum diſtorta fuiſſe. Baluz. Collect. Conc. p. 819.

Theodoretus ægrè admodum, ut notum eſt, adduci potuit ut ſubſcriberet ſententiæ in Neſtorium pronuntiatæ, quem exiſtimabat immunem ab errore cujus fuerat accuſatus; atque S. Cyrillo Alexandrino graviter ſuccenſuit, quòd inter conditiones pacis exigeret ut anathema Neſtorio indiſcretè diceret; & Joanni Antiocheno, quòd eam tandem admiſiſſet. *Exigit autem* (Cyrillus) ait Theodoretus ſcribens ad Andream Samoſatenum Epiſcopum, *ſubſcriptionem facte dudum damnationis, & ut anathematiſetur ſancti Epiſcopi dogma Neſtorii. Scit autem veſtra Sanctitas, quòd ſi quis indiſcretè doctrinam anathematizet ejuſdem ſanctiſſimi & venerabilis Epiſcopi, idem eſt ac ſi pietatem anathematizare videatur.* Et poſtea: *Exiſtimo præ omnibus maximè ſatisfactum eſſe domino meo ſanctiſſimo & venerando Joanni Epiſcopo, quòd nullatenus acquieſcam in damnationem domini mei ſanctiſſimi & venerandi Neſtorii Epiſcopi præbere conſenſum.* Et in Epiſtola ad ipſum Neſtorium: *His autem*, inquit, Apud M. Mer. part. 2. p. 274. col. 2. Ibid. p. 273. col. 1.

inquit, *quæ contra tuam venerationem injuſtè atque iniquè patrata ſunt, nec ſi mihi utramque manum quis abſcinderet, potero præbere conſenſum.*

Socrates Lib.7.cap.32.ait tantam altercationem ac tantum tumultum de ſenſu Neſtorii excitatum fuiſſe, ut generali opus fuerit Concilio. Ibidem addit, *Videri ſibi Neſtorium in rei veritate nec Paulo Samoſateno nec Photino conſenſiſſe, ſed eum ex imperitia dumtaxat Deiparæ vocem velut larvam reformidaſſe.* P.374. A. *Ibid.E.*

Quin nec deſunt inter recentiores Novatores, qui data opera Neſtorium purgant ab errore; atque de ſolo nomine excitatam fuiſſe controverſiam præfractè contendunt, non ſine gravi S. Cyrillo totique Synodo Epheſinæ aſperſa culpa & reprehenſione; quaſi zelo paulò commotiori ac præcipiti egiſſent Patres in Neſtorium. Lege, ſi vacat, quæ eam in rem ſcripſit Novator Bayle in ſuo Hiſtorico & Critico Dictionario, titulo, *Neſtorius* & *Rodon*.

Hæc porrò non eo conſilio adduximus, ut in dubio relinquamus, an Neſtorius hæreticè vel catholicè ſenſerit, abſit: novimus enim verſutam hæreſiarchæ indolem, qui, ut loquitur Epheſina Synodus in Relatione ad Imperatorem, Act.6. *ad tegendam impoſturam uſque adeo callidus fuit, ut quidam quoque ſanctiſsimi Epiſcopi, occultato errore ab eo decepti ſint, eique ſeſe adjunxerint, qui actis illius ſubſcripſerint; qui tamen, poſtea quam dilucidè quid ſentiret, eſſent percontati, illumque ſuas blaſphemias retegentem comperiſſent, ab eo defeciverunt, ac ſanctæ Synodo ſe adjunxerunt.* Et Cœleſtinus ipſum alloquens Neſtorium, (1. par. Conc. Epheſ. cap. 18.) *Deprehenſus es*, inquit, *quòd multiloquio labebaris, dum vera involvis obſcuris; rurſus utraque confundens, vel confiteris negata, vel niteris negare confeſſa.* *Tom.3. Conc.p. 747.B.* *Ibid.p. 356.A.*

Novimus inſidioſo ac planè ſubdolo ſenſu eum non recuſaſſe B. Virginem dicere *Deiparam*, quatenus ſcilicet hominem genuit Deo conjunctum, templum quidem Dei, at non Deum ex unione perſonali & hypoſtatica: Chriſtum pariter Deum appellabat, non propter ſubſtantialem unionem, ſed quia humanitas Chriſti nuſquam fuit ſine Verbo, unione ſaltem morali, qua fit ut Deus ſit quidem hominis, & homo Dei, ſed non Deus homo, nec homo Deus: unum pariter Chriſtum & unam in eo perſonam agnoſcere ſe fingebat; verùm hoc ſenſu, quòd ex duabus perſonis una tantum coaluiſſet morali nexu & voluntatum conformitate. Hunc, inquam, Neſtorii errorem novimus; at fateatur neceſſe eſt Auctor Apologiæ, non omnibus ita compertum & exploratum fuiſſe Neſtorii ſenſum, quin graves de illo excitatæ fuerint contentiones, multique fuerint dignitate & eruditione præſtantes viri, qui purum ab errore Neſtorium, ſimplici & bona fide, quamquam erronea, exiſtimaverint. Quis porrò litem hanc & controverſiam componet, niſi ſupremum Eccleſiæ Judicium?

Et revera Eccleſia excuſſis Neſtorii Epiſtolis & Sermonibus, errorem & perſonam ipſius proſcripſit, atque Joannem Antiochenum alioſque Neſtorii patronos, quamquam fidei Epheſinæ conſenſiſſent, & ab omni ſuſpicione erroris ſe purgaſſent, ad pacem & communionem prius non admiſit, quàm Neſtorii damnationi ac depoſitioni ſubſcripſiſſent.

I. quidem damnatum cum ſuo errore Neſtorium, res eſt abſque controverſia. Actione prima Concilii Epheſini, poſt lectionem Epiſtolæ Neſtorii

Ibid. p. 493. & ſeq. rii ad S. Cyrillum, Patres ajunt: *Omnia quæ Epiſtola hæc complectitur, cum fide Nicæna apertè pugnant, ſuntque ab eadem omnino aliena: quare omnes qui ita credunt, à recta fide alienos eſſe judicamus.* Et poſtea: *Omnes Epiſcopi ſimul clamaverunt: Quicunque Neſtorium non anathematiſat, anathema ſit.... Omnes: Neſtorii Epiſtolam & dogmata anathematiſamus.... impiam fidem Neſtorii anathematiſamus.... Quicunque hunc non anathematiſat, anathema ſit.* Ibid. p. 501. B. Vides Concilium ſimul juris & facti quæſtionem ſua definitione complecti & conjungere, id eſt, errorem damnare, non nudè & abſtractè, ſed errorem Neſtorii.

II. Fuerit reipſa hæreticus Joannes Antiochenus, (quo nomine non ſemel infamatur à Patribus Epheſinis) an tantùm hæreſeos & perſonæ Neſtorii fautor, diſputatur quidem, ſed hac ſepoſita lite negare nemo jure poteſt, quin ſe poſtea ab omni ſuſpicione erroris plenè purgaverit, miſsa ad S. Cyrillum per Paulum Epiſcopum Emiſſenum omnino Catholica fidei profeſſione, quæ, judice ipſo S. Cyrillo in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, (3. parte Conc. Epheſini cap. 34.) *irreprehenſibilem continet fidei definitionem.* Ibid. p. 1177. E. Quin ipſe Sixtus S. Pontifex ſcribens ad S. Cyrillum poſt initam pacem, (3. parte Conc. Epheſini cap. 41.) ſignificat Joannem Antiochenum impietati Neſtorii reipſa non adhæſiſſe: *Non ſe,* inquit, *exuli veſtro* (Neſtorio) *ſanctus frater noſter Joannes addiderat; non ejus eſt blaſphema prædicatione deceptus: nam quantùm rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit.* Ibid. p. 1177. A. Ibidem cap. 27. extat Epiſtola Joannis ad Sixtum, qua declarat ſe cum ſuis in ſola Neſtorii damnatione ac depoſitione à Synodo aliquando diſſenſiſſe. Et certè eo ipſo quo Joannes cæterique Orientales Neſtorium ab errore Epheſi damnato purgare tentabat, fatebantur ſe in fide quidem concordes eſſe, & in ſolo facto diſſentire. Ibid. p. 1088. F.

III. denique, certum eſt & exploratum, Joannem Antiochenum cæteroſque Neſtorii defenſores, quamquam, ut diximus, ab erroris ſuſpicione purgatos, non priùs ad pacem atque communionem admiſſos, quàm propria manu ſubſcripſiſſent damnationi & depoſitioni Neſtorii.

Patet illud ex Epiſtola S. Cyrilli ad Donatum Nicopolis veteris Epiſcopum (parte 3. Concilii Epheſini cap. 38.) in qua initæ pacis hiſtoriam texit. Narrat ibi Orientales per Acacium Beroenſem Epiſcopum iniquas propoſuiſſe conditiones pacis, nempe ut quæcunque in Neſtorium acta fuerant in ſuſpenſo veluti manerent, atque ſufficeret Nicæno Symbolo ſubſcripſiſſe: *Ego verò,* ait S. Cyrillus, *ad hæc reſcripſi, rem illos poſtulare quæ fieri planè non poſſit.* Ibid. p. 1152. C. Quod ubi reſciverunt Orientales, alias dedere ad S. Cyrillum Epiſtolas per Paulum Emiſſenum, *communionis quidem inſtaurationem concernentes,* ait ſanctus Cyrillus, *parum tamen rectè dictatas:* tùm quia non continebant ſubſcriptionem damnationi & depoſitioni Neſtorii, qualem exigebat Eccleſia; tùm quia nonnullas præſeferebant in ipſum ſanctum Cyrillum querimonias. Ibid. E. Priorem rationem affert ſanctus Doctor in ſua Epiſtola ad Theognoſtum & Charmoſynum, capite 85. Synodici, ubi ait Paulum Emiſsenum Alexandriam veniſſe, *ſed quia non venit,* inquit, *chartam non habens* (nempe ſubſcriptionis) *quòd anathematiſaret Joannes Neſtorii dogmata...... dixi: quia non poſſumus communionem ei reddere.* Baluz. Coll. Conc. p. 795. Has igitur Litteras pariter rejecit ſanctus Cyrillus. Cùm verò intelligerent Orientales, non poſſe ſe alia

con-

conditione in gratiam redire, niſi dicto anathemate Neſtorio, promiſerunt ſe ſub *conditione* ſaltem illum damnaturos, ſi nempe *docuiſſet aliquid alienum à fide*. Effugium iſtud excogitavit Joannes Antiochenus, teſte Theodoreto in Epiſtola ad Himerium Nicomedienſem. *Sed anathematiſmus inſertus*, inquit, *quia non indiſcretè, ſed ſub quadam conſideratione poſitus eſt, ſolatium præſtitit. Nec enim dixit* (Joannes Antiochenus:) *Anathematiſamus doctrinam ejus; ſed quæcumque aliter dixit aut ſenſit, quàm doctrina Apoſtolica continet.* At neque hac aſtutia illudi ſibi paſſus eſt S. Cyrillus, ſed abſolutam & ſimplicem poſtulavit ſubſcriptionem, quam tandem ſuo & aliorum Orientalium nomine obtulit dictus Paulus Epiſcopus. Ita teſtatur S. Cyrillus in laudata ad Donatum Epiſtola. *Non priùs*, inquit, *ad ſinaxim Epiſcopum illum recepti, quàm dato Libello Neſtorii dogmata ſuo ſcripto anathematiſaſſet, ſeque illum pro depoſito habere confeſſus eſſet, & ordinationi religioſiſſimi Epiſcopi Maximiani aſſenſiſſet.* Et in Epiſtola ad Acacium Melitinæ Epiſcopum (parte 3. Conc. Epheſ. cap. 35.) *Verumtamen*, inquit, *cùm religioſiſſimus Epiſcopus Paulus paratum ſe diceret Neſtorii blaſphemias anathematiſare, ſcriptoque in illius depoſitionem conſentire, atque id pro omnibus, & tanquam ex communi omnium Orientalium Epiſcoporum perſona ſe ſe facere affirmaret &c.* admiſimus. Cùm autem Præſul ille poſtulaſſet ut ſua hæc ſubſcriptio, tam ſuo quàm aliorum nomine facta, ſufficeret, neque quidquam aliud à ſingulis exigeretur, non annuit S. Cyrillus, ſed propriæ manus ſubſcriptionem tùm Joannis, tùm aliorum deſideravit: *Modis omnibus affirmabam*, ait S. Doctor citata Epiſtola ad Acacium, *ut religioſiſſimus reverendiſſimuſque Antiochenus Epiſcopus ſcriptam his de rebus confeſſionem ederet.* Idem narrat in Epiſtola ad Donatum; ac tandem eò compulſus & adductus fuit Joannes Antiochenus cum ſuis. *Cùm igitur*, ait ſanctus Cyrillus in Epiſtola ad Donatum, *piiſſimus Joannes ſubſcripſiſſet, cæterique qui cum illo illuſtriores erant, cùmque Neſtorii doctrinam anathematiſaſſent, & quòd ipſum pro depoſito haberent, profeſſi eſſent, ac Maximiani religioſiſſimi piiſſimique Epiſcopi ordinationem approbaſſent, communionem illis reſtituimus. Hæc enim etiam Epheſi ſancta Synodus ab ipſis exigebat.* Sic tandem pax conciliata eſt, ac reſtituta inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum concordia.

Apud M. Mer. p. 2. pag. 276.

Tom. 3. Conc. p. 1153. A.

Ibid. p. 1116. B.

Ib. C.

Ibid. p. 1153. B.C.

Non omnes quidem ſtatim ſcripſere, imprimis verò Theodoretus, qui tantùm biennio ferè poſt inflecti potuit. Imò cùm Joannes Antiochenus haberet in mandatis ab Imperatore, ut ſingulos Neſtorii defenſores cogeret ad ſubſcribendam ejus damnationem, atque mollius mandatum illud urgeret, à ſancto Cyrillo admonitus ſubſcriptionem hanc ſeveriùs exigere cœpit. Ita colligimus ex Epiſtolis S. Cyrilli ad Ariſtolaum Tribunum (Synodi cap. 194.) & ad Lamponem Presbyterum, ibid. cap. 206. & ad Maximum cap. 208.

Baluz. Coll. Conc. p. 889. Ibid. p. 913. & 914.

Inde eſt quòd cùm Theodoretus ſcripſiſſet ad Joannem in gratiam Alexandri Epiſcopi, rogans ne propter denegatam ſubſcriptionem eum deponeret, nihil obtinere potuerit, quamquam duplici potiſſimùm ratione inflectere illum tentaret: *Prima erat, quia* (inquit in illa Epiſtola Synodici cap. 172.) *quæ docet ſunt orthodoxa. Secunda, quoniam ſilentium ſervat, Eccleſiæ pacem in nullo contaminans.*

Ibid. p. 875.

En religioſum ſilentium, ætate noſtra in cauſa Janſenii tam famoſum, quod

ſuffi-

ſufficere non judicavit vel ipſe Joannes Antiochenus. Alexander quippe ille cæterique Neſtorii defenſores, propter recuſatam ſubſcriptionem ejus damnationi & depoſitioni, damnati ſunt & in exilium amandati; ſicut colligitur ex cap. Synodici 148. 185. & præſertim 190. in quo nomina eorum appellantur: adeo verum eſt, quod hic contendimus, ſemper voluiſſe Eccleſiam ut Fideles ſuo de factis doctrinalibus Judicio acquieſcerent, neque contumaces impunè tuliſſe.

Unde Cæleſtinus Summus Pontifex in Epiſtola ad Synodum Epheſinam (p. 3.
Tom. 3. Conc. Epheſ. cap. 20.) loquens de Neſtorianis ad Eccleſiam redeuntibus, *In*
Conc. p. *noſtro*, inquit, *collegio noverint ſe non futuros, niſi ſecundùm Eccleſiaſticum*
1072. *& Chriſtianorum Principum Conſtitutum, damnata cum auctoribus ſociiſque*
A. *damnantes, ſe profiteantur Catholicos Sacerdotes.*

QUINTUM EXEMPLUM.

Ex Theodoreto qui in Concilio Chalcedonenſi compulſus fuit nominatim dicere anathema Neſtorio.

Theodoreti nec perſonam, nec Scripta defendere nobis hìc animus eſt. Novimus quippe eum impotenti planè animo Neſtorio faviſſe, ac S. Cyrillum impugnaſſe Scriptis, quæ Synodus V. generalis meritò proſcripſit, velut Neſtorianum errorem ſpirantia. Ad pacem Eccleſiæ recuſata diu ac dilata ſua ſubſcriptione tardè admiſſus fuit, nec alia quidem conditione, quàm dicto nominatim anathemate Neſtorio, & probata ejus damnatione ac depoſitione.

Unum hìc ad rem noſtram apprimè obſervandum, Theodoretum, quo tempore compulſus fuit à Synodo Chalcedonenſi ſubſcribere anathemati in Neſtorium pronuntiato, nulla amplius erroris ſuſpicione laboraſſe, ſed illum planè Catholicum judicatum, tùm à S. Leone, ad quem appellaverat de ſen-
To. 1. p. tentia Dioſcori, tùm à Patribus Chalcedonenſibus. A S. Leone Sedi ſuæ re-
617. A. ſtitutus eſt, non ſine laude & commendatione ſanæ fidei: *Benedictus Deus noſter*, ait Summus Pontifex in Epiſtola ad Theodoretum, *cujus invincibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te ſecundùm Sedis Apoſtolicæ Judicium, demonſtravit*: Et Actione prima Concilii Chalcedonenſis, Judices ju-
Tom. 4. Conc. p. bent ſedere in Concilio Theodoretum, *Quia*, inquiunt, *& reſtituit ei Epiſ-*
102. B. *copatum ſanctiſſimus Archiepiſcopus Leo, & ſacratiſſimus & piiſſimus Imperator ſanxit eum adeſſe Synodo.... & teſtimonium habet Orthodoxæ fidei à*
Ibid. E. *Maximo Antiocheno Epiſcopo.* Ipſe denique Pelagius II. in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ, ait Theodoretum nonnulla quidem ſcripſiſſe contra rectam fidem,
Tom. 5. *Quæ ipſe*, inquit, *poſtmodum converſus damnavit.* Quin non ſemel declara-
Conc. p. vit vel ipſemet Theodoretus, ſe non erroris, ſed perſonæ Neſtorii, quem
640. D. ab errore immunem credebat, defenſionem ſuſcepiſſe. Ita legere eſt in Epiſtolis quas ſcripſit ad Andream Samoſatenum, ad populum Conſtantinopolitanum &c. (Synodici cap. 40.)

Nihilominus tamen velut hæreticus exagitatus Chalcedone fuit, ea tantùm de cauſa quòd refugeret clarè & diſtinctè dicere anathema Neſtorio, hoc eſt, ſubſcribere quæſtioni facti Epheſi definitæ.

Actione prima Concilii Chalcedonenſis, Illiriciani, Palæſtini, & præcipuè Ægy-

Ægyptii interceſſere ne Theodoretus ſederet in Concilio. *Miſeremini*, inquiebant, *fides perit. Iſtum Canones ejiciunt; hunc foras mittite, magiſtrum Neſtorii foras mittite*. Judices verò ne eorum animos exaſperarent, promiſerunt ſe cauſam Theodoreti poſteà expenſuros. *Tom 4. Conc. p. 101. B.*

Actione octava cauſa ipſius ad examen adducta fuit: & rogatus ut diſtinctè diceret anathema Neſtorio, diverticula quærit; atque modò Libellos ſuos Imperatori & Vicariis Apoſtolicæ Sedis oblatos repræſentat, modò ſe ab Orthodoxis genitum orthodoxè ſemper docuiſſe affirmat, modò ſe non tantùm Neſtorium & Eutychem, ſed & omnem hominem qui non rectè ſapit, adverſari proteſtatur: verùm, non acquievit Synodus, neque vagam hancatque indeterminatam damnandi rationem admiſit; cui ſcilicet fraudis aliquid & internæ reſtrictionis ſubeſſe poterat, qua non ita pridem uſus fuerat Joannes Antiochenus; qua utebantur ipſimet Ægyptii in Concilio Chalcedonenſi Actione 4. ut Eutychem non abſolutè, ſed conditionatè tantùm damnarent. Itaque ad præcludendam omnem æquivocationi & ſubterfugio viam, Epiſcopi dixerunt: *Dic clarè anathema Neſtorio*. Atque cùm ille adhuc hæſitaret, Epiſcopi clamaverunt: *Iſte hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt. Hæreticum foras mittite*. Quibus clamoribus territus Theodoretus, tandem ceſſit, & dixit: *Anathema Neſtorio, & ei qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam &c.* Qua audita declaratione, Judices dixerunt: *Omnis jam dubitatio de Theodoreto eſt ſoluta.... Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Theodoretus dignus eſt Sede*. Audis Theodoretum à Patribus hæreticum appellari, vel eà tantùm de cauſa, quòd Neſtorio hæretico non diceret anathema, quamquam tunc ſe planè Orthodoxum demonſtraſſet aperta fidei Catholicæ profeſſione, ſubſcripſiſſet Epiſtolæ S. Leonis, ac Sedi ſuæ ab illo Summo Pontifice fuiſſet reſtitutus, à quo inſigne ſanæ ſuæ doctrinæ teſtimonium reportaverat. Audis non priùs omnem de ipſo depoſitam dubitationem, donec clarè & diſtinctè dixiſſet anathema Neſtorio, hoc eſt, facto ab Eccleſia definito ſubſcripſiſſet. *Ib. D. E* *Ibid. p. 621. A.* *Ibid. B.* *Ibid.* *Ibid. G.* *Ibid. D.*

Quid ad hæc Auctor Apologiæ? Duo potiſſimùm cap. 23. Apologiæ reſpondet.

I. Clamores illos adversùs Theodoretum à ſolis Ægyptiis ipſi infenſis excitatos fuiſſe contra omnem æquitatem: non poterat enim ille hæreticus jure appellari, qui jam fidem ſuam expoſuerat, & quidem ſanam & Orthodoxam; qui Neſtorio & Euticheti dixerat anathema. Parùm etenim refert, ſi vel ante, vel poſt fidei profeſſionem dicatur anathema Hæreticis. Addit alter ejuſdem ſectæ Scriptor, probandam non eſſe, nec in exemplum trahendam hanc agendi rationem, tametſi conſtaret totius Synodi illam fuiſſe, non privatorum aliquorum Epiſcoporum.

II. Reponit, unum Theodoretum Neſtorii factum omninò evidens ac certum in dubium tunc temporis revocaſſe; adeoque mirum eſſe non debere quòd Patribus ſuſpectus meritò fuerit, ac compulſus, ut communi ſententiæ ſubſcriberet.

Verùm, reſpondeo ad primum: Auctorem Apologiæ ſuis imponere lectoribus. Certum quippè eſt ex Actis Concilii, Ægyptios octavæ Actioni Concilii non interfuiſſe. Certum nonminùs, non aliquos dumtaxat, ſed om-

nes Concilii Patres, ita cum Theodoreto egiſſe; tùm quia poſtquam ille dixiſſet anathema Neſtorio, ſtatim omnes Epiſcopi clamaverunt, *Theodoretus dignus eſt Sede*. Omnes, inquam, qui paulò antè dixerant aut dicentibus annuerant, *Iſte hæreticus eſt, hæreticum foras mittite*. Tùm quia Leontius Actione 6. de ſectis, Auctor Collationis Catholicorum cum Severianis, Vigilius Summus Pontifex in celebri ſuo conſtituto, Concilium denique V. generale expreſsè affirmant Theodoretum una totius Synodi voce compulſum dicere nominatim anathema Neſtorio. Neque refert quòd Theodoretus ſuam antea fidem expoſuiſſet, ac Neſtorio dixiſſet anathema; ita quidem; ſed quia generatim tantùm & conditionatè, ſicut fecerant Ægyptii erga Eutychetem, Neſtorium damnaverat, voluit Synodus ut diſtinctè ac nominatim anathema illud in Neſtorium pronuntiaret, ad omnem præcavendam fraudis ſuſpicionem. Quod addit alter Scriptor, gravem meretur cenſuram & reprehenſionem, quaſi aliquid iniquum & injuſtum audere poſſet Eccleſia, quæ non minùs in moribus ſancta eſt, quàm infallibilis in fide.

Ad ſecundum: adhuc imponit Auctor Apologiæ. Conſtat enim certiſſimis monumentis, Chalcedonenſis Concilii tempore præter Theodoretum multos alios denegaſſe ſubſcriptionem damnationi & depoſitioni Neſtorii. Extant in Synodico benè multæ Orientalium Epiſtolæ, quibus adhuc propenſum ſuum in Neſtorium animum ſignificant. Legatur Epiſtola Eutherii & Helladii ad Sixtum Summum Pontificem, (cap. 117.) Legatur Epiſtola Theodoreti ad Alexandrum, (cap. 168.) ubi ait Cilices & Iſauros cum Joanne Antiocheno adunatos quidem, ſed depoſitioni Neſtorii acquieſcere noluiſſe. Legatur ejuſdem Epiſtola ad Hymerium, (cap. 71.) ubi non tantùm ſuo, ſed aliorum ſuæ Provinciæ Epiſcoporum nomine declarat, ſtatutum fuiſſe ut depoſitioni Neſtorii non ſubſcriberetur. Has profectò Epiſtolas vel non legerat, vel mala fide diſſimulavit Auctor Apologiæ, cùm ſcripſit omnes, uno excepto Theodoreto, tempore Concilii Chalcedonenſis, Neſtorium pro hæretico jure damnato ac depoſito habuiſſe.

Baluz. Coll. Conc. p. 817. Ibid. p. 867. Ibid. p. 774.

SEXTUM EXEMPLUM.

A damnatione Eutychetis, & ſubſcriptionibus quas ejus cauſa imperavit Synodus Chalcedonenſis.

Eutyches celeberrimi Monaſterii Conſtantinopolitani Abbas, erroris circa Incarnationem accuſatus & convictus fuit ab Euſebio Dorylæi Epiſcopo apud Flavianum Conſtantinopolitanum. Ex imprudenti & imperito zelo in oppugnanda Neſtorii hæreſi, lapſus eſt in oppoſitam. *Neſtorius quippè*, ait Vigilius Tapſenſis in Africa Epiſcopus Lib. 2. contra Eutychem n. 5. *duas inducendo naturas, duas putavit eſſe perſonas, & ob hoc arbitratus eſt ſacrilego dogmate duos Chriſtos inducere. Eutyches reſpiciens unam perſonam, unam cenſuit eſſe naturam, & ob hoc humanam auſus eſt negare; & quia eſt in Chriſto & naturarum proprietas, & perſonæ unio, Neſtorius proprietatem attendendo naturarum, à perſonæ excidit unione, & duos putavit Chriſtos, unum paſſibilem, alterum impaſſibilem eſſe: Eutyches unam intendendo perſonam, à naturarum proprietate deſcivit, & ipſam divinitatem aſſeruit paſſam.*

Bibliot. PP. To. 8. p. 726 D.

Duo

Duo igitur erant erroris Eutychiani capita: primum, ante unionem ſeu Incarnationem duas quidem fuiſſe in Chriſto naturas, poſt unionem verò unam: alterum, carnem Chriſti noſtræ non eſſe conſubſtantialem.

Utrumque iſtud erroris caput tanquam ſuum ultro agnovit hæreſiarcha in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flaviano, nec uſquam adduci potuit ut primum revocaret. *Confiteor*, inquiebat Actione 7. Conc. Conſtantinopolitani relecta Actione 1. Concilii Chalcedonenſis, *ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem verò unam naturam confiteor*. Alterum verò caput viſus eſt revocare: *Uſque ad hodiernum diem*, inquit ibidem, *non dixi corpus Domini & Dei noſtri conſubſtantiale nobis ...quoniam verò modò dicitis, omnibus conſentio*. Abutebatur ille, ſicut & Dioſcorus, nonnullis S. Cyrilli verbis perperam intellectis. Tom.4. Conc.p. 226. E.

Quamquam verò clara foret iſta erroris profeſſio, difficile tamen admodum fuit intima & occulta illius principia rimari ac detegere: quo nimirum ſenſu vellet ille unam eſſe in Chriſto poſt unionem naturam; an unam per compoſitionem, quomodo una eſt natura hominis ex anima & corpore, an unam per confuſionem, qua ratione gutta mellis mari perfuſa, una eſt cum aqua maris; an unam per converſionem vel divinæ in humanam, vel humanæ in divinam naturam; an unam denique voce tenus, ut exponit Vaſques in tertiam partem q.2. diſp.14. cap. 2. quia nempè natura humana in Chriſto cum divina longè nobiliori conjuncta, naturæ nomen retinere non meretur. Quamtumvis ille premeretur, nunquam potuit adduci, ut apertè mentem ſuam circa modum hunc aperiret: *Abſit*, inquiebat Actione *6*. Conc. Conſtantinopolitani, *de natura loqui ſeu diſputare Dei mei*. Hunc quidem modum ſubſequentes Eutychetis diſcipuli expoſuerunt; varii variè Catholicorum diſputationibus irritati & calefacti, ait Petavius Lib. 1. de Incarnatione cap. 14. n. 8. At ſectæ caput Eutyches, ſive ex imperitia, ſive ex malitia de illo ſiluit; atque hinc tanta caligo ejus ſententiæ offuſa, ut vix cognoſci potuerit. Accedebat hominis tarditas, qui non ſatis quò ſuus duceret error, animo aſſequebatur: aliquando etiam cœterorum Catholicorum more orthodoxè loqui ac ſentire videbatur, omnemque hæreſim planè averſari, unde conqueſtus nonnumquam fuit, ſibi per calumniam impoſitos fuiſſe errores Valentini & Appollinaris.

Hac tamen neglecta proteſtatione meritò damnatus fuit tanquam reus errorum Valentini & Apollinaris, ut fert ſententia in ipſum Conſtantinopoli pronuntiata. Imò Gelaſius in Libro de duabus Chriſti naturis, ait Eutychem etiam invitum, quodam circuitu & occultis ambagibus, recidere in errorem Neſtorii, quem multùm averſabatur. Addit Vigilius Lib. 1. contra Eutychem n. 15. *eum uſque ad cænulentam Arii voraginem turbidis ferri meatibus*: quæ totidem erroris ſui conſectaria, etſi voce tenus negaret ille, meritò tamen ipſi imputata fuere, utpote quæ neceſſario nexu forent cum præcipuo ejus errore colligata. Bibliot. PP.To. 8.p.701 E.

Quantum verò attinet ad ſubſcriptiones in cauſa Eutychetis à Synodo Chalcedonenſi imperatas, legimus triplicis eas ordinis fuiſſe.

I. Juſſit Synodus ſubſcribi Epiſtolæ dogmaticæ S. Leonis ad Flavianum Conſtantinopolitanum, quæ Actione 2. lecta eſt & omnium conſenſu probata. *Hæc Patrum, hæc Apoſtolorum fides*, exclamant Patres, *omnes ita cre-*

dimus.... Petrus per Leonem locutus eſt. Anathema ei qui ita non credit. Et Actione 4. *Qui non ſubſcribit Epiſtolæ cui omnis Synodus conſenſit, hæreticus eſt.* Atque parum abfuit quin Ægyptii moras ad ſubſcriptionem trahentes, hoc prætextu quòd ſibi abſque ſuo Patriarcha ſubſcribere non liceret, tanquam hæretici à Synodo ejicerentur.

II. Juſſit ſubſcribi depoſitioni Dioſcori, qui tot nefanda in gratiam erroris & perſonæ Eutychetis perpetraverat.

III. Denique, quod unum hic attendimus, juſſit ſubſcribi non tantùm damnationi erroris ſed & perſonæ Eutychetis, etiam ab iis qui damnabant quidem errorem ipſi falsò, ut putabant, impoſitum, ſed ejus tuebantur perſonam.

Ante Synodum Chalcedonenſem id juſſerat Flavianus, ac Monachos ſubſcribere recuſantes, ea de cauſa quòd Eutychem crederent innocentem, communione privaverat: qua de re tanquam nova & inuſitata conqueſtus eſt hæreſiarcha in Libello quem Epiſcopis Latrocinii Epheſini obtulit. *Sed*, inquit, *& ſubſcribere dictatam adversùs me ſententiam compellebat; nunquam (ſicut veſtra novit Reverentia) tali habita conſuetudine, nec contra apertos hæreticos: & in Orientem & per alia diverſa loca deſtinavit chartas, ut etiam & ab aliis religioſiſſimis Epiſcopis & Monachis, qui hæc non judicaverant, ſubſcriberentur.* Mendacii & contradictionis convictus ille fuit: mendacii quidem, quia certum eſt poſtulatam ſemper ſubſcriptionem damnationi & hæreſis & hæreticorum; contradictionis verò, quia ipſemet Eutyches in ſui defenſionem Monachorum ſubſcriptiones & quidem turpi fraude extorſerat, denegata ipſis lectione chartæ quam ſubſignabant. Ita conqueritur Actione 1. Conc. Chalcedonenſis Euſebius Dorylæus.

Poſt mortem Flaviani, Anatolius factione Dioſcori in ejus locum ſuffectus, eaque de cauſa ſuſpectus, Litteras communionis à S. Leone obtinere priùs non potuit, quàm ſubſcriptione data tùm Epiſtolæ ipſius ad Flavianum, tùm ſententiæ contra Eutychem pronuntiatæ. Convocavit igitur anno 450. Conſtantinopoli Synodum, cujus fragmentum habemus ex Actis S. Abundi Tom. 3. Conc. pag. 1475. in qua non tantùm Abbates, Presbyteri & Diaconi, verùm etiam & Laici ipſi ſubſcribunt damnationi Eutychetis, ut videre eſt ex ipſo titulo Libelli quem defenſores ipſius obtulerunt Marciano Actione 4. Conc. Chalcedonenſis. Non deſunt alia Laicorum ſubſcribentium exempla, ut patet tùm ex Synodo VIII. Actione 9. tùm ex S. Gregorio in Epiſtola ad Conſtantium Mediolanenſem.

Denique in ipſo Concilio Chalcedonenſi, quamquam Epiſcopi Ægyptii dato Libello Actione 4. conteſtati fuiſſent, ſe in omnibus Eccleſiæ Catholicæ aſſentiri, omneſque averſari hæreticos, non ſatis illud eſſe Synodus judicavit; ſed eos adegit, ut nominatim dicerent anathema Eutycheti. Cùm verò illi moras necterent, atque urgerentur, conſenſere quidem hominem ſub conditione damnare: *Si quis*, inquiebant, *præter iſta ſapit, ſive Eutyches, ſive alter aliquis, anathema ſit.* Verùm hac rejecta reſtrictione, Synodus abſolutam & ſimplicem poſtulavit ſubſcriptionem. *Manifeſtè*, inquiunt Patres, *anathematiſate dogma Eutychis.* Ægyptii verò, ut effugerent, repoſuerunt: *De fide certamen eſt*: quaſi dicerent: de fide hìc agitur, quare ergo aliud à nobis exigitis quàm profeſſionem fidei, quam quidem jam dedimus planè orthodoxam? At Patres inſtant: *Qui non anathematiſat Eutychem, hæreti-*

reti-

reticus eſt. Ægyptii tandem acquievere *& clamaverunt, anathema Eutychi & credentibus ei*. Ad ſimilem ſubſcriptionem adducti ſunt quotquot Eutychetis defenſionem ſuſceperant. Sic Actione 8. requiſitus Caroſus ut anathema ipſi diceret, recuſat primùm, tùm conſentit conditionatè ſaltem eum damnare his verbis, *Si non credit Eutyches ſicut credit univerſalis Eccleſia, anathema ſit*. Ibidem Dorothæus alter Monachos, ait Eutychem calumniam paſſum fuiſſe, eumque verè animo eſſe orthodoxum: verùm hos declinandæ ſubſcriptionis prætextus non probavit Synodus, ſed illos Monachos, ſicut & alios quatuor Epiſcopos Actione 8. coegit ad ſubſcriptionem puram & ſimplicem damnationis Eutychetis; quia nempè, teſte S.Leone in Epiſtola ad Synodum Chalcedonenſem, pertinet ad puritatem fidei & doctrinæ, hæreſim cum ſuis auctoribus condemnare. *Ibid. p. 532. A.* *To 1. p. 572.*

SEPTIMUM EXEMPLUM.

A damnatione trium Capitulorum in V. Synodo generali.

Cauſam quam hìc propugnamus maximè juvat, ſi quid unquam, præſens exemplum, in quo de uno dumtaxat Librorum ſenſu excitata fuit controverſia, nempè de ſenſu Librorum Theodori Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, Scriptorum Theodoreti adversùs S. Cyrillum, & Epiſtolæ Ibæ Edeſſeni Epiſcopi ad Marium Perſam: ſunt enim hæc tria famoſa Capitula, de quibus tam diuturna fuit ac moleſta in Eccleſia diſputatio.

Habuere ſcilicet ea Capitula ſuos patronos ac defenſores, hæreticos Neſtorianos ex una parte, & Orthodoxos ex altera; ſed animo ac conſilio planè diverſo. Neſtoriani, ut errorem ſuum per ea Scripta diſſeminarent; Catholici verò, ut Synodum Chalcedonenſem, à qua, errore facti, exiſtimabant approbata fuiſſe tria illa Capitula, illæſam tuerentur, unde Catholicum ipſis ſenſum affingere omni ſtudio conabantur.

Quæſtio igitur in V. Concilio generali agitata & definita, non erat, an proſcribi deberet erroneus Neſtorii ſenſus; id enim jam fecerat Synodus Chalcedonenſis: ſed utrum erroneus ille ſenſus contineretur in Scriptis Theodori, Theodoreti, & Ibæ; quæ certè quæſtio tota eſt de ſenſu Librorum ſeu de facto, ut ajunt, doctrinali. Multi Catholici contendebant Scripta hæc poſſe ac debere in Catholicum ſenſum adduci, & conſequenter non poſſe damnari ſine gravi injuria & læſione Synodi Chalcedonenſis, à qua probata, ut dicebant, fuerant: alii è contra pugnabant, rati errorem Neſtorii in illis diffuſum eſſe, ac meritò proſcribenda Capitula hæc, quæ nuſquam probaverat Chalcedonenſe Concilium.

Ut hæc inter Catholicos excitata controverſia ſedaretur, convocata eſt anno Chriſti 553. quinta generalis Synodus, quæ poſt accuratam & prolixam diſquiſitionem illorum Scriptorum, deprehenſo ac notato eorum perverſo ſenſu, ea damnavit, & ab omnibus damnari voluit ſub graviſſima pœna anathematis, impoſita etiam lege, ſuo ſubſcribendi Judicio. Nullum extat illuſtrius cenſuræ Librorum factæ ab Eccleſia exemplum.

Non poteſt hoc in exemplo Auctor. Apologiæ ad ſolitum, & ferè unicum, effugium ſeſe recipere, nempè factum iſtud, cui ſubſcribendum erat, evi-

dens & certum apud omnes fuiſſe. Ignorat quippè nemo, quàm graves de ipſo inter ipſoſmet Catholicos rixæ & contentiones exarſerint. Ut ergo telum iſtud declinet, fingit cap.34.& 35. quintam Synodum in unos dumtaxat Neſtorianos hæreticos trium Capitulorum defenſores anathema intorſiſſe, non verò in Orthodoxos, qui ea in ſenſum Catholicum interpretabantur.

Verùm, non potuit ille ſuæ deſperatæ cauſæ infirmitatem apertiùs prodere, quàm tam falſa reſponſione. Conſtat etenim certiſſimis momentis, anathema pronuntiatum à V.Synodo, non ſolos Hæreticos, ſed & Catholicos ferire trium Capitulorum defenſores.

Patet 1. ex ipſo Canonum textu. Collatione 8. Canone 12. dicitur: *Si*
Tom.5. *quis defendit impium Theodorum, & impia ejus conſcripta, in quibus tam præ-*
Conc.p. *dictas quàm alias innumerabiles blaſphemias effudit contra magnum Deum & Sal-*
578. A. *vatorem J.C. & non anathematiſat eum, & impia ejus conſcripta, & omnes qui*
B. *ſuſcipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum expoſuiſſe, & qui ſcripſerunt pro eo, vel impiis ejus conſcriptis, & eos qui ſimilia illi ſapiunt.... talis anathema ſit.*

Percelluntur eo Canone non tantùm Hæretici qui ſimilia ſapiunt cum Theodoro, quales erant Neſtoriani; ſed etiam ii qui defendunt ejus Scripta, & Catholicè eum expoſuiſſe contendunt, quales erant Orthodoxi quàm plures, qui, ut fecit Facundus, Catholicum in ſenſum Theodori Scripta inflectere conabantur. Atque (quod obſervandum) non tantùm ſub pœna anathematis prohibet Synodus, ne quis defendat Theodorum ejuſque Scripta, ſed etiam jubet ut ipſi dicatur anathema: à quibus? ab iis ſcilicet qui ea Capitula priùs defenderant.

Canone 13. dicitur anathema iis qui defendunt impia Theodoreti Scripta.

Canone 14. in defenſores Epiſtolæ Ibæ idem anathema contorquetur. *Si*
Ibid. E. *quis*, ait Canon, *memoratam impiam Epiſtolam defendit, & non anathematiſat eum & defenſores ejus, & eos qui ſcripſerunt vel ſcribunt pro ea... anathema ſit.* Cæcus ſit oportet, qui non videt eo Canone perſtringi inter Catholicos, eos, qui in gratiam Epiſtolæ Ibæ ſcripſerant, vel ſcribebant.

Sed vel ipſos audiamus ſui interpretes Patres hujus Concilii. Collatione
Ibid. p. 8. poſt conditos quatuordecim Canones ſic loquuntur: *Facta autem à nobis*
579. B. *& condemnatione contra hæreticos & eorum impietatem, nec non etiam contra eos qui defenderunt vel defendunt prædicta tria Capitula, & permanſerunt in ſuo errore, vel qui permanent.* Diſtinguunt hìc Patres manifeſtè duo genera hominum, quos ſuis Canonibus perſtrictos declarant, Hæreticos nimirum, & alios qui defendunt tria Capitula, hoc eſt, Catholicos qui bonum & orthodoxum ſenſum contra Judicium Eccleſiæ ipſis affingebant; ac ſtatim ſic pergunt: *Si quis conatus fuerit contra hæc quæ piè diſpoſuimus, vel tradere,*
Ibidem. *vel docere, vel ſcribere, ſi Epiſcopus vel Clericus ſit, iſte tanquam aliena à Sacerdotibus & ſtatu Eccleſiaſtico faciens, denudabitur Epiſcopatu vel Clericatu; ſi autem Monachus vel laicus ſit, anathematiſabitur.*

Patet 2. ex Vigilio S.Pontifice, qui tandem approbata quinta Synodo, in damnationem trium Capitulorum, cui aliquandiu obſtiterat, conſenſit.
Ibid. p. In Epiſtola ad Eutychium versùs finem ſic pronuntiat: *Prædicta tria Ca-*
599. C. *pitula anathematiſamus & damnamus..... Quin etiam quemcumque qui cre-*
Ibid. E. *diderit, aliquo tempore ea Capitula debere ſuſcipi aut defendi, vel conatus fuerit*

hanc

hanc præſentem condemnationem ſubvertere, ſimili anathemati ſubjicimus.

Patet 3. ex Edicto Juſtiniani Imperatoris; in fine ſic loquitur: *Si quis igitur poſt ejuſmodi rectam confeſſionem, & hæreticorum condemnationem, ſalvo manente pio intellectu, de nominibus vel ſyllabis vel dictionibus contendens, ſeparat ſe à ſancta Dei Eccleſia, tanquam non in rebus, ſed & in nominibus ſolis & dictionibus poſita nobis pietate, talis, ut pote diſſentionibus gaudens &c.* Vetat eo Decreto Religioſus Imperator, ne poſt Judicium Eccleſiæ tribus Capitulis damnatis pius ſenſus circumponatur, ac tota controverſia ad ſuperfluam & inanem nominis quæſtionem traducatur. *Ibid. p. 713. C.*

Patet 3. ex Facundo Hermianenſi Epiſcopo, ſtrenuò inter alios trium Capitulorum defenſore, cujus res imprimis agebatur, nec proinde ſuſpecta eſſe poteſt ejus fides, quando ea refert quorum teſtis fuerat oculatus. Ille verò non diſſimulat, à V. Concilio anathemate percuſſos fuiſſe eos omnes qui apertè damnatis ac rejectis erroribus Neſtorii & Eutychetis, tria Capitula ab omni errore pura eſſe contendebant, propter honorem & reverentiam Synodi Chalcedonenſis à qua probata illa fuiſſe arbitrabantur. Sic loquitur Lib. 2. cap. 3. *Omittimus*, inquit, *dicere, quoniam ſi communicamus eis, qui nobis jam dixerunt anathema, non ſolùm condemnationi Synodi Chalcedonenſis communicabimus, verùm & ſententias in nos eorum, ipſa eorum communicatione firmabimus.* Et poſteà. *De medio tollant illud anathema, quod velut magnum chaos interjacens dividit &c.* Idem repetit in Libro contra Mocianum. *Pagina 27. C.* *Ibid.*

Patet 5. iſtis graviſſimis momentis quæ certè attentione digna ſunt. 1. Certum eſt ex Liberato cap. 23. Breviarii, totam de tribus Capitulis concertationem maximè Catholicos inter excitatam fuiſſe. Sententia igitur Concilii eos ſpectat, non ſolos Neſtorianos. 2. De una potiſſimùm Synodi Chalcedonenſis auctoritate anxii videbantur trium Capitulorum defenſores, quam convelli pertimeſcebant, ſi damnarentur Capitula quæ Synodus illa probaſſet; at iſtud in Hæreticos cadere non poteſt, apud quos nullo ferè in loco ſunt Concilia. 3. Non inter Hæreticos, ſed inter Orthodoxos extitere qui pro Capitulis illis ſcripſerunt, Liberatus, Ferrandus, Facundus, ipſe aliquando S. P. Vigilius. 4. Multi Catholici in multis regionibus Occidentis, etſi ab hæreſi Neſtoriana apertè ſe alienos declararent, confoſſos ſe à V. Synodo intellexerant, eaque de cauſa (quamquam immeritò) ab Eccleſiæ unitate receſſerant, à qua nullo unquam prætextu licet recedere. 5. Conſtat ex Facundo & Victore Tunonenſi, non Neſtorianos, ſed Catholicos dumtaxat trium Capitulorum defenſores variis poſt Synodum exiliis mulctatos fuiſſe ab Imperatore. 6. Nec Pelagius II. nec ſanctus Gregorius, qui tot laboribus deſudarunt ut Schiſmaticos ad Eccleſiam revocarent, unquam leguntur ea uſiratione, quæ tamen eorum conciliandis ac demulcendis animis opportuna maximè & efficax fuiſſet, anathema ſcilicet quintæ Synodi non illos, ſed ſolos ferire Neſtorianos. 7. Cùm tot Hiſpani, Galli, Ligures, Veneti, Iſtri, Afri, qui nonnihil, vel omninò quintæ Synodo adverſati fuerant, eam tandem amplexi ſint, nullus eorum conteſtatus legitur, quòd anathema Synodi in ſolos caderet Neſtorianos. 8. denique, ſi de ſolis actum fuiſſet hæreticis Neſtorianis, ad quid tot tumultus, tot pugnæ ac concertationes, cùm res ſolemni Eccleſiæ Judicio finita eſſet?

Patet denique, quia nullus è Catholicis trium Capitulorum defenſoribus ad communionem Eccleſiæ admiſſus eſt, quin priùs eorum damnationi conſenſiſſet & ſubſcripſiſſet. Ita colligimus

Pagina 35. B. I. Ex Facundo Lib. 3. cap. 1. *Talis*, inquit, *data eſt contra conſuetudinem, contraque humanitatem formula ſubſcribendi, quaſi nemo aliter probari Catholicus poſſit, niſi Mopſueſteno Theodoro & eius dogmatibus anathema dixerit.* Idem repetit in Epiſtola fidei Catholicæ, quam ſcripſit pro defenſione trium Capitulorum.

II. Ex S. Gregorio magno Epiſtola ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſ-
To. 2. p. 682. E. copum Lib. 4. Epiſtola 2. ubi ait, *Laurentium deceſſorem Conſtantii diſtrictiſſimam cautionem Sedi Apoſtolicæ emiſiſſe, in qua viri nobiliſſimi & legitimo numero ſubſcripſerunt. Inter quos ego quoque*, inquit, *tunc Urbanam Præturam gerens, pariter ſubſcripſi: quia poſtquam talis ſciſſura pro nulla re facta eſt, juſtum fuit ut Sedes Apoſtolica curam gereret, quatenus unitatem univerſalis Eccleſiæ in Sacerdotum mentibus per omnia cuſtodiret.*

Idem S. Pontifex in alia ad eundem Epiſtola n. 39. de Laurentio ait:
Ibid. p. 719. B. *Cives Brixiæ vobis mandant, ut eis Epiſtolam tranſmittatis, in qua jurare debeatis vos tria Capitula minimè damnaſſe. Quòd ſi deceſſor fraternitatis veſtræ Laurentius non fecit, à vobis queri non debet: ſi autem fecit, cum univerſali Eccleſia non fuit, & cautionis ſuæ juramenta tranſcendit. Sed quia eundem virum ſua credimus ſacramenta ſervaſſe, atque in unitate Catholicæ Eccleſiæ permanſiſſe, dubium non eſt quòd nulli Epiſcoporum juraverit ſe tria Capitula minimè damnaſſe.*

Idem S. Pontifex ſcribens ad Athanaſium Presbyterum de Iſauria Epiſtola 66. Lib. 6. Indict. 14. aliàs 64. Lib. 5. Ind. 14. ſignificat, non aliter à ſe recipi qui ſuſpecti ſunt, quàm ubi Judicio quintæ Synodi de tribus Capitulis acquieviſſent: unde hunc ipſum ad quem ſcribit Presbyterum, poſt fidei profeſſionem à ſuſpicione hæreſeos abſolvit. *Fidem tuam*, inquit, *exponens, omnes generaliter hæreſes, vel quidquid adversùs Catholicæ fidei vel pro-*
Ibid. p. 843. A. *feſſionis integritatem eſt, apertiſſimè condemnaſti; & cuncta quæ ſanctæ quatuor univerſales Synodi recipiunt, te ſemper recepiſſe ac recipere, & quæ condemnant condemnaſſe & condemnare profeſſus es: eam quoque Synodum qua Juſtiniani Imperatoris temporibus de tribus Capitulis facta eſt, & ſuſcipere, & cuſtodire promiſiſti.* Audis exigere S. Gregorium, ut damnentur quæcunque à quinta Synodo damnata ſunt, ſicut & ea quæ à prioribus quatuor Oecumenicis Conciliis fuere proſcripta; quia nempè par eſt quinti & aliorum Conciliorum auctoritas, eodem obſequio & reverentia ab omnibus Fidelibus excipienda. Quæ in gratiam infallibilitatis Eccleſiæ ex hac quinta Synodo colligantur, infrà referemus.

OCTAVUM EXEMPLUM.

A Canone Concilii Lateranenſis ſub Martino I. & formula qua Concilium Conſtantienſe juſſit in cauſa Vviclefi & Joannis Hus ſuſpectos interrogari.

Concilium Lateranenſe ſub Martino I. anno 649. Secretario ſeu Actio-
Tom. 6. Conc. p. 355. B. C. ne quinta Canone 18. ſic ſtatuit: *Si quis ſecundùm ſanctos Patres conſonanter nobis pariterque fide non reſpuit & anathematiſat anima & ore, omnes quos reſ-*

puit

puit & anathematiſat nefandiſſimos hæreticos, cum omnibus impiis eorum conſcriptis uſque ad unum apicem ſancta Dei Eccleſia Catholica & Apoſtolica, hoc eſt, ſanctæ & univerſales quinque Synodi... hujuſmodi condemnatus ſit. Audis damnari à Concilio, eos qui *anima & ore*, hoc eſt, non exteriùs tantùm & ſilentio religioſo, ſed aſſenſu mentis non dicunt anathema Hæreticis eorumque Scriptis. *Ibid. p. 359. A.*

Concilium Conſtantienſe an. 1418. Seſſione ultima formulam præſcribit quâ debeant interrogari qui ſuſpecti ſunt errorum Vvicleſi & Joannis Hus. *Utrum,* inquit, *credant quòd condemnationes Joannis Vvicleſi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga factæ de perſonis eorum, Libris, & documentis, per ſacrum generale Concilium Conſtantienſe fuerint ritè & juſtè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ & firmiter aſſerendæ. Item, utrum credant, teneant, aſſerant Joannem Vvicleſ de Anglia, Joannem Hus de Boemia, & Hieronymum de Praga fuiſſe hæreticos, & pro hæreticis nominandos ac deputandos, & Libros & doctrinas eorum fuiſſe & eſſe perverſos, propter quos & quas, & eorum pertinacias, per ſacrum Concilium Conſtantienſe pro hæreticis ſunt condemnati.* Nihil poteſt ad rem noſtram diſertiùs proferri. Agitur enim ibi de Libris Hæreticorum & de ſenſu ſeu doctrina eorum: vult autem Concilium ac tanquam Catholicæ doctrinæ certum argumentum poſtulat, ut qui ſuſpecti fuerunt, declarent ſe credere (obſerva hic interiorem exigi fidem) Libros illorum Hæreticorum perverſam continere doctrinam, atque meritò damnatos illos fuiſſe cum ſuis auctoribus. *To. 12. Conc p. 268. D.*

At, inquies, non tantùm de Libris & doctrina, ſed etiam de perſonis Synodus Conſtantienſis pronuntiat. Ita eſt: etenim anathemati adversùs perſonas notoriè hæreticas pronuntiato ſubſcribi vult Eccleſia, ne fortè prætextu excuſandi perſonam, error ipſius defendatur.

Atque hæc ſufficiant illuſtriora exempla auctoritatis quam Eccleſia uſu conſtanti ac perpetuo exercuit tùm in cenſura Librorum & Auctorum, tùm in exigenda ſubſcriptione ſententiæ in eos pronuntiatæ, ex quibus intelliget quilibet, nihil planè in cauſa Janſenii factitatum ab Eccleſia, cujus formam & exemplum non habuerit in elapſis retrò ſæculis, perpetua ſua praxi & traditione confirmatum; ſive cùm doctrinam Libri Janſenii quinque Propoſitionibus expreſſam damnavit; ſive cùm omnes ad ſubſcribendam formulam Alexandri VII. adegit; ſive denique cùm rebelles & contumaces pœnis coercuit. Ad ſecundam hujus Diſſertationis Concluſionem nunc deveniendum.

AN ECCLESIA A CHRISTO ACCEPERIT AUCTORITATEM judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum, & Auctorum; ac Fideles ad ſuam ſubſcribendam ſententiam compellendi.

CONCLUSIO.

Eccleſia accepit à Chriſto auctoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum, & Auctorum, ac Fideles ad ſuam ſubſcribendam ſententiam compellendi; cui proinde tenentur illi acquieſcere interna mentis & judicii adhæſione, non ſolo, ut vocant, religioſo ſilentio: atque certum eſt nec errori obnoxium hujuſcemodi Eccleſiæ Judicium.

Tres partes continet noſtra Concluſio inter ſe ita connexas & colligatas, ut una ex altera pendeat ac neceſſariò ſequatur, omneſque mutuam

ſibi

ſibi lucem & opem ad vim demonſtrationis conferant. Etenim ſi eſt in Eccleſia jus & auctoritas judicandi de ſenſu propoſitionum, Librorum & Auctorum, atque Fideles ad ſubſcriptionem ſuæ ſententiæ adigendi, ſequitur 1. teneri Fideles in conſcientia Eccleſiæ Judicio ſubſcribere & acquieſcere: hæc enim duo reciproca ſunt, atque quæ in Superioribus eſt imperandi auctoritas, eadem imponit inferioribus obſequendi neceſſitatem; aliàs auctoritas Superiorum fruſtra eſſet ac inutilis.

Sequitur 2. religioſum non ſufficere ſilentium, ſed mentis ac judicii obſequium omninò deſiderari: tùm quia componi nec ſtare poteſt ſilentium illud cum jam dicta neceſſitate ſubſcribendi Judicio Eccleſiæ in tabulis publicis; tùm quia talis eſſe debet ſubſcriptio, qualis exigitur ab Eccleſia: at Eccleſia non purè externam exigit, ſed eam quæ juncta ſit cum interiori mentis ac judicii aſſenſu; veram enim & ſinceram, non fictam & mendacem haud dubiè poſtulat: at ficta eſt, doloſa & mendax ſubſcriptio exterior, quæ interiori mentis ac judicii conſenſu deſtituitur.

Sequitur 3. certum eſſe & infallibile Judicium Eccleſiæ de Librorum ſenſu. Namque in principiis adverſæ ſententiæ, obſequium mentis non debetur niſi infallibili auctoritati, aut ei quam certus ſis non aberrare in ſuo de re quapiam judicio; ſi ergo Judicio Eccleſiæ debetur mentis obſequium, ſequitur illud certum eſſe & infallibile. Perinde autem nobis eſt, ſive probetur idcircò mentis obſequium Eccleſiæ Judicio debitum, eſſe quòd aberrare illa non poſſit; ſive concludatur, illam aberrare non poſſe, quia obſequium mentis ipſi debetur. Atque hæc eſt paucis contracta vis totius noſtræ demonſtrationis, quam paulò explicatiùs per partes ſingulas deinceps evolvemus.

PRIMA PARS.

Conceſſam ſcilicet à Chriſto Eccleſiæ auctoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, Librorum & Auctorum, atque adigendi Fideles ad ſubſcriptionem ſuæ ſententiæ.

Probatur 1. omnibus exemplis & factis hiſtoricis quæ mox adducta ſunt, quibus apertè demonſtratur Eccleſiam uſu conſtanti ac perpetuo auctoritatem hanc exercuiſſe. Ex illo autem facto ſeu uſu jus ipſum naſcitur ac rectè probatur: aliàs vel in ipſo jure ſeu dogmate erraſſet Eccleſia, eam ſibi auctoritatem arrogando, quam non haberet à Chriſto conceſſam: at conſtat inter omnes Orthodoxos, Eccleſiam in dogmate nullo modo errare poſſe.

Probatur 2. Quia auctoritas hæc neceſſaria eſt Eccleſiæ ad optimum Fidelium regimen; ergo Chriſtus, qui in neceſſariis nunquam deeſt, hanc ipſi reipſa conceſſit.

Probatur 3. conſtanti SS. Patrum Traditione, qui hanc in Eccleſia auctoritatem ſemper agnovere, eamque propoſuerunt tanquam firmum debiti obſequii noſtri motivum. Teſtimonia Veterum in confirmationem ſecundæ & tertiæ partis deinceps referenda, id evincent: ſunt enim ferè hujuſmodi, ut ſimul demonſtrent, certam eſſe ac ſupremam Eccleſiæ de Librorum

Digitized by Google

ſenſu judicandi auctoritatem ; & Fidelibus injunctam eſſe obligationem ejus decretis ex animi ſententia obſequendi.

Probatur 4. Quia in confeſſo eſt apud omnes, Eccleſiam à Chriſto inſtitutam eſſe Judicem doctrinæ & controverſiarum, ad quam recurrere teneantur Fideles ubi dubia, lites & contentiones ſuboriuntur, ab illa veritatis & obedientiæ legem ac normam accepturi. In omni etenim benè conſtituta ſocietate, neceſſe eſt præpoſitos ſedere Judices, qui lites dirimere, ac cives omnes ſummo jure in officio continere valeant. Talem porrò regiminis Eccleſiaſtici formam Deus inſtituit tùm in veteri, tùm in nova Lege.

In veteri quidem, Deuteronomii 17. v. 8. dicitur : *Si difficile atque ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris.... venies ad Sacerdotes Levitici generis..... & facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegit Dominus.... ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Non tantùm autem in privatis cauſis, ſed etiam *ubicunque quæſtio eſt de Lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus* (2. Paralipomenon 19. v. 10.) ad Sacerdotes & Judices recurrendum Judæis erat : *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*, aït Deus Malachiæ 2. v. 7. *& legem requirent de ore ejus*.

In nova quoque Lege Chriſtus Matth. 18. v. 17. ait : *In ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ : ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. Et cap. 23. v. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi : omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate*. In hunc finem *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Act. 20. v. 28. Et Chriſtus, ait S. Paulus Epheſ. 4. v. 11. *quoſdam dedit Apoſtolos, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*. Denique conceſſa ſibi à Chriſto auctoritate uſi ſunt Apoſtoli in ſolemni illo Decreto Concilii Jeroſolymitani, Act. 15. v. 28. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria &c.* Habet igitur Eccleſia conceſſam à Chriſto auctoritatem, ut ſit Judex doctrinæ & controverſiarum : quod momentum jam fusè demonſtratum à nobis fuit.

Atqui ad hanc auctoritatem pertinet 1. de ſenſu ſeu doctrina Librorum judicium ferre : doctrina enim, cujus Judex eſt Eccleſia, in Libris continetur ; ipſius ergo eſt diſcernere perverſam eorum doctrinam, ne fortè eorum lectione Fideles inficiantur, ac corrumpantur. Pertinet 2. cenſura falſam Librorum doctrinam perſtringere, ne ſerpat longiùs ; eoſque notare Libros, vel eorum auctores hæreticos, tùm ut fugiantur, juxta monitum Apoſtoli ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem devita* : tùm ut infamiæ pœnam veluti in fronte præferant tali cenſura perſtricti : tùm ut ſervetur ſana verborum forma, ſine qua fides in diſcrimen adducitur ; ex verbis enim inordinatis naſcitur hæreſis. Notum eſt vel unius litteræ additione, Arianos fidem Nicænam adulteraſſe, Filium dicendo ὁμοιύσιον, ſimilem in natura ; non verò ὁμύσιον, conſubſtantialem. Pertinet 3. adigere Fideles ad ſubſcriptionem ſententiæ in Libros eorumque auctores pronuntiatæ, tùm ut eos præmuniat adversùs Hæreticorum fraudes ; tùm ut habeat unde nota ſibi ſit & perſpecta illorum fides & obedientia ; tùm denique ut rebelles ac contumaces pœnis Canonicis coercere poſſit : niſi hæc omnia Eccleſiæ conceſſeris, fruſtra erit & inutilis ipſi à Chriſto conceſſa auctoritas, nec eum

poterit

poterit unquam finem aſſequi, ad quem deſtinata eſt, nempè ad ſalutem Fidelium promovendam, falſæ doctrinæ reprobatione; ad optimum Reipublicæ Chriſtianæ regimen, pacem & tranquillitatem, impoſito fine omnibus controverſiis quæ de ſenſu Librorum excitari poſſunt. *Si enim*, ait S. Leo in Epiſtola ad Leonem Imperatorem citata à Pelagio II. *humanis perſuaſionibus ſemper diſceptare ſit liberum, nunquam deeſſe poterunt qui veritati audeant reſultare.*

Tom. 5. Conc. p. 617. D.

Verùm, inquiet aliquis, cum larvis & umbris hìc pugnamus; adverſarii enim cum quibus hìc nobis res eſt, non negant Eccleſiam Judicem eſſe doctrinæ & controverſiarum; non negant ipſius eſſe judicare de ſenſu Librorum: ſed hoc unum volunt, Eccleſiam in ſuo de ſenſu Librorum Judicio errare poſſe, adeoque non poſſe adigere Fideles ut ipſi ſubſcribant, niſi cùm Libri ſenſus tam certus eſt ac evidens, ut aut nulla ſit de eo inter Catholicos controverſia, aut ſaltem negari non poſſit niſi ab hominibus omninò perditæ mentis ac fidei.

Verùm, ſepoſita jam quæſtione infallibilitatis Eccleſiæ, de qua paulò poſt, hoc unum hìc contendimus, reipſa violari ab adverſariis penituſque convelli auctoritatem Eccleſiæ, dum eam verbis aſtruere videntur. Etenim auctoritatem hanc violare ac convellere cenſetur, qui eam aut inutilem reddit, aut planè nullam; quippè vel negat ipſi debitum eſſe obſequium, vel illud in vim auctoritatis non refundit, ſed in evidentiam objecti: atqui ita eſt in adverſa ſententia.

I. Cùm Eccleſia judicat de ſenſu Librorum aperto, evidenti, inter Catholicos minimè controverſo, non negant quidem adverſarii, tunc ipſi obſequendum eſſe: verùm eo in caſu inutilis ac ſuperflua prorſus videtur Eccleſiæ definitio; tùm quia ipſa rei certitudo & evidentia ex ſeſe videtur ſufficiens animis ad unitatem ſententiæ revocandis; tùm quia obligationem obſequendi huic Eccleſiæ definitioni refundunt adverſarii in ipſam rei definitæ evidentiam, ac privatam uniuſcujuſque ſcientiam, non autem in vim præcisè auctoritatis Eccleſiæ definientis: aliàs cùm hæc eadem ſemper ſit, idem quoque in omnibus ejus decretis deberetur obſequium; inutilis ergo & ſuperflua tunc redditur Eccleſiæ definitio: imò nullius ponderis habetur ejus auctoritas, cùm talis non ſit, quæ poſſit ex ſeſe Fidelium conſenſum obtinere.

II. Cùm Eccleſia judicat de ſenſu Librorum obſcuro & implicato, de quo litigant inter ſe Orthodoxi, tunc, ſi adverſarios audiamus, nulla Fidelibus incumbit neceſſitas tali Judicio acquieſcendi, iis præſertim quibus vel perſpecta non eſt rei definitæ veritas, aut etiam contrarium videtur; ſed ſuum unicuique hoc in caſu juxta privatam conſcientiam permitti debet judicium: at nonne ſic ipſa funditùs convellitur auctoritas Eccleſiæ, dum tollitur neceſſitas & obligatio obſequendi ejus ſententiæ? Illuſoria quippè & umbratilis eſt in Superioribus auctoritas imperandi, quæ ſubditis non imponit obſequendi neceſſitatem. Nonne judicandi auctoritatem Eccleſiæ detrahunt adverſarii, tum cùm maximè neceſſaria eſt? Nuſquam enim magis opus eſt auctoritatis præſidio, quàm cùm res in dubio & controverſia verſatur, ac Fideles varia in ſtudia & diſcrepantes ſententias non ſine offenſione veritatis & charitatis diſtrahuntur, quos ad pacem & unitatem nuſquam adduces, niſi auctoritatis & obedientiæ vinculo eos retinueris, ac ſupremo

Eccle-

Eccleſiæ Judicio contentionibus finem impoſueris. Igitur adverſarii vel inutilem, vel planè nullam reddunt Eccleſiæ auctoritatem, dum eam vel admittunt, cùm videtur inutilis & ſuperflua; vel negant, cùm planè neceſſaria eſt. Adde, falsò prorſus ſupponi ab adverſariis, non obligari Fideles ad obſequendum Eccleſiæ de ſenſu Librorum definienti, niſi cùm certus ille eſt & evidens, nec in controverſiam adducitur inter Catholicos; contrarium enim manifeſtum eſt ex factis hiſtoricis antea laudatis, imprimis verò Neſtorii, & trium Capitulorum.

SECUNDA PARS.

Nempè teneri Fideles ex conſcientia Judicio Eccleſiæ, de ſenſu propoſitionum, Librorum vel Auctorum, acquieſcere mentis & judicii adhæſione, non autem ſolo religioſo ſilentio.

Probatur. Ex dictis hactenus, Eccleſia auctoritate à Chriſto accepta judicare poteſt de ſenſu propoſitionum, Librorum, vel Auctorum, atque ſub pœna anathematis Fidelibus imperare, ut ſuo ſubſcribant & obſequantur Judicio; ergo ex conſcientia tenentur Fideles omnes iſtud ſuæ ſubſcriptionis obſequium Eccleſiæ exhibere, ejuſque ſententiæ acquieſcere mentis adhæſione, non ſolo ſilentio religioſo.

Conſequens duo involvit, ſubſcriptionem nempè externam, ſimul & obſequium mentis, quod ab illa ſejungi ſine labe mendacii non poteſt, ut mox dicemus.

Patet autem conſequens quantùm ad primum membrum. 1. Quia neceſſariò fluit ex antecedente jam demonſtrato. Namque obſequendi neceſſitas in ſubditis, neceſſariò ſequitur ex legitima auctoritate imperandi quæ eſt in Superioribus. 2. Quia ſimplicem & abſolutam Eccleſiæ mandatis debitam eſſe obedientiam, diſertè Scriptura pronuntiat: Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Nulla hìc exceptio, nulla diſtinctio. Eccleſiæ ſemper obſequendum, quia nihil poteſt illa niſi verum & juſtum imperare; aliàs portæ inferi adversùs illam prævalerent, quod fieri nunquam poteſt.

Hanc Eccleſiæ auctoritatem ſemper propoſuere Veteres, tanquam efficax obſequii noſtri motivum & incitamentum, non tantùm in rebus fidei, ſed in aliis omnibus quæ ad mores & diſciplinam pertinent.

Cùm urgeretur S. Chryſoſtomus ut damnationi Origenis conſentiret, repoſuit, nihil temerè agendum ante definitionem Concilii generalis, cui ſe ultro obſecuturum promittit apud Socratem Lib. 6. cap. 14. *Pagina*

Sanctus Auguſtinus contra Epiſtolam Manichæi, quæ dicitur Fundamenti cap. 5. nequidem Evangelio ſe crediturum aſſerit, *niſi Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*. 320. D. To. 8 p. 154. A.

Et Lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 7. ait, ſe innocentem non fore, ſi non acquieſceret Judicio Epiſcoporum quo *Cæcilianus innocens* declaratus fuit. Quamquam de facto merè perſonali tunc quæſtio moveretur. To. 9. p. 19. C.

Libro de Catechiſandis rudibus cap. 8. ad auctoritatem Eccleſiæ remittit

eum,

To.6.p. 271.D. eum, qui ſcire voluerit qui ſunt Libri hæretici: *Sedulò*, inquit, *edocendus prælata auctoritate Eccleſiæ. Cui nolle primas dare*, ait Lib. de utilitate credendi cap. 17. *vel ſummæ impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.*

To.4.p. 115.F. Et in Pſal. 25. *Principes ſæculi*, inquit, *tantùm detulerunt Eccleſiæ, ut quidquid in ea judicatum ſit, diſſolvi non poſſit.*

Lib. denique de Trinitate 4. c. 6. *Contra rationem*, inquit, *nemo ſobrius, contra Scripturam nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit.*

Concilium Carthaginenſe IV. an. 398. Capitulo 21. ſtatuit, *ut Epiſcopus ad Synodum ire non ſine gravi neceſſitate inhibeatur.... ſuſcepturus*, inquit, *ſalva fidei veritate, quidquid Synodus ſtatuerit.*

Concilium Turonenſe II. anno 567. Can. 20. ait eos auctores vel admittendos vel rejiciendos, quos aut intromiſit aut apocryphos fecit Sedes Apoſtolica. *Quis Sacerdotum*, inquit, *contra Decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat?.... Et quorum auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut apocryphos fecit, & patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas?*

Denique in famoſa de tribus Capitulis controverſia conſtabat ex utraque parte, Eccleſiæ Judicio ſtandum eſſe, cujus auctoritatem vendicandam ſibi unicè proponebant tùm defenſores, tùm impugnatores trium Capitulorum. *Nos*, inquiebat Facundus eorum ſtrenuus defenſor, Lib. 12. cap. 2. *non in noſtra ratione, ſed in auctoritate ſancti Concilii* (Chalcedonenſis, à quo falsò putabat fuiſſe approbata tria Capitula) *conſtituimus firmitatem .... Et ſi quam reverentiam*, pergit ibidem, *deferimus Synodalibus Statutis ab Eccleſia univerſali receptis, in omnibus quæ obſcura in eis ad intelligendum difficilia reperimus, divinam voluntatem cognoſcere atque approbare debemus.*

Ibid.E. Et Lib. 2. cap. 6. *Non in ſola*, inquit, *fidei dubitatione, vel definitione, Conciliorum valet auctoritas, verùm etiam in omnibus quæ pro pacis & unitatis obſervantia, cujus maxima ſapientibus cura eſt, modeſtè ibi fuerint ac benè compoſita.*

Non minùs id ex altera parte certum erat. Namque Vigilius S. Pontifex initio ſui Conſtituti declarat ſe quatuor admittere priora Concilia, *Tam de* Tom.5. Conc.p. 338.B. *fide*, inquit, *quàm de aliis omnibus cauſis, judiciis, conſtitutionibus aut diſpoſitionibus definita, aut judicata, vel conſtituta ſive diſpoſita ſunt, inconcuſsè, inviolabiliter, ſine adjectione vel imminutione aliqua nos promittimus ſecuturos.... & quæcunque communi conſenſu.... dicta ſunt, ea orthodoxa veneramur atque ſuſcipimus.* Audis in omnibus cauſis & Judiciis, *inviolabiliter ſine adjectione vel imminutione*, Eccleſiæ acquieſcendum; ergo etiam cùm de Librorum ſenſu pronuntiat, de quo uno diſputabatur cùm ita ſcribebat Vigilius occaſione trium Capitulorum.

Quantum verò ad alterum conſequentis membrum, nempè ſubſcriptionem quam exigit Eccleſia debere eſſe ex intima conſcientia, mentis ac judicii conſenſu & approbatione, nec ſolum ſufficere religioſum ſilentium.

Probatur 1. Quia ſubſcriptio exterior deſtituta interiori mentis adhæſione & conſenſu, verum eſt mendacium, ac perjurium ſi cum juramento juncta fuerit: atqui Eccleſia, non minùs ſancta in moribus, quàm infallibilis in fide, non poteſt ſuos ad mendacium & perjurium adigere, cùm ſubſcriptionem ab iis poſtulat; ergo poſtulat ſubſcriptionem ſimul & mentis obſequium;

quium; ſeu ſubſcriptionem manus, junctam cum interiori mentis adhæſione, ac judicii conſenſu.

Major propoſitio certiſſima eſt, vel ipſis judicibus Janſenii rigidioribus diſcipulis, qui ex profeſſo eam demonſtrarunt. Enim verò qui exteriùs in tabulis publicis ſubſcribit cum juramento v.g. formulæ Alexandri VII. & ait: *Ego N. quinque Propoſitiones ex Libro Cornelii Janſenii, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro &c.* Si revera intus animo diſſentiat, nec Propoſitiones illas credat aut Janſenii eſſe, aut in ejus ſenſu, quem putat orthodoxum, damnatas, (in quo tota verſatur quæſtio facti) nonne, quæſo, ille reus eſt mendacii & perjurii? Nonne Chriſtianæ modeſtiæ ac ſinceritatis leges, receptamque verborum ſignificationem invertit, qui cùm ore pronuntiat, *damno ſincero animo*, intus tamen non damnat, ſed abſolvit? Quid enim eſt mendacium in doctrina ſancti Auguſtini? *Ille mentitur*, ait Lib. de mendacio c.3. *qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat.* Epiſtola verò 125. aliàs 224. *Illud ſanè*, inquit, *rectiſſimè dici non ambigo, non ſecundùm verba jurantis, ſed ſecundùm expectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri.... Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt.* At, quæſo, quænam eſt expectatio Eccleſiæ, dum juramentum à ſuis exigit? Niſi ut ejus religione, quæ ſumma eſſe debet, certior fiat de interna jurantis ſententia, eumque tali fræno intra debitos obſequii ac reverentiæ fines retineat. Fallit ergo hanc expectationem Eccleſiæ, quiſquis ficto ac doloſo animo jurat; ac perjurii verè reus eſt. Mirum certè videri debet, ad hanc morum laxitatem deflexiſſe viros, quos dixiſſes ad ſtrictiorem Moralem reſtaurandam natos; adeo fervidè acrioribus ſuis Scriptis inſectabantur uſum æquivocationum ac reſtrictionum mentalium, quibus tamen, ut & mendacio ac perjurio, patentem ipſi aperiebant aditum ſua ficta ac doloſa ſubſcriptione Formularii Alexandri VII. Sed quò non ducit cœcum præconcepti erroris defendendi ſtudium? Talis profectò fictæ ac mendacis ſubſcriptionis arcanum & uſum ignorabant Veteres, quibus tamen maximo fuiſſet commodo, tùm ad ſcrupulos conſcientiæ ſedandos, tùm ad declinandas vitæ moleſtias: v.g. cùm Epiſcopi urgebantur ab Arianis, ut ſubſcriberent damnationi S.Athanaſii; cùm Theophilus pariter compellebat Epiſcopos, ut conſentirent depoſitioni S.Chryſoſtomi; cùm defenſores trium Capitulorum ad ſubſcribendam eorum damnationem ſub pœna depoſitionis & exilii cogebantur; facili negotio ab his & difficultatibus ac moleſtiis extricare ſe ac liberare potuiſſent, ſi exteriùs manu ſubſcripſiſſent, corde & animo intus reluctantes. Ita peccata fuiſſent omnia & in tuto poſita; at nihil tale in eorum mentem fraudum neſciam, veniſſe legimus, apud quos firmum iſtud erat ſinceritatis & æquitatis Chriſtianæ principium, nuſquam licitum eſſe mentiri, & ſubſcribere damnationi illius, quem innocentem credis.

To.6 p. 420. B.

To.2. p. 366. D. E.

Probatur 2. teſtimoniis Veterum qui Judicio Eccleſiæ acquieſcendum eſſe declarant, ſimplici & ſincera ſubſcriptione quæ ſit ex intimo mentis ac judicii conſenſu ac perſuaſione; qui conſequenter religioſum ſilentium velut inſufficiens rejiciunt.

San-

Sanctus Hieronymus jam antea citatus, in Epiſtola ad Pammachium n.65. damnat in defenſoribus Origenis ſubterfugia & malas artes quibus illi utebantur, ut aut non ſubſcriberent omninò, aut dolosè ſaltem damnationi Origenis ſubſcriberent. *Ad ſubſcriptionem*, inquit, *tergiverſantur, quærantque ſuffugia... Si quando urgeri cœperint, & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut exeundum de Eccleſia, miras ſtrophas videas.* Audis iterum ex S.Doctore, aut ſubſcribendum fuiſſe Origenis damnationi, aut exeundum de Eccleſia.

S.Leo in Epiſtola ad Aquileenſem Epiſcopum 6. aliàs 86. exigit à Diſcipulis Pelagii, *ut apertis profeſſionibus damnent ſuperbi erroris auctores; nihilque ſit in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum.*

S.Cyrillus, imò & tota Epheſina Synodus, à patronis Neſtorii ſimplicem & abſolutam damnationis ejus ſubſcriptionem poſtulavit, nec limitatam ac reſtrictam Joannis Antiocheni admiſit, ut conſtat ex iis quæ antea in exemplo Neſtorii expoſuimus. Imò obſervavimus ibidem, conceptis terminis rejectum fuiſſe religioſum ſilentium, cujus prætextu Alexander Epiſcopus effugere conabatur. Idem erga Theodoretum & aliquos Ægyptios obſervavit Synodus Chalcedonenſis. Recole quæ ſuperiùs dicta ſunt.

Qui Conciliis ſubſcribebant olim, in ſignum ſinceræ & veræ ſuæ ſubſcriptionis iſta formula utebantur: *Ego N. conſentiens ſubſcripſi; vel, obtemperans ſententiæ ſanctiſſimorum Epiſcoporum conſentiens ſubſcripſi.* Ita in Concilio Chalcedonenſi Actione 3. ſubſcripſit cum aliis non paucis Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, quamquam tunc de ſola ageretur depoſitione Dioſcori. In cauſa pariter Acacii, cùm pax inita fuit inter Occidentales & Orientales, compulſi ſunt ab Horſmida Summo Pontifice Orientales ſubſcribere Libello quem ejus Legati obtulerant Joanni Conſtantinopolitano, *cui conſentiens cum ſumma devotione ſubſcripſit*, ajunt Legati in ſua Relatione.

Juſtinianus Imperator in Tractatu ad Mennam loquens de Capitulis in Origene damnatis, *Unuſquiſque*, inquit, *ex toto animo & tota cogitatione ea oderit & averſetur.*

Concilium Lateranenſe jam laudatum, Secretario 5. Can. 18. *Si quis*, ait, *non anathematiſat animo & ore omnes quos anathematiſat Eccleſia, condemnatus ſit.*

Venerabilis Beda Lib.4. Hiſt. cap. 17. hæc ex Synodo Cantuarienſi ſub Theodoro refert: *Suſcepimus ſanctas & univerſales quinque Synodos &c. anathematiſamus corde & ore, quos anathematiſaverunt; & quos ſuſceperunt, ſuſcipimus.*

Concilium Conſtantienſe vult interrogari ſuſpectos, *Utrum credant Libros & doctrinas Joannis Wiclef, Joannis Hus & Hieronymi de Praga, eſſe perverſas ac legitimè damnatas.* Poſtulat ergo Concilium interiorem fidem ac perſuaſionem; *utrum credant &c.*

Verùm, ut ad poſteriora noſtra tempora & cauſam ipſam Janſenii propiùs accedamus, antiquiorum veſtigiis preſſiùs ſecuro pede adhæſit Eccleſia Gallicana, & ſacra Facultas Pariſienſis.

Sacra Facultas an. 1656. die ultima Januarii proſcripſit M. Antonii Arnaldi Propoſitionem cujus duæ partes erant; prior facti, altera juris. Prior quæ ſola noſtri præſentis eſt inſtituti, talis erat gallicè ſcripta: *Il eſt reſolu de s'abſtenir de toute conteſtation ſur ce fait*, (de Janſenius) *& d'y garder un*

ſilence

ſilence reſpectueux, qui eſt la plus grande ſoumiſſion qu'on doive aux Conciles meme Oecumeniques dans ces faits particuliers. Hanc verò Propoſitionis partem ſacra Facultas declarat *temerariam, ſcandaloſam, injurioſam Summo Pontifici & Epiſcopis Galliæ, atque etiam præbere occaſionem renovandæ ex integro poſt damnationem, Janſenii doctrinæ*; atque ſub pœna expulſionis à ſacro Ordine vetat, ne quiſquam ex ſuis audeat prædictam M. A. Arnaldi doctrinam *probare, aſſerere, docere, prædicare, vel ſcribere*.

Ante iſtud Decretum, jam anno 1650. octoginta & quinque Gallicani Præſules detulerant ad Summum Pontificem Innocentium X. famoſas Janſenii Propoſitiones, quas cùm dictus Pontifex damnaſſet data Conſtitutione anno 1653. Gallicani Epiſcopi in ſuis ad illum gratulatoriis Litteris die 15. Julii ejuſdem anni declarant, *Chriſtianos omnes ex officio teneri huic Conſtitutioni mentis obſequium præſtare*. Cùm autem Janſenii diſcipuli *intimis animorum ſenſibus ex tali Conſtitutione urerentur*, ajunt iidem Epiſcopi in altera ad Alexandrum VII. Epiſtola die 2. Septembris anni 1656. atque rem totam ad quæſtionem facti deduxiſſent, conteſtantes ſe juri quidem ſeu dogmati definito acquieſcere, verùm non poſſe ſe adduci ut credant Propoſitiones illas vel eſſe Janſenii, vel in ejus ſenſu damnatas; Alexander VII. Conſtitutione data die 16. Octobris anni 1656. *eos publicæ tranquillitatis perturbatores ac filios iniquitatis appellat*, qui hocce factum in dubium revocare auſi ſunt: atque claris & conceptis verbis declarat, ſe damnare *quinque illas Propoſitiones exceptas ex Libro Janſenii, cui nomen Auguſtinus, & in ſenſu ab eodem Janſenio intento*. Hoc fulmine attoniti quidem, ſed victi non fuere ſectatores Janſenii: ſpecioſis quidem verbis promiſere, *ſe omni cultu, obſequio, & obſervantia quam exigit à Fidelibus Eccleſia in ſimilibus cauſis & in ejuſmodi naturæ rebus, proſecuturos deciſionem facti quæ continetur in Conſtitutione Alexandri VII.* Ita loquuntur illi, tùm in famoſis quinque Articulis, tùm in procuratione data à Dominis de Lalane & Girard die 17. Junii an. 1663. Verùm Epiſcopi noſtri Gallicani pro ſua ſagacitate ſubodorati dolum ac fraudem ſub illis magnificis verbis latere, atque totum illud prætenſum obſequium in uno ſilentio contineri, fictum illud ac doloſum eſſe declarant in Epiſtola ad Alexandrum VII. die 2. Octobris an. 1663. *Mirifica*, inquiunt poſt recitata verba, *noſtrum omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa ſunt enim ſubdola, ſimulatum dumtaxat obſequium præſeferentia, mente verſipelli & callida concinnata*. Quapropter ad omnem fraudibus & cavillationibus viam præcludendam, Alexander VII. formulam definitionis ab omnibus ſubſcribendam direxit ad Epiſcopos Galliæ anno 1665. in qua ſub juramento dicitur: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. & Alexandri VII. me ſubjicio, & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro &c.*

Memoires du Clergè To. 1. p. 228. & Rec. des Bulles p. 91. Recueil des Bulles, pag. Rec. des Bull. p. 142. Ibid. p. 144. Ibid. p. 190. Mem. du Clergè To. 1. p. 368. Rec. des Bulles, p. 223.

Iſta porro declaratione funditùs ruit ac convellitur ſilentium illud religioſum: quomodo enim ſilere ille dici poteſt, qui tabulis publicis ſubſcribit? Quomodo ſubſcribendo mentis obſequium denegare poteſt, qui profitetur ſe ſincero animo damnare & rejicere quinque Janſenii Propoſitiones? Qui ergo huic formulæ non ſubſcripſere, tanquam Eccleſiæ rebelles ac in er-

rore ſuo contumaces habiti ſunt; qui verò ſubſcripſere quidem, aut prætextu pacis, aut commodioris vitæ ſtudio, ſed animo ficto & doloſo intus diſſentientes, mendacii & perjurii rei convincuntur.

Ex quo prodiit hæc Alexandri VII. formula, non quievere turbulenti homines; ſed novis in dies conatibus eam laceſſere, ſuumque errorem prætextu religioſi ſilentii obtrudere & renovare tentarunt; aliquando vi aperta, aliquando occultis cuniculis & inſidioſis artibus: verùm, pari ſemper conſtantia & vigilantia repreſſi ſunt Eccleſiaſtica & Regia auctoritate.

Quibus ſe periculis ac moleſtiis objecerint quatuor Galliæ Epiſcopi, eo quòd non ſine quadam exceptione dictæ formulæ ſubſcripſiſſent, & à ſuis ſubſcribi curaſſent, nolim hîc ex reverentia refricare: nobis ſufficiat obſervaſſe, non alia lege huic moleſtiſſimo negotio finem impoſitum, & ad pacem Eccleſiæ admiſſos à Clemente IX. quatuor illos Epiſcopos, quàm ut purè & ſimpliciter ſine ulla reſtrictione vel limitatione ſubſcriberent, quod quidem ab illis revera factitatum fuiſſe ſupponit S. Pontifex. *Nam*, inquit in ſuo ad illos Brevi dato die 19. Januarii anni 1669. *dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus.*

Rec. des B p. 290.

Innocentius XII. in Brevi ad Epiſcopos Belgii dato die 6. Februarii anni 1694. *Præcipimus*, inquit, *ut quemadmodum ii qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debeant ſincerè, abſque ulla reſtrictione, diſtinctione ſeu expoſitione.*

Ibid. p. 318.

Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1700. in præfatione Cenſuræ qua multas Propoſitiones notavit, ait, *neminem pro ſuſpecto* (Janſeniſmi) *habendum, niſi eum, qui aut Conſtitutionibus Apoſtolicis detrahat, aut aliquam ex damnatis Propoſitionibus tueatur.* Supponit igitur Clerus Gallicanus, poſſe aliqua alia ratione detrahi Conſtitutionibus Apoſtolicis, quàm defenſione alicujus propoſitionis damnatæ; utrumque enim ſub disjunctione proponit: at quænam alia poteſt eſſe via detrahendi Conſtitutionibus Apoſtolicis, quàm denegando ipſis mentis obſequium, ſolo retento & probato religioſo ſilentio? Ibidem in Cenſura quatuor priorum propoſitionum, damnantur tanquam *inquieti homines, qui Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. & Innocentii XII. Brevia apertè contemnunt, & cauſam Janſenii de integro retractari, quaſi finita non eſſet, poſtulant.*

Mem. du Clergé. To. 1. p. 714.

Ibid. p. 717.

Denique cùm anno 1701. idem religioſum ſilentium toties attritum revocare adhuc tentaſſent nonnulli, occaſione cujuſdam conſcientiæ Caſus, cujus inter multas alias hæc erat propoſitio gallicè, *Apres avoir ſigné le Formulaire purement & ſans reſtriction, dit qu'il croit qu'il lui ſuffit d'avoir une ſoumiſſion de reſpect & de ſilence, pour ce que l'Egliſe a decidé ſur le fait de Janſenius. Poſt ſubſcriptionem ſimplicem ſine ulla reſtrictione formulæ Alexandri VII. ſatis eſt ſi quis erga factum Janſenii ab Eccleſia definitum religioſum dumtaxat ſervet ſilentium*: ſtatim adversùs doctrinæ hujus pravitatem utraque inſurrexit auctoritas Eccleſiaſtica & Regia. Summus enim Pontifex Clemens XI. hanc Caſus conſcientiæ expoſitionem ac reſolutionem proſcripſit ſuo Brevi dato die 12. Februarii an. 1703. atque in altero Brevi ad Regem noſtrum Chriſtianiſſimum die 13. ejuſdem anni & menſis, conqueritur, *Caſum hunc conſcientiæ, audaci planè ac ſubdola nonnullorum hominum opera prodiiſſe*

Rec. des B. p. 339.

Digitized by Google

diiſſe . . . . quo plura pernicioſa doctrinæ capita, erroreſque damnati revocantur in lucem, & ipſa etiam hæretica Janſenii dogmata non obſcurè foventur.

Eminentiſſimus Cardinalis Noallius Archiepiſcopus Pariſienſis cenſorium ſtylum in eundem Caſum diſtrinxit, atque adductam Propoſitionem damnavit die 22. Februarii anni 1703. declarans *illam adverſari Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. & Brevibus Innocentii XII. receptis in Comitiis generalibus Cleri Gallicani anno 1700. de novo excitare jam definitas quæſtiones, favere æquivocationibus, mentalibus reſtrictionibus & etiam perjuriis &c.* Gravi deinde & eloquenti oratione ſuos invitat, adhortatur, ac pro auctoritate compellit ad obſequium mentis & proprii judicii Eccleſiæ judicanti ac definienti exhibendum.

Exemplum Eminentiſſimi Cardinalis ſecuti ſunt plures Illuſtriſſimi Gallicani Epiſcopi, qui pro ſuo in defendenda Religione officio, gravibus & eruditis Documentis Paſtoralibus avitam ac puram Eccleſiæ doctrinam ſuis expoſuerunt, & adversùs dicti conſcientiæ Caſus inſidioſas fraudes ſtrenuè vendicarunt, notatis ac damnatis ejus tùm erroribus; tùm manifeſtis contradictionibus. Et verò duo ſimul jungit & affirmat dicti Caſus conſcientiæ Auctor, quæ ſecum invicem pugnant, nec conciliari poſſunt: nempe, declarat ille ſe abſolutè ac ſimpliciter damnare quinque Propoſitiones Janſenii, in omni ſenſu (etiam Janſenii) quem damnarunt Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. nihilominus tamen circa factum Janſenii, hoc eſt, circa attributionem ſenſus erronei quinque Janſenii Propoſitionibus, ait ſe ad unum teneri religioſum ſilentium. An, rogo, ſilentium ille ſervare dici poteſt circa Janſenii factum, qui ſimpliciter & nulla facta reſtrictione formulæ Alexandri VII. ſubſcribit? An à mendacio & perjurio excuſandus, qui cum juramento ait, *quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii Libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno;* & tamen intus & animo eas non damnat ac rejicit, ſed tanquam veras & orthodoxas admittit & probat? An non ſibi turpiter contradicit, qui ex una parte affirmat, Eccleſiæ factum Janſenii definienti, merum ſilentii obſequium deberi, ex altera verò eidem Eccleſiæ, cùm declarat ac ſtatuit quæ ſit Divi Auguſtini circa gratiam ex ſeſe efficacem ac gratuitam prædeſtinationem doctrina, ex animo & interiori mentis aſſenſu obſequendum eſſe? Nonne eadem eſt Eccleſiæ circa utrumque iſtud facti genus dijudicandum auctoritas? Quare igitur erga unum, ſolum ſilentium; erga verò aliud, interiorem mentis aſſenſum exigit?

Quia & ipſa ſacra Facultas Pariſienſis ſolemni ac gravi ſua Cenſura dicti Caſus doctrinam confixit. Die ſcilicet 1. Septembris anni 1704. Syndicus de reſponſione ſeu ſolutione hujus Caſus à quadraginta Doctoribus ſubſignata querimonias inſtituit apud ſacrum Ordinem; poſtulavitque 1. ut Facultas renovet ac confirmet Cenſuram latam 31. Januarii anni 1656. in Libellum cui titulus eſt, *Lettre de M. Arnaud &c.* & Decretum ſuper formula fidei, datum die 2. Maji anni 1661. 2. declaret propoſitionem contentam in Libello cui titulus eſt, *Cas de conſcience &c:* qua de Clerico qui ſubſcripſit formulæ fidei ab Alexandro VII. ſancitæ, hoc ſtatuitur: *Il lui ſuffit d'avoir une ſoumiſſion de reſpect & de ſilence, pour ce que l'Egliſe a decidè ſur le fait de*

Janſenius, adverſari prædictæ Cenſuræ in Epiſtolam Antonii Arnaldi, & Decreto ſuper formula fidei. 3. hanc eandem propoſitionem damnatam pronuntiet in prædicta Cenſura adversùs Epiſtolam Antonii Arnaldi, eamque afficiat iiſdem notis, quibus proſcripta fuit Arnaldina Propoſitio, quæ dicitur facti. 4. addat, memoratam propoſitionem favere mendacio & perjurio; qua ratione ipſam proſcripſit Eminentiſſimus Archipræſul in Mandato adversùs prædictum Scriptum, *Cas de conſcience*, promulgato die 22. Februarii an. 1703. 5. declaret ſe nunc non attingere aut expendere cætera Scripti, cui titulus, *Cas de conſcience*. 6. decernat, duos è Magiſtris pertinaces, è ſinu ſuo repellendos, expungendoſque ex albo Doctorum, & ipſo facto repulſos expunctoſque, niſi intra menſem conſilium mutaverint; cæterorumque, quos in probando Scripto ſocios habuere, Magiſtrorum exemplo, inconſultam deliberationem revocaverint, & inſuper Cenſuræ adversùs Epiſtolam Antonii Arnaldi, Decreto ſuper formula fidei, & præſenti Concluſioni ſubſcripſerint. Quæ cùm miſſa fuiſſent in deliberationem in generali Congregatione, cui adfuere plus quàm 150. Magiſtri, communibus votis ſic cenſuit ſacra Facultas: 1. *Dictam Propoſitionem contentam in Libello, cui titulus*, Cas de Conſcience, *adverſari Cenſuræ ſacræ Facultatis latæ 2. Maji anni 1661. 2. Inhærendo prædictæ Cenſuræ adversùs Epiſtolam Antonii Arnaldi, præfatam propoſitionem damnandam eſſe, ut & ipſam damnat, iiſdem notis quibus in prædicta Cenſura proſcripta eſt prima ejuſdem Antonii Arnaldi Propoſitio, quæ dicitur facti; nempe, ut temerariam, ſcandaloſam, injurioſam SS. Pontificibus & Epiſcopis Galliæ, atque etiam ut præbentem occaſionem renovandæ ex integro poſt damnationem, Janſenii doctrinæ; & in quantùm eadem præfata propoſitione dicitur, illud obſequium reverentiæ & ſilentii ſufficere, etiam iis qui ſubſcripſere formulæ fidei quæ adjunctum habet juramentum ex ſanctione Alexandri VII. prædictis notis hanc etiam eſſe adjiciendam, ut & adjicit, nempe, quòd faveat mendacio & perjurio. 3. Stare debere inconcuſſam, ſicut & reipſa apud ipſam ſemper ſtetit, & ſtat, auctoritatem prædictæ Cenſuræ adversùs Epiſtolam Antonii Arnaldi, & prædicti Decreti ſuper formula fidei: adeo ut quicumque Magiſter aut Candidatus, adversùs utrumque aut alterutrum, ut & adversùs præſentem oConcluſionem, aliquid ſcripſiſſe, dixiſſe, aut prædicaſſe deprehenſus fuerit, eo ipſo à ſacra Facultate pulſus habeatur. 4. Duos Magiſtros pertinaces, ipſo facto à Facultate excluſos habendos eſſe, niſi intra ſpatium unius menſis, ſubſcriptionem ſui dicti Caſus conſcientiæ revocaverint &c. Denique, ut omnibus magis ac magis innoteſcat S. Facultatem in docenda ſana doctrina & aſſerenda Eccleſiæ auctoritate, conſtare ſibi ſemper, typis mandanda eſſe latino ac vernaculo idiomate, cura D. Syndici, & publici juris facienda, præſentem Concluſionem, Cenſuram adversùs Libellum*, Seçonde Lettre de M. Arnaud, *latam ultima Januarii 1656. & Decretum ſuper formula fidei, datum 2. Maji anni 1661.* Atque hæc ſacra Facultas Pariſienſis.

Cenſura S. Facultatis Caſus conſcientiæ anno 1704.

Accedit tandem & ipſa Pontificia Clementis XI. auctoritas, emiſſa ſolemni Conſtitutione die 15. Julii anni 1705. quæ incipit ab his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*, in qua, poſtquam confirmavit Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. Clementis verò IX. & Innncentii XII. Brevia ſeu Epiſtolas à pravis Janſenianorum exceptionibus & interpretationi-

tionibus vindicavit de doctrina in Caſu conſcientiæ expreſsa, tum de ipſius auctoribus hæc habet: *Præterea iidem inquieti homines, ſparſis undequaque Scriptionibus ac Libellis, exquiſita ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti, ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani Libri ſenſum in antedictis quinque Propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interiùs, ut hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur. Quæ quidem aſſertio, quàm abſurda ſit & animabus Fidelium pernicioſa, ſatis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio, non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim . . . Quin etiam eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis obliti, aſſerere non dubitaverint, præfatæ formulæ à memorato Alexandro prædeceſſore præſcriptæ ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui interiùs non judicant, prædicto Janſenii Libro doctrinam hæreticam contineri. Quaſi verò; contra quod ſcriptum eſt, Qui loquitur veritatem in corde ſuo, &, Qui jurat proximo ſuo, & non decipit; hujuſmodi erroris ſpectatoribus liceret Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere . . . . . Ne hujuſmodi pravi homines Catholicæ Eccleſiæ pacem ſubvertere impunè pergant, & ſimplicium ac puſillorum mentibus imponere . . . . . . ut quævis impoſterùm erroris occaſio penitùs præcidatur, atque omnes Catholicæ Eccleſiæ filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interiùs obſequendo, quæ vera eſt Orthodoxi hominis obedientia, condiſcant, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, obedientiæ, quæ in præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinque præfatis Propoſitionibus Janſenii Libro ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſti Fidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe; ita ut qui ſecus, aut contra, quoad hæc omnia, & ſingula ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, verbo vel ſcripto docuerint aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus & ſingulis illarum cenſuris & penis omnino ſubjaceant, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, ordinamus.*

Mem. du Clergè, pa. 395. Rec. des B. pag. 387.

P. 390.

P. 391.

Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus Pariſiis congregatus anno 1705. hanc Clementis XI. Conſtitutionem ſummo plauſu & animorum conſenſu recepit & probavit die 22. Auguſti ejuſdem anni, datis tùm ad Pontificem gratulatoriis, tùm ad cæteros Galliæ Epiſcopos encyclicis Litteris die 14. Septembris, quibus eos, & de dicta Conſtitutione à ſe communi ſuffragio recepta certiores faciunt, & invitant ut eam pariter recipiant ac promulgent. Rem ſumma religione executi fuere ſinguli ſuis in Diœceſibus Epiſcopi.

Eandem Conſtitutionem ad ſacram Facultatem Pariſienſem, ut ſedulò obſervaretur, direxit Rex Chriſtianiſſimus, datis eam in rem ad Theologos Pariſienſes Litteris die 30. Auguſti anni 1705. Die verò prima Septem-

bris, ſacra Facultas cum ſumma reverentiæ & obſequii teſtificatione dictam Conſtitutionem recepit: quibus peractis, Litteræ, ut vocant, Patentes, quæ die 31. Auguſti Regio juſſo deſcriptæ fuerant, ad Senatum Pariſienſem directæ ſunt, & in publicas Tabulas relatæ, ac receptæ ſimul cum dicta Conſtitutione die 4. Septembris anni 1705.

Quapropter jam cauſa illa ſilentii religioſi, finita eſt, dejectis & expugnantis omnibus illis præſidiis, quibus hactenus Janſeniani tutos ſe ac ſecuros confidebant, falſas intelligo, tùm Clementis IX. tùm Innocentii XII. Decretorum interpretationes; tùm ipſummet religioſum ſilentium, ad quod, velut ad munitiſſimam & inexpugnabilem arcem confugerant. Inde expulſi, non eſt in quo certi conſiſtant, nec aliud videtur ipſis ſupereſſe, quàm ut tot Conſtitutionibus Apoſtolicis, Clementinæ imprimis *Vineam Domini Sabaoth*, ſincerè obſequantur.

Fallimur: infinitæ ſunt & inexhauſtæ hominum illorum aſtutiæ, fraudes, argutiæ. Si illis fides, Clemens XI. unum dumtaxat perſtringit ſilentium religioſum quod ſpectat jus ſeu dogma fidei, non factum: hoc eſt, Pontifex eos damnat qui in cauſa Janſenii circa dogma fidei definitum, exteriùs quidem præ reverentia ſilent, ſed intùs & animo diſſentiunt. Hunc eſſe Clementinæ Conſtitutionis ſenſum, iſta, inquiunt, verba ſubindicant: *Docere non ſunt veriti, ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani Libri ſenſum in antedictis quinque Propoſitionibus damnatum, interiùs, ut hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe &c.* Et infrà: *Aſſerere non dubitaverunt, præfatæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe, etiam ab iis, qui interiùs non judicant, prædicto Janſenii Libro doctrinam hæreticam contineri.*

Verùm figmentum illud quod in mero æquivoco laborat, facilè exſufflatur, diſtinguendo nimirum erroneum quinque Propoſitionum ſenſum, vel in ſe ſeu abſolutè conſideratum, vel reſpectivè ad Janſenium. Priori modo, ſimplex eſt juris ſeu dogmatis quæſtio; poſteriori verò, juris ſimul & facti; quatenus ſcilicet includit attributionem ſenſus erronei quinque Janſenii Propoſitionibus. Summus autem Pontifex non loquitur de ſilentio circa dogma in ſe & abſolutè conſideratum, quia nulla de illo unquam quæſtio fuit cum Janſenianis, qui centies conteſtati ſunt ſe ſincerè ac ex animo damnare quinque Propoſitiones in ſe abſolutè ac nudè ſpectatas; atque dogmati obedientiam, facto autem reverentiam ſilentii debitam eſſe palàm ac publicè ſæpiſſimè declararunt. Silentium ergo quod Clemens XI. perſtringit, ſpectat dogma quinque Propoſitionum reſpectivè ad ſenſum Janſenii; hoc eſt, attributionem ſenſus erronei quinque Janſenii Propoſitionibus: adverſus eos ſcilicet qui formulæ Alexandri VII. ſubſcribunt quidem, ſed tamen intus & animo erroneum non putant eſſe Janſenii ſenſum, imò Catholicum, & puram Auguſtini doctrinam. Porrò ſilentium illud circa erroneum ſenſum à Janſenio intentum, nonne ipſamet eſt quæſtio facti, de qua hìc agitur, & circa quam Summus Pontifex ſua in Conſtitutione pronuntiat? De illo quippe ſilentio dumtaxat pronuntiat, de quo excitata fuerat controverſia, occaſione dicti Caſus conſcientiæ: atqui de ſolo ſilentio circa factum doctrinale Janſenii, ſeu circa erroneum quinque Propoſitionum Janſenii ſenſum, excitata fuerat controverſia, non verò de ſilentio circa dogma quinque Propoſitionum in ſe & abſolutè ſpectatum; ergo Summus Pontifex damnat ſilentium

tium

tium circa factum doctrinale, ſeu circa erroneum Janſenii in quinque famoſis ipſius Propoſitionibus ſenſum.

Probatur denique, quia ſilentium illud religioſum propiùs inſpicienti videbitur injurioſum potius & Eccleſiæ contumelioſum, ſuperbiæ ac temeritatis plenum eſſe, ac favere rebellioni & inobedientiæ tùm ſubditorum in Principes, tùm filiorum in parentes, ac ſervorum in dominos.

I. Injurioſum eſt & contumelioſum Eccleſiæ: tùm quia ejus auctoritatem ſpernit, quam non proponit tanquam normam & regulam obedientię ac ſententiæ privatorum, quin potiùs privati alicujus Doctoris ſententiam longè pluris facit, quàm publicum Eccleſiæ totius Judicium: tùm quia etſi verbis aut ſcriptis non impugnetur Eccleſiæ de facto aliquo doctrinali Judicium, (in quo uno ſilentii hujus religio verſatur) intus tamen irridetur & improbatur; atque ita apud defenſores hujus ſilentii, Eccleſiam palam erroris non incuſare, laudare eſt; non impugnare, honori, reverentiæ, & obſequio deputatur: tùm denique quia certo quodam temporis ſpatio definitur hujus ſilentii religio; neque enim perpetuò & conſtanter, juxta illius defenſores, ſervari debet, ſed tantùm, inquiunt, *quamdiu fervet diſputationis æſtus, qui ubi deferbuerit, ſolvi poterit*: id eſt, in æſtu diſputationis non licet Eccleſiam laceſſere & erroris arguere, at licebit poſtea. Præclara verò Religio! Non ita profectò ſentiebat Summus Pontifex Vigilius, qui in Epiſtola ad Eutychium eos omnes damnat, qui *aliquo tempore* auſi fuerint tria Capitula defendere, & impugnare de illis Eccleſiæ Judicium. Non ita quoque Juſtinianus Imperator, qui in Tractatu ad Mennam anathema dicit iis, qui *ullo modo prorſus quocumque tempore* Scripta Origenis propugnare auſi fuerint.

Tom. 5. Conc. p. 599. F. Ibid. p. 679. B.

II. Silentium illud ſuperbiæ ac temeritatis plenum eſſe, res eſt apertè manifeſta. Quæ enim major poteſt eſſe ſuperbia & temeritas, quàm de teipſo tam benè ſentire, ut credas te Libri alicujus ſenſum meliùs eſſe aſſecutum, quàm tot Summi Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, uno verbo, Eccleſia univerſa aſſecuta fuerit? Si hoc modeſtiam & humilitatem ſapiat, novum certè eſt modeſtiæ genus Chriſtianis incognitum. Audiatur quid in ſimili ferè cauſa reſpondeat Joſephus Epiſcopus Methonenſis Marco Epheſino in Concilio Florentino: *Superba de te*, inquit, *opinione deceptus, putaſti univerſa te Synodo prudentiorem eſſe & doctiorem; quod extremæ ſtultitiæ argumentum eſt, unum ſcilicet hominem antecellere univerſis. Eſto, ſi unum cum uno conferas, id enim credibile eſt; at univerſa Eccleſia congregata unum hominem eſſe præſtantiorem omnino impoſſibile eſt: alioquin & Arius, & Eunomius, & reliqui generalium Conciliorum hoſtes hoc ipſum dicent: verùm id fieri non poteſt. Quare te etiam oportebat agnita veritate multos audire, diſſenſionemque & pervicaciam & vanam illam, quam habebas animo anteceptam opinionem ac perverſitatem deponere; & multorum, imò verò Eccleſiæ ſententiam ſequi.*

Tom. 3. Conc. p. 691. D.

III. denique, ſilentium illud religioſum inobedientiæ ac rebellioni favere patet, quia ſi fas ſit publica Eccleſiæ Judicia tuo privato ſubjicere, & ad arbitrium eis obſequi, quidni licebit ſubditis, Principum; filiis, parentum; ſervis, dominorum ſuorum mandata ad privatum ſuum examen revocare, nec illis priùs morem gerere, quàm eorum rationes an juſtæ ſint vel injuſtæ, ſedulò expenderint? At quantùm hoc rebellioni ſubditorum erga Principes,

inobedientiæ filiorum erga parentes, & ſervorum erga dominos faveat, nemo non intelligit. In gratiam Superiorum benè ſemper præſumi debet, atque iis prompto animo obtemperandum, niſi fortè contingeret ea Superiorum mandata, Catholicorum omnium judicio, divinæ legi manifeſtè adverſari; quo certè caſu *obedire oportet magis Deo quàm hominibus*, ajunt Apoſtoli Act. 5. v. 29. Generatim in obſequio & obedientia, non tantùm publica tranquillitas, ſed & pietas ipſa poſita eſt. Egregia eſt regula obedientiæ erga Superiores, quam S. Bernardus præſcribit Libro de præcepto & diſpenſatione cap. 9. *Quidquid*,
To. 1. p. 509. A. inquit, *vice Dei præcipit homo, quod non ſit certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus .... Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate percipienda de rebus dubiis, & in præcipienda fallere poſſunt? Sed enim quid hoc refert tua, cui conſcius non es? præſertim cùm teneas de Scripturis, quia labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam.*

Ibid. E. Et capite 10. initio ſic pergit: *Imperfecti cordis & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere, hærere ad ſingula quæ injunguntur, exigere de quibuſque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſa latuerit; nec unquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, ſeu expedire monſtraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata ſatis, imò nimis moleſta hujuſcemodi obedientia.*

TERTIA PARS.

Nempe certum eſſe nec errori obnoxium Judicium Eccleſiæ de ſenſu Propoſitionum, Librorum vel Auctorum.

Probatur I. Ex dictis hactenus, Eccleſia auctoritate à Chriſto accepta judicare poteſt de ſenſu Librorum, ac Fideles ſub graviſſima pœna anathematis adigere, ut ſuo ſubſcribant Judicio, non manu tantùm, ſed corde & animo; ergo eo in Judicio Eccleſia nec falli poteſt, nec fallere.

Conſequens, admiſſo antecedente, neceſſariò ſequitur.

Namque I. in principiis adverſæ ſententiæ, mentis obſequium non debetur niſi auctoritati omnino certæ & infallibili: atqui ex antedictis ac probatis, Eccleſiæ de ſenſu Librorum definienti debetur mentis obſequium; ergo in hujuſmodi definitionibus Eccleſia errare non poteſt.

II. Quia, ut optimè ratiocinatur Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante
To. 2. p. 61. col. 1. A. cap. 14. *iniquum eſſet ſub tam gravi pena* (anathematis) *obligare Fideles ad aſſentiendum rebus incertis & interdum falſis*. Atqui certum eſt ex dictis, Eccleſiam uſu conſtanti ac perpetuo ſub pena anathematis obligaſſe Fideles ad aſſentiendum ſuis de ſenſu Librorum Judiciis: certum non minùs eſt, iniquam & tyrannicam eſſe non poſſe Eccleſiæ auctoritatem; ergo neceſſe eſt concludere, incerta & falſa eſſe non poſſe Eccleſiæ de ſenſu Librorum Decreta. Atque hinc quaſi ſponte fluit ac naſcitur altera probatio.

III. Eccleſia ſuo ipſo uſu ac praxi ſuppoſuit ſemper ſibi à Chriſto datam auctoritatem, ut de ſenſu Librorum certum judicium ferret, ac Fideles, ut ipſi ſubſcriberent, ſub anathematis pœna compelleret. Ergo auctoritatem illam reipſa Eccleſia accepit: aliàs, vel in ipſo jure ſeu dogmate aber-

raſſet

Digitized by Google

raſſet Eccleſia, eam ſibi arrogando facultatem, quam à Chriſto non accepiſſet; pertinet enim ad dogma ſcire, utrum Eccleſia privilegium inerrantiæ à Chriſto acceperit vel non, in factis hujuſmodi doctrinalibus decretoriè definiendis, & exigenda Fidelium interiori adhæſione. Porrò concors eſt omnium Theologorum ſententia, Eccleſiam in jure ſeu dogmate errare non poſſe.

Neque eſt quòd opponas, nullo Concilii generalis Decreto ſeu Canone privilegium iſtud aſſertum fuiſſe. Fateor: at nullo etiam Concilii generalis Decreto definitum legimus, Eccleſiam in jure ſeu dogmate definiendo infallibilem eſſe. An inde liceret inferre, reipſa Eccleſiam privilegium illud à Chriſto non accepiſſe? Uſu ſcilicet continuo ac exercitio ſuam hanc conteſtatur & probat Eccleſia auctoritatem, tùm circa dogmata, tùm circa facta dogmatica.

IV. Certum eſt Chriſtum Eccleſiæ in his quæ ad conſervationem depoſiti & publicam Fidelium ſalutem ſunt neceſſaria, nunquam deeſſe: *Vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Portæ inferi non prævalebunt.* *Matth. 28. v. 20.*
Atqui ad conſervationem depoſiti & ad publicam Fidelium ſalutem ne- *ibid. 16.*
ceſſe eſt ut Eccleſia certo ac infallibili Judicio poſſit veram aut falſam, quæ *v. 18.*
in Libris continetur, doctrinam diſcernere, noxia paſcua à ſalubribus, venenum à remedio diſtinguere: neceſſe eſt, ut quæ in dies enaſcuntur circa ſenſum Librorum vel propoſitionum lites ac diſcordiæ, eas ſupremo Judicio componere poſſit, ne fortè æternis diſſidiis inter ſe turbentur Fideles, & circumferantur omni vento doctrinæ: neceſſe eſt Eccleſiam pro impoſita ſibi
lege, doceat omnes gentes; *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos &c.* *Ib. 28.*
Ut autem miniſterium illud abſque ullo errandi periculo exerceat, ſe omni- *v. 19.*
bus diebus ipſi adfuturum promiſit Chriſtus: *Ego vobiſcum ſum.* Baptiſet Paulus, hic eſt (Chiſtus) qui baptiſat; remittat peccata, hic eſt qui remittit; ſacrificium offerat, nomine ipſius offert: *Hoc facite in meam commemorationem: Vobiſcum ſum omnibus diebus.* An verò credibile eſt Chriſtum Eccleſiæ ſuæ non adeſſe in ea miniſterii parte, quæ doctrinam in Libris expreſſam ſpectat, unde tot in Chriſtianos commoda, vel incommoda derivari poſſunt?

Probatur 2. teſtimoniis Veterum, ac præſertim ex celebri controverſia de tribus Capitulis excitata; ſcilicet cùm de ſenſu Librorum Theodori, Theodoreti & Epiſtolæ Ibæ tanta contentione certatum olim fuit in V. Concilio generali, aliis perverſum, aliis Catholicum ſenſum his Capitulis affingentibus. Nullus (quod rectè hìc obſervandum) oppoſuit Eccleſiam in cauſis ejuſcemodi falli poſſe; nullus in controverſiam adduxit ſupremam ipſius auctoritatem, & obligationem quæ omnibus incumbit Fidelibus prompto animo Decretis ejus obſequendi: imò ex utraque parte certatim pugnabatur pro Eccleſiæ auctoritate, quam ſupremam & infallibilem eſſe hinc & inde conſtabat quidem, ſed quam alter ab altero violari reciproca accuſatione cauſabatur. Defenſores nempe trium Capitulorum violari ab aliis contendebant Synodum Calcedonenſem, à qua putabant (errore facti) probata illa fuiſſe: vice verſa eorumdem Capitulorum oppugnatores negabant ea unquam probata fuiſſe à Synodo Chalcedonenſi; ac quinti Concilii auctoritatem, à quo proſcripta fuerant, convelli conquerebantur. Tota ergo lis in eo verſabatur, an probata, vel improbata reipſa fuiſſent ab Eccleſia legitimè congregata, hæc Capitula: de auctoritate verò ſuprema & infallibili

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ aut probantis aut improbantis, nulla prorſus inter eos diſputatio, ſed perfecta conſenſio. Conſtabit iſtud ex teſtimoniis partis utriuſque.

Patres V. Concilii Collatione 8. invitantes Vigilium S. Pontificem, ut ad Concilium, ſicut promiſerat, veniret, utuntur imprimis Apoſtolorum & aliorum veterum Patrum exemplo, qui in commune res Eccleſiæ in Conciliis tractarunt. *Unde*, inquiunt, *communiter ſententiam protulerunt, his verbis, Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Deinde adducunt iſta Chriſti verba: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ego ſum in medio ipſorum*.

Tom. 5. Conc. p. 563. A.

Ibid. B.

Eadem Collatione, antequam Canones proponant, loco præfationis auctoritatem Eccleſiæ ſic explicant: *His*, inquiunt, *cum omni ſubtilitate diſpoſitis, in memoria tenentes promiſſiones de ſancta Eccleſia factas, & qui dixit, quòd portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, id eſt, hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem & quæ per Oſeam de ea prophetata ſunt, in quibus dicit: Et ſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominum &c.* Sic Patres illi ſuis de ſenſu trium Capitulorum definitionibus fidem & auctoritatem conciliant, ex iis ipſis Scripturæ ſacræ teſtimoniis, quibus ſolet à Catholicis demonſtrari Eccleſiæ infallibilitas, ſeu inerrantia.

Ibid. p. 568. C.

Vigilius S. Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ: *Neceſſe eſt*, inquit, *quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda quæ ſunt ipſi placita, colliguntur, ſancti Spiritus non deeſſe præſentiam. Ita enim Chriſti Dei Domini & Salvatoris noſtri mandata inſtituunt, quibus ait, Matth. 18. Ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.*

Ibid. p. 322. E.

Et in Epiſtola confirmatoria V. Concilii, poſtquam dixit, ſe quidem obtitiſſe primùm damnationi trium Capitulorum, ſic pergit: *Sed quoniam Chriſtus Dominus noſter, qui eſt lux vera quem tenebræ non comprehendunt, omni confuſione à mentibus noſtris remota, univerſum Orbem & Eccleſiam ad pacem revocavit, ita ut quæ à nobis definiri debent, revelante Domino, & veritate inveſtigata ſalubriter impletæ ſint: idcirco ſciat univerſa fraternitas &c.*

Ibid. p. 598. A.

Et in ſuo Conſtituto, declarat, quæcunque ſunt à Conciliis judicata, ea *inconcuſſè, inviolabiliter, ſine adjectione vel imminutione* ſequenda, & tanquam orthodoxa cum veneratione ſuſcipienda eſſe. Verba ſuperiùs inter probationes ſecundæ partis laudavimus.

Ex altera verò parte, trium Capitulorum defenſores non minori ſtudio extollunt ſupremam & infallibilem Eccleſiæ auctoritatem in ipſo dignoſcendo eorum Capitulorum ſenſu.

Facundus hac falſa præoccupatus opinione, Epiſtolam Ibæ fuiſſe à Concilio Chalcedonenſi probatam, contendit eam pro orthodoxa habendam eſſe, nec poſſe retractari Eccleſiæ de illa Judicium; aliàs, nullus unquam futurus eſſet diſputationum finis. Sic loquitur Lib. 5. cap. 5. *Neque alia eſt Conciliorum faciendorum utilitas, quàm ut quod intellectu non capimus, ex auctoritate credamus, & ſicubi ratio minùs nobis occurrerit, fides, ne labamur, citò ſuccurrat. Nam ſi poſt decretum diſceptare licuerit, ut dicatur, priùs probetur Epiſtola illa quòd recta ſit, ut credatur fuiſſe ſuſcepta; non eſt quare jam Concilia congregentur, nec terminatæ, imò nec terminabiles dicantur quæſtiones, quarum probatio ſemper exigitur. Cur enim non dicatur ſimiliter, probetur priùs, quòd unius eſſentiæ ſint Pater & Filius, ut credatur hoc in Nicæno Concilio terminatum.* Et poſtea. *Non idem modus eſſe debet atque ordo quærendi poſt definitionem Con-*

P. 77. C. D.

Ib. D. E.

cilii

cilii totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poſcebat, ut ſi orthodoxa probaretur illa Epiſtola, ſuſcipienda judicaretur à Synodo: nunc autem ratio poſcit, ut ſi ſuſcepta probetur à Synodo, judicetur orthodoxa. Audis, poſt definitionem Concilii Chalcedonenſis (ut falsò putabat Facundus) Ibæ Epiſtolam orthodoxam eſſe judicandam.

Et Libro 8. cap. 7. *Ubi ſunt*, inquit, *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Nam fideliter invocatus non ſolum à Sacerdotibus, ſed ab omni quoque populo ſuo, cujus fides & expectatio ex illorum auctoritate dependet, dat omnibus congregatis unum cor & animam unam, ut nullus eorum ſuam velit eſſe ſententiam, niſi quæ fuerit veritatis. Quoties ibi doctiores indoctioribus, & plures paucioribus, illo eorum medio cedunt? Quoties etiam per neſcientes, ſcienter operatur ipſe qui poteſt omnia facere ſupra quàm petimus aut intelligimus?* P. 128. A.

Et Lib. 12. cap. 2. *Non in noſtra*, inquit, *ratione, ſed in auctoritate ſancti Concilii* (Chalcedonenſis) *conſtituimus firmitatem*, & alia quæ jam prolata ſunt. Ita de ſuprema & inviolabili Eccleſiæ auctoritate in ſenſu Epiſtolæ Ibæ diſcernendo ſentiebat & ſcribebat Facundus, ſtrenuus & ad ſchiſma uſque trium Capitulorum defenſor. P. 187. C.

Ferrandus alter eorumdem Capitulorum patronus, Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis, in Epiſtola ad Pelagium & Anatolium Eccleſiæ Romanæ Diaconos, loquens de eadem Ibæ Epiſtola à Synodo Chalcedonenſi, ut exiſtimabat, approbata, contendit hocce judicium revocari non poſſe. Audiatur.... *Si tunc*, inquit, *aliquis accuſator Epiſtolæ, cujus Catholica eſſe dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, appellationi forſitan, ſecundùm conſuetudinem locus pateret; ſed quò iret? Aut ubi majores reperiret in Eccleſia Judices, ante ſe habens in Legatis ſuis Apoſtolicam Sedem, qua conſentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum?* Et paulò poſt: *Si retractentur Chalcedonenſis Concilii decreta, de Nicæna Synodo cogitemus ne ſimile periculum patiatur. Univerſalia Concilia, præcipuè illa quibus Eccleſiæ Romanæ conſenſus acceſſit, ſecundæ auctoritatis locum poſt Canonicos Libros tenent.... Quæ autem finiuntur judicantibus Epiſcopis ſanctis, & ad beati Petri memoriam perducta diligentiùs examinantur atque firmantur, ſequenda ſunt, tenenda ſunt, amplectenda ſunt: in retractatione ſub qualibet pietatis occaſione teneri non debent.* Bib. PP. T. 9. p. 516. E. Ibid. F. n. 7. Ibid. G.

Synodus ipſa Chalcedonenſis, ut innuat ſe divina Chriſti auctoritate inſtructam in pronuntianda contra Dioſcorum, Neſtorium & Eutychem damnationis ſententia, ait Actione 4. *Dioſcorum Chriſtus depoſuit.* Et Actione 6. *Neſtorio & Eutychi & Dioſcoro anathema. Trinitas hos tres damnavit, Trinitas hos tres ejecit.* Adeo verum eſt, vel in ipſis ejuſcemodi factis cum dogmate fidei connexis definiendis, Eccleſiam non humana, ſed divina Chriſti virtute indui & confirmari. To. 4. Conc. p. 507. D. Ibid. p. 609. A.

Sanctus Leo ſcribens ad Synodum Chalcedonenſe ait, pertinere *ad puritatem fidei atque doctrinæ*, damnare hæreſes *cum ſuis auctoribus*. Non poteſt igitur Eccleſia in ejuſmodi cauſis, quæ cum fide connexæ ſunt, aberrare. Tom. 4. Conc. p. 71. E.

Sanctus Gregorius Magnus Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum 25. Lib. 1. Indict. 9. aliàs 24. poſtquam aſſeruit ſe quatuor prima Concilia ſuſcipere ac venerari velut quatuor Evangelia, atque etiam quintum ſe pari obſequio & reverentia proſequi, ſic pergit: *Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur,* To. 2. p. 515. D.

ample-

amplector: quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut religare quos ſolvunt. In Conciliis autem illis, quæ S. ille Pontifex velut quatuor Evangelia ſe venerari teſtatur, præſertim verò in quinto, de ſenſu Librorum dignoſcendo ac judicando actum fuit. Teſte igitur S. Gregorio, æquè ſacra eſſe debet & inviolabilis eorum definitio, ac ſi ipſius eſſet Evangelii.

Sophronius pariter in Epiſtola Synodica quæ lecta eſt Actione 11. ſextæ Synodi, poſtquam tria Capitula ſigillatim damnavit: *Illa igitur*, inquit, *ſacra & magna univerſaliaque ſancta quatuor amplector Concilia.... Super his verò & hanc quintam honoro, & veneror, & cuncta earum lubenter recipio, tam in dogmatibus & diverſis doctrinis, quàmque hæreticorum anathematibus & definitionibus. Unde & comprobo atque ſuſcipio, quos ſuſceperunt & approbaverunt; & anathematiſo atque abjicio quos anathemati ſubjecerunt, & ejectos à ſancta noſtra Catholica Eccleſia cenſuerunt.*

Tom.6. Conc. p. 888. B.

Tam conſtans recepta erat octavo ſæculo hæc doctrina, ut Summi Pontifices & Epiſcopi ſinguli die inaugurationis ſuæ ſolemniter eam profiteri tenerentur, ſicut colligimus ex Diurno SS. Pontificum, titulo 9. cap. 2. & titulo 6. cap. 60. *Quoſquos*, inquiebant, *vel quæque ſex univerſalia Concilia abjecerunt, ſimili etiam nos percellimus condemnatione anathematis.... quoſquos verò vel quæque eadem ſex ſancta Concilia ſuſceperunt, ut rectæ fidei conſortes ſuſcipimus, & cum eadem reverentia ore & corde veneramur.*

P. 43. & 50. P. 60.

Denique Gallicani Præſules in Epiſtola ad Innocentium X. ſcripta die 28. Martii anni 1654. ajunt, *diſcipulos Janſenii è veteri fidei depoſito, cujus cuſtodia Cathedræ Petri à Chriſto concredita eſt, partem adimere tentare*; cùm nempe Eccleſiæ factum Janſenii definienti fidem ac mentis obſequium detrahunt, quaſi eo in facto aberraſſet, *quod nemo abſque intolerabili pertinacia & ſuperbia contendere poteſt*, ait Cardinalis Daguire in defenſione Cathedræ S. Petri diſput. 20. ſectione 3.

Rec. des E. p. 118. P. 315. n. 16.

His accedit è ſacro Collegio Cardinalium nonnullorum auctoritas, ne ipſis quidem exceptis Bellarmino & Baronio, quos tamen perpetuò nobis opponunt adverſæ partis Theologi.

Cardinalis à Turrecremata in Summa de Eccleſia Lib. 4. parte 2. c. 9. enumerans varia genera propoſitionum Catholicæ veritatis, n. 6. iſtam recenſet, *Quæ de tenenda fide & confutatione hæreticorum à doctoribus ab univerſali Eccleſia approbatis aſſertivè traditæ ſunt, licèt in Canone Scripturæ non contineantur.* Rationem ſtatim addit quæ rem noſtram conficit, *Quoniam*, inquit, *cùm Eccleſia univerſalis quæ regitur Spiritu ſancto, doctores aliquos approbaverit, eorum doctrinam tanquam veram recipiens, neceſſe eſt ut talium doctrinæ aſſertivè poſita & nunquam aliàs revocata, vera ſit, & ab omnibus Fidelibus firma credulitate tenenda.... Aliàs univerſalis Eccleſia videretur erraſſe approbando & acceptando eorum doctrinam tanquam veram, quæ tamen vera non eſſet.* Quod de Judicio Eccleſiæ circa veram SS. Doctorum doctrinam ait c. 9. Turrecremata, hoc idem circa perverſam doctrinam Hæreticorum aſſerit c. 10.

Cardinalis Bellarminus Lib. 3. de Eccleſia militante cap. 14. *Noſtra*, inquit, *ſententia eſt, Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, nec in rebus abſolutè neceſſariis, nec in aliis quæ credenda vel facienda nobis proponit.* Ibidem argumento tertio ſic pergit: *Obligamur ſub pœna anathematis, credere Eccleſiæ in omnibus,*

Tom. 2. p. 60. F. ibid. p. 61. A.

nibus, ut patet Matt. 18. *Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus: & Concilia omnia dicunt anathema non aſſentientibus Eccleſiæ decretis: at iniquum eſſe, ſub tam gravi pœna obligari ad aſſentiendum rebus incertis & interdum falſis.* Facile eſt hæc doctiſſimi Cardinalis principia præſenti cauſæ noſtræ accommodare. Juxta illum, non poteſt Eccleſia errare in rebus abſolutè neceſſariis, & iniquum foret nos ſub graviſſima anathematis pœna obligari ad aſſentiendum rebus incertis & interdum falſis; ergo non poteſt errare Eccleſia in ſuo de ſenſu Librorum Judicio, quod maximè neceſſarium eſt ad communem Fidelium ſalutem, ad diſcretionem bonæ & perverſæ doctrinæ, ad optimum Reipublicæ Chriſtianæ regimen; ergo non poteſt falſum eſſe Eccleſiæ de Libris Judicium, cui ſub graviſſima pœna anathematis conſentire & ſubſcribere tenemur.

Idem Libro 4. de Romano Pontifice c. 5. ait Romanum Pontificem, quantò magis Eccleſiam, *errare non poſſe in præceptis morum quæ toti Eccleſiæ preſcribuntur, & quę in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel in iis quæ per ſe bona vel mala ſunt, verſantur.* Et Libro 1. de Sanctorum beatitudine c. 9. ex profeſſo docet Eccleſiam errare non poſſe in Canoniſatione Sanctorum; quamquam hæc controverſia tota verſetur in facto non revelato. *Tom.* 1. *p.* 315. F. *T.* 2. *p.* 285.

Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 256. n. 40. de iis qui pro Origene ab Eccleſia damnato Apologias ſcribunt, ſic judicat: *Miratus ſum*, inquit, *vehementer, poſt damnationem ejus* (Origenis) *ab Anaſtaſio Papa Pontificia auctoritate inflictam, poſt ejuſdem reprobationem in ſexta Synodo pronuntiatam, poſt tot antiquorum Patrum in id ipſum conſpirantes ſententias, adhuc recentiores quoſdam auſos eſſe pro eodem novas edere Apologias, & auctoritate totius Eccleſiæ judicatas ſæpius controverſias denuò temerè excitare.* Quod de defenſoribus Origenis dixit Baronius, ſibi dictum quoque putent Janſenii patroni: temeritatis ſaltem notam, judice Baronio, effugere illi non poſſunt, qui audent ſpreta Eccleſiæ ſententia Janſenii Librum à damnatis erroribus vendicare. *T.* 2. *p.* 504. C.

Cardinalis Noriſius in Apologia Monachorum Scythiæ loquens de Judicio quintæ Synodi ait: *Quo Judicio demonſtratur in damnandis propoſitionibus in ſenſu ab auctoribus intento non errare Eccleſiam, neque latum ab eadem ſemel judicium poſſe retractari.*

Cardinalis Daguire in defenſione Cathedræ S. Petri diſputatione 20. ſectione 3. ait, *moraliter certum eſſe Pontificem nullatenus errare, quoties maturè rem examinat, invocata privatim & publicè Spiritus ſancti ope, adhibito conſilio S.R.E. Cardinalium, conſultatione diuturna gravium Theologorum, & inſpectione attenta eorum omnium quæ circumſtant materiam de qua agitur.* Addere potuiſſet, præſertim cùm definitionibus Summorum Pontificum accedit Eccleſiæ univerſæ conſenſus. Aſſert ibidem in exemplum definitionis moraliter certæ, Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. circa factum Janſenii, quibus falſum ſubeſſe nemo ſine intolerabili pertinacia & ſuperbia contendere poteſt. *P.* 315. *n.* 16.

Nec dicas eumdem Cardinalem in ſuis Notis ad XI. Concilium Toletanum, Tomo ſecundo Conciliorum Hiſpaniæ, pag. 669. n. 5. affirmare, in quinta Synodo, ubi de tribus Capitulis, non juris divini ſeu dogmatis, ſed ſolius facti non revelati pertractatam eſſe quæſtionem, in qua, conſentientibus

omni-

omnibus alicujus nominis Theologis, irreformabile & infallibile non eſt Eccleſiæ Judicium.

Namque quæſtionem facti eò loci non intelligit laudatus Cardinalis, eam quæ ſpectat trium Capitulorum, ſeu Librorum ſenſum & doctrinam, de qua una hìc nos agimus, ſed iſtam dumtaxat, *an nempe*, inquit ille, *damnanda eſſent tria Capitula cum auctoribus integro antea ſæculo defunctis*; quod certè ſingulare facti genus ad œconomiam potius & diſciplinam pertinere videtur.

Cardinalis denique Laurea Tom. 3. ſuæ Theologiæ diſputatione 6. quæ eſt de objecto materiali fidei in quæſtionibus facti, articulo 6. proponit iſtam quæſtionem: *An propoſitiones doctrinales includentes aliquid facti poſſint eſſe objectum fidei?* Cui Concluſioni 1. ſic reſpondet. *Dico 1. Dum Eccleſia in Concilio, vel R. Pontifex extra Concilium damnat aliquam doctrinam cum expreſſione auctoris, v. g. Sabellii, Cerinthi, aut Eunomii, vel Arii, &c. licèt totum complexum includat aliquid facti, damnatio illa eſt objectum fidei; ideo absolutè & ſine diſtinctione facti à jure eſt recipienda ut fidei objectum....* Et poſtea: *Dico 2. Dum Eccleſia ſeu in Concilio generali, ſeu R. Pontifex ſolus damnat doctrinas cum hac formula loquendi, in ſenſu Arii, in ſenſu Neſtorii &c. eſto tota illa complexio conſtet ex facto & jure, & ratione unius partis non ſit expreſsè revelata, non propterea definitio illa ceſſat eſſe objectum fidei; ideo ut talis recipienda ab Eccleſia.*

P. 3577.

P. 3632.

Accedit & auctoritas Cleri Gallicani. Octoginta & quinque Gallicani Præſules in ſuis ad Innocentium X. gratulatoriis Litteris pro emiſſa Conſtitutione adversùs quinque famoſas Janſenii Propoſitiones, declarant, *Chriſtianos omnes ex officio teneri huic Conſtitutioni mentis obſequium præſtare.*

Mem. du Clergè. T. 1. pa. 238.

Et in Relatione Deliberationum Clerici Gallicani, quam Illuſtriſſimus Petrus de Marca adornavit, ac calculo ſuo probarunt Epiſcopi, de quæſtionibus facti in quibus Eccleſia errare poteſt, hæc leguntur gallicè ſcripta: *On ne s'engage pas maintenant à traiter des bornes dans leſquelles doit ètre reſtainte l'erreur de fait..... elle s'entend des cauſes privèes & ſpeciales, comme parle le Pape S. Leon, qui ſont traitèes devant les Conciles & les Papes. Mais il faut ajouter pour l'inſtruction des foibles, afin qu'ils ne ſoient trompès en autres occaſions, qu'elle n'a proint lieu aux queſtions du fait qui eſt inſeparable des matieres de foi, ou des mœurs gènerales de l'Egliſe, leſquelles ſont fondèes ſur les ſaintes Ecritures, dont l'interpretation dèpend de la Tradition Catholique, qui ſe vèrifie par le tèmoignage des Peres dans la ſuite des ſiècles. Cette Tradition qui conſiſte en fait, eſt declarèe par l'Egliſe avec la meme autoritè qu'elle juge de la foi; autrement il arriveroit que toutes le veritès Chrètiennes ſeroient dans le doute & l'incertitude, qui eſt opposèe à la veritè conſtante & immobile de la foi.* Hìc quæſtio facti erga Janſenii ſenſum, Epiſcopis Gallicanis eadem videtur ac quæſtio facti circa traditionem dogmatum fidei. Porrò circa poſtremam hanc errare non poſſe Eccleſiam, omnes Orthodoxi conſentiunt; ergo &c.

Relation des Deliber. pa. 26.

Probatur denique graviſſimis momentis.

I. Eccleſia, omnium Catholicorum conſenſu, Judex eſt infallibilis doctrinæ: hæc autem doctrina in Libris continetur; eſt ergo Eccleſia Judex infallibilis doctrinæ prout in Libris continetur: aliàs, poſſet Eccleſia circa doctrinam aberrare, approbando ſcilicet alicujus Libri falſam pro vera, aut

damnan-

damnando veram pro falſa; quod ſi contingeret, in jus ipſum, ſeu dogma erraret Eccleſia.

Confirmatur. Quia tam poteſt Eccleſia certo & infallibili judicio judicare de ſenſu ſeu doctrina Libri alicujus, quàm de ſenſu & doctrina propoſitionis alicujus in ſe ſpectatæ: atqui hoc poſtremum poteſt Eccleſia, ne ipſis quidem renuentibus quos hic impugnamus adverſariis. Paritas videtur aperta. Nihil enim videtur eſſe diſcriminis inter propoſitionem, prout in Libro continetur, & eandem, prout avulſa ex Libro ſeparatim proponitur: quid enim aliud eſt Liber, quàm multarum propoſitionum collecta ſeries?

Et verò totidem circa litteralem ſeu grammaticalem, aut etiam Theologicum ſenſum avulſæ propoſitionis quæſtiones fieri poſſunt, ac circa ſenſum Libri ex quo avulſa illa fuit. Hinc & inde vis ac ſignificatio litteralis verborum cognoſci priùs debet, ut ſenſus Theologicus eliciatur. De privato etenim ſeu perſonali auctoris ſenſu, hic non agitur: pertinet ſenſus ille ad quæſtionem facti, ut vocant, ſpecialis ſeu perſonalis; ergo de ſenſu dumtaxat quem verbis expreſſit, controverſia movetur. Porrò eædem omnino fieri poſſunt quæſtiones circa ſenſum verbis expreſſum propoſitionis ſive à Libro avulſæ, ſive in Libro contentæ: atqui tamen fatentur adverſarii, Eccleſiam errare non poſſe circa ſenſum avulſæ propoſitionis; ergo nec circa ſenſum ejuſdem ut Libro contentæ.

At, inquies, propoſitio ex Libris avulſa & in ſe ipſa conſiderata nudum jus ſeu dogma continet, circa quod errare non poteſt Eccleſia: è contra, propoſitio quæ in ſerie multarum aliarum in Libro continetur, jus & factum ſimul complectitur: nempe, an talis doctrina vera ſit aut falſa, quod juris; & an talis doctrina ex tota Libri hujus ſerie colligi poſſit, quod facti eſt, de quo certo & infallibili Judicio non pronuntiat Eccleſia.

Verùm è contra potius videtur longè certius eſſe debere Judicium Eccleſiæ de ſenſu propoſitionis in Libro contentæ, quàm ſeparatæ: tùm quia, juxta effatum juris, ex antecedentibus & conſequentibus media illuſtrantur; atque auctoris mens & doctrina longè melius dignoſci poteſt ex tota ſerie ac conformatione operis ipſius, quàm ex propoſitionibus quibuſdam ſeparatis & truncatis: tùm quia propoſitio à toto contextu ſejuncta, multis aliquando ſubjacere poteſt æquivocationibus, quibus in Libro locus non eſt: imò ſæpius contingit, ſeparatam propoſitionem falſum habere ſenſum, quæ conjuncta cum cæteris in Libro, verum habet & Catholicum. Tantùm igitur abeſt ut hocce factum, nempe connexio alicujus propoſitionis cum aliis multis in eodem Libro, incertum reddat Judicium Eccleſiæ, quin potius majorem ipſi lucem & certitudinem confert.

II. Eccleſia æquè certò judicat de falſa, ac de vera Libri vel auctoris alicujus doctrina; nec magis licet in uno quàm in altero Judicio ei repugnare. V.g. tam certò potuit definire hæreticam eſſe doctrinam in Sermonibus & Epiſtolis Neſtorii expreſſam, quàm certò definivit orthodoxam eſſe doctrinam S. Leonis in famoſa ad Flavianum Epiſtola. Pariter tam certò definivit erroneam eſſe doctrinam Libri Janſenii, quàm orthodoxam eſſe doctrinam Sancti Auguſtini circa gratiam efficacem & gratuitam prædeſtinationem in ejus Libris contra Pelagianos & Semipelagionos contentam: paritas videtur omnimoda, ex utraque enim parte occurrit aliquod factum juri ſeu dogmati

per-

permixtum. Aliunde verò pertinet ad eandem Eccleſiæ auctoritatem, & falſam reprobare, & veram admittere doctrinam: atqui non poteſt falli Eccleſia, juxta Cardinalem à Turrecremata antea citatum, cùm approbat tanquam veram Doctoris alicujus orthodoxi ſententiam. Quin adverſarii noſtri loco piaculi habent recedere à doctrina S. Auguſtini circa gratiam per ſe efficacem & gratuitam prædeſtinationem, quia nempe juxta illos, Eccleſia ſolemniter declaravit hanc eſſe S. Doctoris ſententiam; ergo pari ratione cùm Eccleſia declaravit perverſam eſſe doctrinam Libri Janſenii, nemini Orthodoxo licet huic definitioni refragari.

At, inquit recentior cujuſdam furtivi Libelli auctor, cui titulus, *Conſiderations &c.* mens S. Auguſtini certa eſt, evidens & manifeſta cuicunque Libros ipſius evolventi; non ita mens & ſenſus Libri Janſenii. Ita ne per ſe manifeſta eſt & cuicunque legenti obvia S. Auguſtini mens atque ſententia? Unde ergo tot diſcrepantes Theologorum de illa opiniones? Unde tot ex utraque parte conſcripta volumina? Quiſque ſanctum hunc Doctorem ſuas in partes adducere conatur, ſive qui negat, ſive qui defendit gratiam ex ſe efficacem & gratuitam prædeſtinationem. A ſæculo & amplius quo mota eſt celebris diſputatio de Auxiliis gratiæ divinæ, de mente S. Auguſtini diſputatur. Sunt qui auſu temerario & planè irreligioſo eum velut Novatorem traducunt, ac præformatorem errorum Lutheri, Calvini, & Janſenii circa gratiam: alii veteris doctrinæ retinentiſſimum fuiſſe, nihilque quoad dogmatis ſubſtantiam innovaſſe meritò contendunt; verùm ſollicitè quærunt quæ fuerit, ſalva fide, ejus mens ac ſententia in exponendo gratiæ & prædeſtinationis ſyſtemate. Ficta ergo eſt prætenſa illa evidentia ſententiæ S. Auguſtini: ſed rem hanc abſurdam fingere potiùs amant adverſarii noſtri, quàm fateri certam fuiſſe ex ſeſe, ac infallibile Eccleſiæ de ſententia S. Doctoris Judicium.

III. Non poſſe Eccleſiam errare in ſuo de Libris Judicio, maximum inde haberi debet præjudicium, quòd reipſa nunquam erraverit. Nullum etenim proferri poteſt ex tota antiquitate exemplum Libri publico totius Eccleſiæ Judicio damnati, qui altero ejuſdem Eccleſiæ Judicio abſolutus ſit & ab errore immunis declaratus. Altero, inquam, Eccleſiæ Judicio; non privatorum quorumlibet: ad ſolam enim Eccleſiam pertinet ſua emendare, ſi debeant emendari, Judicia. *Concilia*, inquit ſanctus Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſmo c.
To. 9. p. 98. C. 3. *priora poſterioribus emendari poſſunt, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.*

Confirmatur: Quia in ſententia adverſariorum, tenemur ſemper amplecti opinionem probabiliorem & tutiorem: atqui longè probabilius eſt non errare Eccleſiam univerſam, dum judicat de ſenſu alicujus Libri, quàm privatos quoſdam homines Eccleſiæ decretis rebelles: nulla etenim eſt creata auctoritas, quæ Eccleſiæ auctoritati, non dico præponderare, ſed æquiparari poſſit; nulla in terris major. Tutius etiam eſt imperanti Eccleſiæ obtemperare, quàm reſiſtere.

IV. Si errare poſſet Eccleſia in ſuo de perſonis & Libris doctrinali Judicio, quod non ex teſtimoniis hominum, ſed per ſe ipſam, poſt ſerium doctrinæ examen exercet, poſſet ergo Librum ab errore purgare, & perſonam innoxiam anathemati devovere; poſſet aut abſolvere reum, aut damnare innocentem?

Digitized by Google

tem? Verùm abſit ut labem hanc in Eccleſiam ſanctam & impollutam conjiciamus. Quin poſſet Fideles etiam cum juramento obſtringere ad ſubſignandam formulam reipſa falſam, aut certè in quam ſuſpicio falſitatis cadere poteſt: at quis ſibi perſuaſerit poſſe Eccleſiam, cui divinus Spiritus adeſt omnibus diebus, quæ ſancta eſt & impolluta non minùs in moribus, quàm in fide infallibilis, adigere Fideles ad ſubſcriptionem quæ mendacium ac perjurium includere poteſt?

V. Cùm aliqua propoſitio eſt æquivoca, duplicemque ſenſum habere poteſt, unum orthodoxum, alterum hæreticum, & Eccleſia propoſitionem illam damnat in ſenſu talis auctoris, neceſſe eſt apprimè noverit hunc ſenſum; aliàs catholicum cum hæretico poſſet confundere, eamque damnationis ſententia involvere, quod certè procul abeſt ab æquitate & ſapientia Eccleſiæ. Sic v.g. cùm Nicænum Concilium damnavit iſtam Arii propoſitionem, *Filius divinus non eſt Patri conſubſtantialis*; cùm Epheſinum damnavit iſtam Neſtorii, *B.Virgo non eſt Deipara*, neceſſe fuit Eccleſiam certò intellexiſſe Arium non ſenſu tantùm Pauli Samoſateni negaſſe Filium Patri conſubſtantialem; (iſto quippe ſenſu vera erat propoſitio) ſed etiam ſenſu ipſi proprio & ſingulari, qui Scripturæ ac Traditioni non minùs adverſatur. Pariter neceſſe fuit ut intellexerit Neſtorium non tantùm rejeciſſe perverſum Apollinaris ſenſum, (quem tamen unum doloſus ille ſe averſari mentiebatur) ſed alium non minùs erroneum & peregrinum induxiſſe. Porrò niſi ſupponas Eccleſiam in eo ſenſu diſtinguendo, divino colluſtrari lumine, ita ut errare non poſſit, non tantùm ſumma timeri poſſet confuſio, verùm etiam poſſe in ipſo errare dogmate, approbando ſcilicet tanquam veram doctrinam alicujus Libri vel auctoris, quæ tamen eſſet falſa. Quippe ſi falli poſſet Eccleſia declarando v.g. Neſtorium eſſe hæreticum, qui negavit B.Virginem eſſe Deiparam, falli conſequenter poſſet declarando propoſitionem iſtam, *B.Virgo non eſt Deipara*, ſenſu Neſtorii eſſe hæreticam: unum enim cum alio intimè conjungitur; atque ſi Neſtorius non eſt hæreticus, propoſitio ab illo negata hæretica etiam non eſt.

VI. Niſi certò & abſque erroris periculo de genuino Librorum ſenſu judicium ferre valeat Eccleſia, nequidem de ſenſu SS.Patrum, adeoque de Traditione ipſa certò poterit quidquam ſtatuere. Quamquam enim revelatum ſit, eam doctrinam Catholicam eſſe, quæ univerſo SS. Patrum conſenſu traditur, non tamen revelatum eſt, doctrinam hanc Catholicam in Scriptis v.g. S.Hieronymi, vel Auguſtini contineri: Traditionis tamen ſeriem ac filum texere non poteſt Eccleſia, niſi viderit conſpirantes SS.Patrum ſententias, adeoque niſi ſingulorum ſenſum exploraverit & certò fuerit aſſecuta: ſi autem falli poteſt in ſenſu ſingulorum dignoſcendo, qua ratione, quæſo, Traditionem ex omnibus extundere & elicere poterit? Judicium enim iſtud quo Eccleſia pronuntiat doctrinam v.g. præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia, doctrinam eſſe totius Traditionis, pendet ex particularibus judiciis, quibus poſt accuratè diſcuſſa SS.Patrum Opera, judicat doctrinam hanc contineri in Scriptis v.g. SS.Ignatii, Juſtini, Irenæi, Cyrilli &c. Qui autem affirmant Eccleſiam in hiſce particularibus judiciis falli poſſe & errare, ii profectò Eccleſiæ viam omnem præcludunt, qua certò & abſque erroris formidine generalem Traditionem agnoſcere poſſit; atque

viam, ut ajunt, diſcuſſionis & examinis, qua fidei doctrina ex ſingulis SS. Patrum Scriptis elicitur & probatur, inutilem omnino ac ſuperfluam reddunt adverſus Novatores noſtros. Quod certè pro ſua ſagacitate appoſitè ſubodoratus Miniſter Claudius, in cauſa ſuæ defenſionem convertit in ea celebri diſputatione, quam habuit cum auctore Libri de perpetua fide Eccleſiæ circa realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam. Cùm enim iſte quamplurima SS. Patrum teſtimonia in confirmationem præſentiæ realis congeſſiſſet; & nos, inquiebat Claudius, homines ſumus, oculos & ſenſum habemus, neque in iis, quæ profers ex SS. Patribus teſtimoniis, ſenſum præſentiæ realis, ſed potius abſentiæ deprehendimus. Quòd ſi tibi licet, ô Arnalde, dicebat aliter ejuſdem ſectæ Scriptor, (Pajon) de ſenſu Janſenii litigare poſt Eccleſiæ definitionem, quidni licebit nobis de ſenſu Auguſtini, Chryſoſtomi &c. diſputare in noſtra de reali præſentia diſceptatione? Graviſſimum profectò erat, & ad hominem, ut dicitur, argumentum iſtud, cui nihil ſolidi reponi poterat. Par quippe videtur ex utraque parte ratio: utrobique factum occurrit juri ſeu dogmati permixtum; & ſi Eccleſiæ definienti quis & qualis ſit ſenſus Janſenii, non acquieſcunt Janſeniani, quòd exiſtiment Eccleſiam in factis hujuſmodi falli & errare poſſe, qua ratione, quo jure obtinere à Novatoribus poterunt, ut credant eidem Eccleſiæ, cùm declarat ſenſum præſentiæ realis contineri in Scriptis SS. Patrum, ſeu in univerſa Eccleſiæ ſcripta traditione? Sic illi incautè ac improvidè, quam in vindicandis pro reali præſentia SS. Patrum Scriptis operam & induſtriam non ſine laude collocarunt, inutilem prorſus & ſuperfluam efficiunt; & quod una manu ædificant, altera deſtruunt; ſic Novatoribus arma contra Catholicos ſubminiſtrant. Lege eam in rem 29. Epiſtolam inter eas quas Calvinianæ ſectæ auctor Bayle criticas ſcripſit in Hiſtoriam Calviniſmi D. Maimbourg.

Atque quod diximus de ſenſu Traditionis, dici quoque non immeritò poteſt de ſenſu Scripturæ juxta vulgatam editionem. Quamquam enim revelatus ſit ſacræ Scripturæ ſenſus, neque in eo dignoſcendo falli poſſit Eccleſia, non eſt tamen revelatum illius ſenſum vulgata noſtra verſione benè redditum ac expreſſum eſſe, quæ quæſtio facti eſt. Attamen Eccleſia in Concilio Trid. Seſſ. 4. declaravit authenticam eſſe & ab omni errore contra fidem immunem, verſionem illam; neque ulli Catholico fas eſſet hanc Concilii definitionem impugnare.

Reſpondet Libelli jam citati auctor: ad primum, Eccleſiam falli non poſſe in dignoſcendo ſenſu omnium ſimul & collectivè SS. Patrum, quia non poteſt falli in dignoſcenda vera Traditione; ſed falli poſſe in ſenſu ſingulorum, ac, ut ajunt, diſtributivè: quemadmodum omnes Epiſcopi in Conciliis legitimè congregati falli non poſſunt, tametſi eorum ſinguli ſeparatim ſint errori obnoxii. Ad ſecundum ait, certum eſſe Concilii Trid. de vulgata Scripturæ verſione judicium, quia ex quo Vulgata hæc in Eccleſia obtinuit, hoc eſt, vel ab ipſius primis ſeculis, conſpirantibus ac conſentientibus omnibus tùm SS. Pontificibus, tùm SS. Patribus, Epiſcopis, ac Conciliis, viſa eſt autographo conformis, nec ullum contra fidem, errorem continere.

Verùm utraque hæc reſponſio nodum non ſolvit. Non prima: ſi enim falli poteſt Eccleſia cùm de ſenſu ſingulorum SS. Patrum judicat, quomodo

certum

certum ac firmum erit illius de omnibus judicium? Namque de omnibus judicium neceſſariò ſupponit judicium de ſingulis, aut ſaltem de majori parte; eademque auctoritate de ſingulis, ac de omnibus pronuntiat. Adducta verò comparatio, non eſt ad rem noſtram præſentem, ac ſophiſma eſt, quod Dialectici appellant, *ignorationem elenchi*. Non poſſunt quidem omnes Epiſcopi in Conciliis congregati errare, quia Eccleſiam univerſam illi repræſentant, cui Chriſtus inerrantiæ, ſeu infallibilitatis donum promiſit: poſſunt verò ſinguli ſeorſim ſumpti errare, quia ſinguli Eccleſiam univerſam non referunt nec repræſentant, nec conſequenter inerrantiæ privilegium acceperunt. Verùm Eccleſia eadem ſemper eſt, æquali auctoritate ſemper inſtructa, ſive judicet in Conciliis, ſive extra Concilia, ſive de omnibus, ſive de ſingulis SS. Patrum Scriptis dogmaticis. Secunda quoque reſponſio non ſatisfacit: tùm quia Novatores noſtros parum movet & afficit conſenſus ille Veterum in laudanda & retinenda vulgata Scripturæ verſione, adversùs quos nihil efficies, niſi oſtenderis Eccleſiam falli non poſſe in cauſis hujuſcemodi: tùm quia quamtumvis Veteres conſpirent in illa vulgata verſione retinenda, quia tamen divina revelatione ſubnixum non eſt hoc eorum judicium, idcirco errori obnoxium illud eſſe contendunt; imò & ipſammet Eccleſiæ in ipſo jure ſeu dogmate inerrantiam oppugnant idem Novatores, ex ſententia noſtrorum qui exiſtimant eam in factis dogmaticis falli & aberrare poſſe.

Neque dicas Eccleſiam non judicare de dogmate Catholico ex Traditione Scriptis SS. Patrum conſignata, ſed ex Traditione viva & ſpirante, quæ in quotidiana Fidelium praxi longè meliùs ſpirat ac exprimitur; adeoque in iſta, non verò in alia dignoſcenda, certum eſſe & ab omni erroris periculo tutum Eccleſiæ Judicium.

Namque utramque Traditionem, ſeu potius utramque ejuſdem Traditionis viam, Chriſtus certiſſimum eſſe voluit canalem per quem ab Apoſtolis ad ſubſequentes omnium ætatum Fideles vera & orthodoxa fidei doctrina deflueret; & reipſa ad utriuſque præſidium confugit Eccleſia in Conciliis coacta, ut aliquod controverſum fidei dogma definiret. Qui ergo arbitrantur falli poſſe Eccleſiam in figendo Traditionis ſcriptæ ſenſu, ii & ſummo præſidio Eccleſiam defraudant, & Conciliorum in evolvendis SS. Patrum teſtimoniis laborem ac induſtriam inutilem & otioſam reddunt.

VII. denique, præcipua ratio qua nititur adverſa ſententia, Eccleſiam nempe in iis dumtaxat rebus definiendis errare non poſſe, quæ ſunt à Deo revelatæ & ad fidem pertinent; hæc, inquam, ratio ſatis firma & ſolida non videtur: Namque multa ſunt nec revelata nec ad fidem ſpectantia, in quibus tamen, multorum judicio, nec errat, nec errare poteſt Eccleſia; v. g. in cultu publico quo Sanctum aliquem Cœlo inſcribit, ac Fidelibus colendum, venerandum & invocandum proponit: etenim talem hominem inter Sanctos in Cœlis degere, haud dubiè res facti eſt non revelati, neque, propriè ac ſtrictè loquendo, fidei noſtræ objectum eſſe videtur, ſicut docet Melchior Canus Lib. 5. de Locis, q. 5. concl. 3. Atqui tamen ibidem aſſerit eximius ille Theologus, Deum peculiariter providere, ne Eccleſia in Canoniſatione Sanctorum decipiatur; atque eos, non quidem hæreticos, ſed temerarios, imprudentes & irreligioſos appellat, qui hac in parte fidem p. 280.

 Eccle-

Eccleſiæ detrahunt. Sanctus quoque Thomas Quodlibeto 9. q. 8. art. ultimo docet Sanctorum Canoniſationem quemdam medium locum tenere, inter ea quæ ad fidem, & quæ ad facta particularia pertinent, *in qua piè creditur*, inquit, *Eccleſiæ judicium errare non poſſe*. Idem ſentit Bellarminus Lib. 1. de Sanctorum beatitudine c. 9. Omnes iſta generali ratione nituntur, Deum in neceſſariis nunquam Eccleſiæ ſuæ deeſſe; atque meritò hìc cum S. Auguſtino Epiſtola 54. aliàs 118. dici debet, *inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ, diſputare an ſit faciendum, quod tota facit Eccleſia.*

To. 11. part. 2. p. 136. col. 1. B. T. 2. p. 126. C.

Fruſtra reponit auctor Libelli jam citati, argumenta ſanctitatis alicujus hominis tam ſplendida eſſe, ac miraculis conſpicuis tam certa & indubitata, ut in cauſis hujuſmodi moraliter loquendo nunquam poſſit Eccleſia in errorem induci.

Quin potius pendet iſtud Eccleſiæ Judicium à tot factis ſingularibus & humanis teſtimoniis, ut ſine ſpeciali Dei aſſiſtentia vix fieri poſſit, ut aliquid falſi ipſi non obrepat. Quippe tam benè Angelus tenebrarum ſe in Angelum lucis aliquando transformat, atque vera miracula ſuis illuſionibus ac præſtigiis ſic imitatur ac fingit, ut difficile ſit illa à fictis & mendacibus, ſicut & veram pietatem à falſa & fucata ſecernere. Atqui tamen unanimi ferè ſuffragio docent Scholæ Magiſtri, Eccleſiam in hiſce rebus errori obnoxiam non eſſe, quantò minùs ubi de ſenſu Librorum & auctorum orthodoxo vel erroneo pronuntiat; quem non alienis, ſed propriis inſpicit oculis, non aliorum teſtimonio, ſed proprio diſcutit examine, ac judicio determinat?

Adde quòd etiam in publica & generali Sacramentorum diſciplina ſtatuenda, quæ ad fidem non pertinet, à recto veritatis & ſanctitatis tramite deflectere Eccleſia non poſſit; v. g. in concedenda vel deneganda infantibus Euchariſtia; in danda vel recuſanda Laicis Communione ſub duplici ſpecie: nemo quippe Catholicus dixerit Eccleſiam, quæ ſancta eſt abſque ulla macula vel ruga, poſſe publicum aliquem abuſum tolerare, nedum imperare. Atqui iſta ad fidem non pertinent. Eſt quidem de fide, Euchariſtiam infantibus abſolutè ad ſalutem neceſſariam non eſſe, quibus Baptiſmi Sacramentum ſufficit: pariter fidei noſtræ caput eſt, totam & integram Euchariſtiam ejuſque fructum percipi in una ſpecie; verùm quòd Euchariſtia debeat infantibus dari vel non, & adultis ſub una vel duplici ſpecie, ad œconomiam & diſciplinam pertinet, quæ mutari poteſt, prout Fidelium bono expedire judicaverit Eccleſia. In ea tamen aberrare non poteſt, id eſt, abuſum aliquem Fidelium ſaluti noxium probare aut invehere: ſive enim concedat, ſive deneget infantibus Euchariſtiam, & adultis duplicem ſpeciem, ſemper æquiſſima eſt ac ſanctiſſima ejus diſciplinæ ratio, tempori & perſonis ſapienter accommodata.

Hanc eſſe ſacræ Facultatis Pariſienſis mentem ac doctrinam colligi non immeritò poteſt ex Cenſura qua anno 1644. die 23. Junii notavit Librum Theophili Brachet, cui titulus, *Verax pacificus*. Docuerat ille, morem Eccleſiæ abſolvendi pœnitentes ante expletam ſatisfactionem, abuſivum eſſe, intolerabilem, Sacramenti Pœnitentiæ naturæ ac inſtitutioni contrarium: ſacra autem Facultas declarat, *temerarium eſſe atque erroneum & hæreticum, damnare diſciplinam & conſuetudinem Eccleſiaſticam ab omnibus Catholicæ*

com-

communionis Eccleſiis receptam, quantumcumquè diuturnam, tanquam abuſivam & inſtitutioni Chriſti atque Evangelicæ doctrinæ contrariam. Cenſet igitur ſacra Facultas, Eccleſiam in ſua generali Sacramentorum diſciplina errare non poſſe; quamquam revelatum non ſit hanc vel iſtam diſciplinæ rationem obſervandam, vel non obſervandam eſſe.

Cohæret hæc ſacræ Facultatis ſententia cum doctrina Concilii Tridentini *To. 14. Conc. p. 846. D.* ſeſſ. 21. cap. 2. ubi ait, *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaverit.* Et ſeſſ. 7. Can. 13. anathemate feriuntur, *qui dixerint, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in adminiſtratione ſolemni Sacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni,* *Ibid. p. 777. E.* *aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti poſſe.*

Denique, benè multi Theologi exiſtimant à Concilio Tridentino tanquam de fide non fuiſſe definitum, vinculum matrimonii per adulterium non diſſolvi, quamquam Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ ea ſententia maximè conformis ac conſentiens videatur. Notum quippe omnibus eſt, quod narrat Palavicinus Lib. 22. Hiſt. Conc. Trid. cap. 4. ſcilicet Oratores Venetos in gratiam Græcorum ſibi ſubditorum interceſſiſſe, ne anathema *T. 3. p. 628.* diceretur iis qui putant (quales ſunt Græci) vinculum matrimonii diſſolvi per adulterium. Canon itaque ſic conformatus fuit ſeſſ. 24. ut tantùm perſtringantur Can. 7. qui aſſerunt *errare Eccleſiam cùm docuit & docet, juxta Evangelium & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum,* *T. 14. Conc. 875. A.* *matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi.* Ergo in iis etiam errare Eccleſia non poteſt, quæ non ſunt tanquam de fide expreſsè definita; & Græcos alia in opinione ac praxi verſantes tanquam hæreticos non habet.

Hactenus momenta propoſuimus, quibus adſtrui & confirmari poteſt ſuprema & infallibilis Eccleſiæ auctoritas in Librorum cenſura. Solvendæ jam ſuperſunt adverſæ partis objectiones.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ad tria univerſim capita revocari poſſunt quæ hìc non ſine faſtu & oſtentatione objectiones proponuntur.

I. Ad eas quæ directè impugnant Eccleſiæ in cenſura Librorum inerrantiam ſeu infallibilitatem.

II. Ad eas quæ ex reddita Eccleſiæ pace per Clementem IX. S. Pontificem, efficere conantur, in definitionibus facti ſufficere ſilentium religioſum; hoc eſt, ut nec verbo nec ſcripto impugnetur Eccleſiæ definitio.

III. Ad eas quæ eò tendunt, ut probent pacis & œconomiæ cauſa, & ex reverentia quæ Eccleſiæ Decretis debetur, ſubſcribi quidem poſſe exteriùs facto ab illa definito, v. g. Janſenii, tametſi intus mens non acquieſcat, ſed reluctetur ac contradicat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Primi ordinis.

Objicies 1. Opinio infallibilitatis Eccleſiæ in factis dogmaticis, ſeu in cenſura Librorum, nova eſt, à paucis dumtaxat annis, occaſione Cenſuræ in Librum Janſenii & quinque Propoſitiones ex ipſo extractas latæ, excogitata; Theologis veteribus non tantùm incognita, ſed etiam ab illuſtrioribus expreſsè impugnata. Ex multis iſti ſufficient.

To. 11. part. 2. p. 136. col. 1. B.

S. Thomas Quodlibeto 9. q. 8. articulo ultimo poſtquam dixit non poſſe errare Eccleſiam in iis quæ pertinent ad fidem, addit: *in aliis verò ſententiis quæ ad particularia facta pertinent, poſſibile eſt judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes.*

T. 1. p. 253.

Joannes Gerſo in Tractatu cui titulus, *Conſiderationes de pace*, ait, *in factis ſine periculo ſalutis errare poſſe, non tantùm privatum quemlibet, ſed Eccleſiam ipſam*. Et Tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica & laica c. 16. cui titulus eſt, *An Concilium errare poſſit*: ait, *communiter Doctores aſſerere errare poſſe Concilium in iis quæ ſunt facti, non verò in iis quæ ſunt juris.*

Ibid. p. 822.

T. 1. p. 325. E.

Nota Bellarminum non ſatis ſincerè referre ſententiā Cardinalis à Turrecremata: eam enim hìc ſic exhibet quaſi loqueretur de toto Cōcilio, cùm tamē certum ſit, Turrecremata errorē facti in cauſa Honorii rejicere dumtaxat in Grecos.

Cardinalis Bellarminus Lib. 4. de Summo Pontifice cap. 11. poſtquam multis oſtendere conatus eſt Honorium S. P. ab hæreſi revera immunem, ac ſextam Synodum interpolatam fuiſſe, ſic pergit: *Quòd ſi aliquis non poſſit adduci ut credat corruptam eſſe ſextam Synodum, is accipiat alteram ſolutionem quæ eſt Joannis à Turrecremata Lib. 2. de Eccleſia cap. 93. qui docet, Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſa informatione, ac proinde in eo judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto. Itaque tutò dicere poſſumus, hos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii Epiſtolis, immeritò cum hæreticis connumeraſſe Honorium*. Igitur, teſte Bellarmino, Patres VI. Concilii non benè intellexerunt ſenſum Epiſtolarum Honorii, atque errore facti eum damnarunt, velut reum erroris Monothelitarum.

Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 681. poſtquam etiam multùm deſudavit ut oſtendat reipſa damnatum non fuiſſe à VI. Synodo Honorium, eò tandem recidit, etiam ſi damnatus fuiſſet, poſſit tamen non immeritò ab hæreſi purgari, vel ex ipſo ſuperſtitis Epiſtolæ ipſius ad Sergium examine. Atque ſtatim ſibi proponit ſic objicientem aliquem n. 34. *Si verè aſſentimur ita de Honorio eſſe decretum à ſancta Oecumenica Synodo; haud fas erit in controverſiam rem deducere, & aliter quàm ſtatutum eſt à Synodo velle decernere*. Huic verò objectioni ibidem ſic reſpondet: *Id ipſum dixerim in iis quæ ad fidem ſpectant, ut planè religio ſit vel latum unguem ab iis quæ in ſancta Synodo ſunt ſtatuta recedere; at in iis quæ ad perſonas pertinent & ſcripta ipſarum, non ita rigidè reperitur cuſtodita cenſura. Nam patens exemplum eſt de V. Synodo, quæ tria Capitula condemnavit, de quibus a ſacroſancto Concilio Chalcedonenſi videri poterat aliter actum, nempe de Theodoro, Theodoreto, & Iba. In his enim quæ facti ſunt, unumquemque contingere poſſe falli nemini dubium eſt; & tunc illud Pauli ad Corinthios uſurpari poſſit, Non enim poſſumus ali-*

T. 8. p. 555. B.

aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate. Apertiora ſunt hæc doctiſſimi Cardinalis verba, quàm ut ulla indigeant explicatione: exemplum enim V. Concilii quod affert, in quo de uno Librorum ſenſu actum fuit, urgere maximè videtur.

Cardinalis Pallavicinus Hiſt. Conc. Trid. Lib. 7. cap. 14. expreſsè affirmat T. 1. p. 697. nullum eſſe interpretem Canonum, qui neget poſſe errare S. Pontificem in rebus quæ vel ad rem geſtam, vel ad jus humanum pertinent. Et Lib. 11. cap. 18. ait, controverſiam de ſenſu trium Capitulorum de quibus diſputatum T. 2. p. 263. fuit in V. Concilio, non pertinuiſſe ad infallibilem auctoritatem Eccleſiæ, neque de fide eſſe. Superfluum eſt alios appellare; conſtans enim eſt Theologorum ſententia, Eccleſiam in facti quæſtionibus falli & fallere poſſe.

Reſp. 1. falsò novitatis incuſari ſententiam, cujus tot extant apud vetera Concilia, SS. Patres, ac Summos Pontifices illuſtria argumenta, quæ ſuperiùs à nobis expoſita ſunt. Quòd ſi plures è Schola Theologi quæſtionem hanc aut nullatenus, aut rarò & curſim tantùm in Scriptis ſuis attigerunt, inde factum eſt, quòd nemini venerit in mentem, eam in dubium & controverſiam adducere, ne ipſo quidem V. Concilii tempore, quo opportuna maximè & quaſi è re nata dabatur de illa diſputandi occaſio. Nimirum religioni duxiſſent Veteres, de re certa & apud omnes conſtanti dubium movere. Cùm verò noſtris temporibus excitata primùm & in controverſiam adducta fuit à diſcipulis Janſenii, huic contigit quæſtioni, quod aliis non paucis doctrinæ Chriſtianæ capitibus, quæ pro data occaſione ſucceſſu temporis explicatiùs evoluta fuere & accuratiùs pertractata.

Reſp. 2. Theologos, qui nobis hìc objiciuntur, docere quidem communi ſuffragio Eccleſiam falli poſſe in factis particularibus ſeu purè perſonalibus, de quibus dumtaxat illi loquuntur, non verò in factis dogmaticis quæ cum dogmate connexa ſunt, ſeu in ipſo Librorum ſenſu dignoſcendo. Pauci quippe ſunt inter veteres Theologos, qui quæſtionem infallibilitatis Eccleſiæ circa ejuſmodi facta doctrinalia expenderint & propoſuerint, circa quam diſcordes non eſſe Orthodoxos intelligebant. Quàm latum verò diſcrimen ſit, inter factum merè perſonale, & doctrinale, ac Judicium Eccleſiæ de illis, ignorat nemo. Factum perſonale ſpectat ſingularis perſonæ ſtatum, conditionem, crimen, vel innocentiam, vel internam ſententiam; quorum certè cognitio & probatio tota pendet ex teſtimoniis hominum planè incertis & errori obnoxiis; ex quo conſequens eſt ut Eccleſiæ Judicium tam labili & incerto fundamento ſubnixum, incertum quoque ſit & obnoxium errori: factum verò doctrinale ſpectat ipſam doctrinam in Libris expreſſam. Cùm ergo Eccleſia ſit à Chriſto inſtituta Judex doctrinæ, neceſſe prorſus eſt, ut de illa prout in Libris continetur, judicium ferat: quod certè judicium non pendet ex relatione & teſtimoniis hominum, ſed ex comparatione quam Eccleſia per ſeſe inſtituit doctrinæ alicujus Libri cum immotis fidei noſtræ regulis, Scriptura ſcilicet ac Traditione; unde fit, Deo ita providente, ut nec falli, nec fallere poſſit.

Omnes autem ad unum excute Theologos, quos tanto faſtu congerunt adverſarii ut evincant in factis errare poſſe Eccleſiam, omnes, inquam, ad unum excute, & certò certiùs intelliges, ex unica quam adducunt ratione, eos de factis dumtaxat perſonalibus locutos fuiſſe: non enim aliud fallibilis

Digitized by Google

Judicii Eccleſiæ fundamentum aſſignant, quàm quòd pendeat ex relatione ſeu teſtimoniis hominum qui falli poſſunt & fallere. Ita

S. Thomas citatus, qui facta illa perſonalia clarè deſignat. *Cùm*, inquit, *agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de hujuſmodi rebus, poſſibile eſt judicium Eccleſię erare propter falſos teſtes.*

Gerſon in priori loco agit de tempore ſchiſmatis, quo dubium & controverſia erat quis eſſet legitimus Pontifex: quæ certè quæſtio tota erat perſonalis. *Ea*, inquit, *quę diſſenſionem afferunt in præſenti ſchiſmate, ſunt talia quæ in facto maximè conſiſtunt, in quibus errare ſine periculo ſalutis poteſt, non ſolùm iſte vel ille, ſed etiam in talibus Eccleſia fallere dicitur, & falli: ſicut dum multo tempore fœminam pro Papa coluit.* In altero etiam loco agit de facto merè perſonali, ut conſtat exemplo quod ibidem adducit: *Exemplum ſit*, inquit, *ſi Sortes verè contrahat cum Bertha, non in facie Eccleſiæ, & poſtea attentet contrahere cum Thiberga in facie Eccleſiæ: ſi materia deferatur ad Concilium, judicabit Sortem debere manere cum ſecunda, & de facto errabit in illo facto, judicando Sortem eſſe virum Thibergæ. Sed iſtud eſt unum factum, & non unum jus.*

Bellarminus eandem cauſam fallibilis Judicii Eccleſiæ in factis adducit loco citato, *Ex falſa*, inquit, *informatione, ex falſis rumoribus*. Et eodem

T. 1. p. 311. C.

Lib. de R. Pontifice cap. 2. expreſſiùs adhuc ait, certum eſſe apud omnes, poſſe Concilium Oecumenicum *errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipuè pendent.*

Non alia quoque videtur eſſe Baronii ſententia, qui de facto perſonali Honorii dumtaxat loquitur.

Pallavicinus priori loco manifeſtè agit de illis factis, quæ ad rem geſtam, vel ad jus humanum pertinent, in quibus conceſſæ à SS. Pontificibus facultates frequenter irritas eſſe contingit, *ſubreptionis & obreptionis vitio*, inquit. In poſteriori verò loco, non agit de ſenſu trium Capitulorum, ſed de perſonis Theodori, Theodoreti & Ibæ; ac meritò pronuntiat cum S. Gregorio quem laudat, controverſiam illam de perſonis excitatam, an nempe damnari poſſent poſt mortem, vel illis appellatis Scripta eorum reprobari, neque ad fidem, neque ad auctoritatem infallibilem Eccleſiæ pertinuiſſe.

At, inquies, Bellarminus & Baronius non tantùm agunt de privata Honorii perſona, & interno ipſius ſenſu, de quo ſolus judex eſt Deus, ſed de ipſius Epiſtolis, quas à Patribus VI. Concilii *malè intellectas* fuiſſe, & errore facti immeritò damnatas contendunt.

Reſp. 1. Bellarminum & Baronium totos in eo præſertim intentos fuiſſe, ut Honorii perſonam à labe hæreſeos purgarent, cujus Epiſtolam ad Sergium expenderunt illi, magis habita ratione conſilii & perſonalis ſeu interioris ſenſus Honorii, quàm verborum, quibus illa concepta erat, ad quæ certè ſola ſi attendiſſent, non minùs eam damnaſſent, quàm Epiſtolam Sergii, cui in omnibus conſentire videtur dicta Honorii Epiſtola. Igitur malè

Tom. 6. Conc. p. 917. & & 928.

intellectas à VI. Concilio Honorii Epiſtolas ait Bellarminus, habita ratione unius perſonalis & interioris Honorii ſententiæ, in quo genere facti Eccleſiam falli poſſe non diffitemur.

Reſp. 2. errorem facti in cauſa Honorii à Bellarmino non refundi in totam Eccleſiam ſeu in VI. Concilium, Græcæ pariter & Latinæ Eccleſiæ conſenſu

ſenſu & approbatione firmatum, ſed in ſolos Græcos, qui Epiſtolam Honorii non ſatis intellexerunt, ad quos cùm in ea parte Latinorum conſenſus non acceſſerit, error ille Græcorum dumtaxat fuit, non totius Eccleſiæ. Hanc eſſe Bellarmini mentem patet, tùm ex teſtimonio, quod laudat, Cardinalis à Turrecremata ex Lib. 2. de Eccleſia cap. 93. ubi certum eſt eum rejicere in ſolos Orientales errorem facti qui in damnatione Honorii contigit; tùm ex verbis ipſis Bellarmini. Citato enim in loco ſibi hanc proponit objectionem. *Dices: Ergone tu meliùs Honorii Epiſtolas intelligis, quàm intellexerint tot Patres?* To. 1. p. 325. E. *Reſpondeo*, inquit, *non quidem à me, ſed à Joanne IV. Martino I. Agathone & Nicolao I. SS. Pontificibus, & à toto Concilio Romano ſub Martino congregato, eas Epiſtolas meliùs eſſe intellectas quàm à Græcis in Concilio VI.* Ibid. F. Rurſus inſtantiam ſibi proponit: *Cur ergo, inquies, Legati Agathonis non reclamarunt, cùm Honorius damnaretur? Reſpondeo, id factum eſſe ad evitandum majus malum. Verebantur enim Legati, ſi reclamarent, ne impediretur definitio rectæ fidei, & non poſſet tolli ſchiſma quod annis ſexaginta jam duraverat*. Supponit igitur Bellarminus, ſolos Geæcos ita de Honorio judicaſſe; neque eorum ſententiam à Latinis ratam & confirmatam fuiſſe, quamquam pacis & œconomiæ cauſa Legati S. Pontificis noluerint reclamare. Neque obſtat quòd in ſubſequentibus Conciliis Honorius recenſeatur inter hæreticos à VI. Synodo proſcriptos: non enim hic quærimus an revera damnatus & quidem legitimè fuerit Honorius à VI. Synodo, ſed quid ſentiat ea de re Bellarminus, qui negat 1. eum revera damnatum. 2. ſuppoſito quòd damnatus ſit, à ſolis Græcis, errore facti ſenſum Epiſtolarum Honorii non ſatis aſſecutis, damnatum fuiſſe contendit. Subſequentia verò Concilia rem iſtam non expenderunt, ſed talem ſuppoſuerunt, qualem eam in Actis VI. Concilii legebant, ſive fuerint illa ſincera, ſive interpolata; ſive reipſa damnatus fuerit Honorius, ſive non, in quo facti hiſtorici genere certum eſt falli poſſe Eccleſiam. Hanc defendendi Honorii rationem ante Bellarminum adduxerant, Anaſtaſius Bibliothecarius, Cardinalis à Turrecremata &c. Eandem amplexus eſt alter Honorii Apologiſta Franciſcus Marcheſius Oratorianus, in Libro Romæ excuſo an. 1680. cui titulus, *Clypeus fortium, ſeu vindiciæ Honorii Papæ*, Diſſertatione 4. cap. 2.

Reſp. 3. Bellarminum & Baronium adductam in Objectione in gratiam Honori reſponſionem non tam ex ſua, quàm aliorum ſententia protuliſſe obiter ac perfunctoriè, non ut in ea vim facerent ac pedem certò figerent, ſed ne quidquam ommiſiſſe viderentur ad defenſionem Honorii, quod dictum ab aliquibus non fuiſſet. Hoc innuit ipſa eorum loquendi ratio: *Quòd ſi quis*, inquit Bellarminus, *non poſſit adduci ut credat corruptam eſſe ſextam Synodum, is accipiat alteram ſolutionem quæ eſt Joannis à Turrecremata*. Baronius ſimiliter loco citato n. 35. *Iſta dixerimus*, inquit, *ut quaquaverſum oſtenderemus Honorium omni ex parte ab hæreſis vindicatam errore. Cùm tamen*, pergit ille, *nunquam prorſus rem talem Synodo maximè indignam, tot refragantibus teſtimoniis eidem adſcripſerimus, ut tam properè, atque præpoſterè, tamque inconſultè ac demum injuſtè facta ab ea fuerit condemnatio R. Pontificis*. Reſponſio igitur hæc non tam probata, quàm injecta ab illis videri debet. To. 8. p. 555. C.

Quæ autem ſit genuina Bellarmini ſententia circa auctoritatem Eccleſiæ, ex locis inter probationes citatis cognoſcere poteris. Quid etiam de

defen-

defenſoribus Origenis, poſtquam ab Eccleſia damnatus fuit, ſentiat Baronius colliges ex iis quæ ſcripſit ad annum Chriſti 256. n. 40. tum cùm nondum abripiebatur ſtudio *quaquaverſum* defendendi Honorium, quò uſque videtur abreptus, ut, loco in Objectione citato, præcipiti nec ſatis cauto calamo ſcripſerit, *quintam Synodum tria Capitula damnaſſe, de quibus à Chalcedonenſi Concilio videri poterat aliter actum*; quibus certè verbis, utramque inter ſe committit Synodum & Eccleſiam Eccleſiæ opponit, atque incogitanter ſchiſmaticis trium Capitulorum defenſoribus arma ſubminiſtrat, Canoneſque Synodi V. inutiles reddit.

Reſp. denique, tantam non eſſe Bellarmini, Baronii & aliorum nonnullorum auctoritatem, ut ad eorum ſententiam accedere neceſſe ſit, ſi à vero illi receſſerunt. Nequidem adverſarii noſtri, qui Bellarmini & Baronii auctoritatem adeo ventitant & extollunt, vellent in aliis nonnullis capitibus eorum doctrinæ ſubſcribere; nec immeritò quidem: quare igitur Bellarminum & Baronium pariter nos non deſeremus in præſenti cauſa, ſi (quod non fatemur) veram illi deſeruiſſent doctrinam? Nihil exinde cauſæ noſtræ deperiret, tot firmis aliunde fundamentis ſubnixa eſt.

Inſtabis: Ex dictis, Eccleſia falli poteſt in quæſtionibus facti perſonalis: atqui noſſe quis ſit Libri ſenſus ab auctore intentus, eſt quæſtio facti perſonalis. Cùm igitur Alexander VII. damnavit V. Propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento, potuit in eo ſingulari & perſonali facto errare.

Reſp. diſtinguo min. Noſſe quis ſit Libri ſenſus in mente auctoris deliteſcens, eſt quæſtio facti perſonalis, concedo: quis ſit Libri ſenſus verbis in Libro expreſſus, nego. Eſt enim hæc quæſtio facti doctrinalis, in qua dijudicanda non ſenſibus, non hominum teſtimoniis, non conjecturis incertis, ſed ipſa Libri inſpectione, non ſine cœleſti lumine & aſſiſtentia, Eccleſia ducitur. Porrò de priori ſenſu certo & infallibili Judicio non pronuntiat Eccleſia; atque meritò dixit S. Auguſtinus Lib. de utilitate credendi capite 5. *Quibus argumentis mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare poſſim?* At de altero ſenſu, qui verbis exprimitur, & præſumitur vulgò eſſe ab auctore intentus, niſi fingas eum vel ignarum, vel malignum, de altero, inquam, ſenſu judicat Eccleſia firma & inconcuſſa ſententia. Neque alium ſenſum in famoſis quinque Janſenii Propoſitionibus damnavit Alexander VII. cùm dixit damnatas in ſenſu à *Janſenio intento*; id eſt, interprete Innocentio XII. in ſuo Brevi ad Epiſcopos Belgii dato die 6. Februarii an. 1694. *in ſenſu obvio quem ipſamet verba ipſa Propoſitionum præſeferunt*. Senſus quippe obvius præſumitur, ut dixi, eſſe ſenſus ab auctore intentus.

To. 8. p. 42. G.

Rec. des Bul. p. 318.

Inſtabis 2. Quare potius infallibilis eſt Eccleſia in factis doctrinalibus quàm perſonalibus?

Reſp. aliam non eſſe quærendam rationem, quàm & Dei voluntatem, & ipſam diverſam eorum factorum naturam. Facta enim doctrinalia non pendent ex teſtimoniis hominum, aliunde verò pertinet ad publicum Eccleſiæ totius bonum, non ita facta merè perſonalia.

Objicies 2. Sequitur ex noſtra ſententia, Eccleſiæ definitiones de factis ejuſmodi doctrinalibus pertinere ad fidem; adeoque fide divina credi debere, Janſenium v. g. perverſam in Libro ſuo tradidiſſe doctrinam: atqui iſtud planè abſurdum eſt, imò funditus evertit fidei noſtræ fundamentum. Certum quippe

quippe eſt illud ſolummodo pertinere ad fidem, quod eſt revelatum; nihilque eſſe revelatum, niſi quod in verbo Dei ſive ſcripto ſive tradito continetur: atqui facta ejuſmodi revelata non ſunt nec in Scriptura nec in Traditione, ut per ſe manifeſtum eſt.

Probatur ſequela majoris.

I. Quia vel ejuſmodi Eccleſiæ definitiones fundantur in revelatione divina, vel in auctoritate & fide ſimpliciter humana. Si prius; ergo certæ ſunt ipſa fidei certitudine, adeoque & de fide: ſi poſterius; ergo incertæ ſunt & errori obnoxiæ pro nativa conditione humanæ fidei, cui falſum ſubeſſe poteſt.

II. Quidquid intimo nexu ita conjunctum eſt cum jure ſeu dogmate ad fidem pertinente ut ab eo divelli non poſſit ſine damno fidei, haud dubiè pertinet ad fidem: atqui talis eſt, juxta noſtram ſententiam, definitio Eccleſiæ quæ jus & factum ſimul continet.

Ad hoc palmare adverſæ partis argumentum duplex eſt reſponſio.

Prima negat ſequelam majoris, & contendit ejuſmodi definitiones Eccleſię eſſe quidem objectum neceſſarii noſtri obſequii ac reverentiæ, non autem divinæ fidei; atque hic obſervat diſtinguendam eſſe revelationem, ab aſſiſtentia Spiritus ſancti; hæc enim facultatem, illa objectum ſpectat; in multis autem quæ ad fidem non pertinent, Eccleſiæ ſic adeſſe Spiritum ſanctum ope ſingulari ut aberrare non poſſit, inter probationes ſecundæ propoſitionis nonnullis exemplis oſtendimus. Quin hocce argumentum retorqueri poteſt contra noſtros adverſarios, & ab ipſis ſolvi perinde debet ac à nobis. Docent illi ſiquidem, Eccleſiam definiiſſe Catholicam de gratia doctrinam contineri in Libris S. Auguſtini contra Pelagianos & Semipelagianos. Quæro, Judicium illud Eccleſiæ eſt ne certum & infallibile, an incertum & errori obnoxium? Si prius; eſt ergo de fide. At, quæſo, ubi revelatum eſt S. Auguſtinum talem tradidiſſe doctrinam? Si poſterius; ergo nec certam fidem noſtram, nec obſequium mentis meretur; & Auguſtini ſententiam pro arbitrio deſerere poſſumus. An id concedent adverſarii? non puto.

Ad primam confirmationem, negatur pariter major propoſitio. Definitiones quippe illæ non fundantur aut in fide ſimpliciter divina, quarum objectum non eſt revelatum, aut etiam in fide ſimpliciter humana, quæ falli poteſt & fallere, ſed in fide Eccleſiaſtica omni humana majore, cujus firmitas & certitudo tota fluit à ſingulari Spiritus ſancti aſſiſtentia: eodem ferè modo quo præcepta Eccleſiaſtica nec ſimpliciter divina, nec ſimpliciter humana ſunt, ſed veluti media, quæ Eccleſiaſtica dicuntur, quibus Fidelis quilibet obtemperare tenetur, pronuntiante Chriſto, *Qui vos audit, me audit.* *Prima reſpōſio ad præcipuū argumentum.*

Ad ſecundam confirmationem, negatur etiam major. Poteſt enim aliquid quod non eſt de fide, ita conjungi cum altero ad fidem pertinente, ut ab illo, ſine periculo fidei, ſejungi non poſſit. V. g. Canones Concilii Trid. ad fidem pertinere certiſſimum eſt apud omnes Orthodoxos: iſtud tamen ita colligatur cum aliquo facto non revelato, nempe Concilium Tridentinum legitimè convocatum & celebratum fuiſſe, ut iſto ſublato, aliud ſubverti neceſſe ſit. Pariter vulgatam Scripturæ editionem eſſe verbum Dei certiſſimum eſt: ſupponit tamen aliquod factum non revelatum,

nempe

nempe illam Autographo ſacro conformem eſſe. Ergo pariter, etſi factum Janſenii ita ſit cum jure ſeu dogmate connexum, ut ab eo poſt Eccleſiæ definitionem ſejungi non poſſit, non tamen ad fidem eodem modo pertinet. Ratio eſt, quia diverſum eſt motivum quo dogmati & facto mens acquieſcit: dogmati quidem, propter divinam revelationem; facto autem, propter auctoritatem Eccleſiæ.

Quòd ſi urgeas, auctoritatem hanc Eccleſiæ vel divinam eſſe, vel ſimpliciter humanam: ſi divina; ergo fidem divinam & ſupernaturalem meretur, Deus enim ipſe eſt qui per Eccleſiam loquitur: ſi ſimpliciter humana; ergo incerta & fallibilis, cui mentis obſequium præbere non tenentur ii quibus in conſcientia perſuaſum eſt, in tali ſingulari facto v. g. Janſenii, erraſſe Eccleſiam.

Reſp. auctoritatem hanc hoc ſenſu divinam eſſe, quòd ſit à Chriſto Deo conceſſa, qui Eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt, nec permittit in rebus neceſſariis ad communem Fidelium ſalutem pertinentibus eam aberrare: ſed hoc ſenſu divina non eſt, quòd divinam & ſupernaturalem exigat fidem; quia objectum hujus definitionis, revelatum non eſt. Defectus igitur revelationis in cauſa eſt cur factum ab Eccleſia definitum, non ſit de fide; aſſiſtentia verò ſingularis Spiritus ſancti facit ut certa ſit, nec errori obnoxia Eccleſiæ definitio, ejuſque auctoritas ſit omni humana ſuperior.

Urgebis iterum: Aſſiſtentia Spiritus ſancti ſufficit ut res aliqua quamquam non revelata, divina & ſupernaturali fide credi debeat: v. g. revelatione ſingulari opus non fuit Apoſtolis, ut ea ſcriberent quæ propriis uſurpabant oculis, ſed una duntaxat directione & aſſiſtentia Spiritus ſancti; nihilominus tamen illa ad fidem pertinent, & fide divina credenda ſunt.

Reſp. ea myſteria v. g. Reſurrectionis Chriſti, Aſcenſionis in Cœlum &c. quæ Apoſtoli propriis viderunt oculis, aliunde verè revelata fuiſſe; atque credenda, non quidem propter teſtimonium oculorum & ſenſuum, ſed propter auctoritatem Dei revelantis.

Secunda Reſponſio ad præcipuum argumentũ. Secunda reſponſio ad præcipuum argumentum, fatetur definitiones Eccleſiæ circa Librorum ſenſum, mediatè ſaltem & indirectè pertinere ad fidem, ac conſequenter mediatè revelatas eſſe.

Duobus verò modis explicant revelationem illam mediatam. 1. illud omne dicunt mediatè revelatum, quod continetur in ea generali ac immediata revelatione, qua conſtat Chriſtum Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis nunquam defuturum; quomodo mediatè revelatum ajunt, Concilium v. g. Tridentinum legitimum & Oecumenicum fuiſſe, nec in decretis fidei errare potuiſſe. Pariter Benedictum XIII. qui clavum Eccleſiæ jam feliciter tenet, verum eſſe S. Petri ſucceſſorem. 2. Alii mediatam appellant revelationem eam quæ in alia immediata propiùs includitur, tanquam aut concluſio in principiis, aut proprietas in natura, aut pars in toto: ita mediatè revelatum dicunt, Chriſtum adorandum eſſe in Euchariſtia, quia realiter in ea præſens eſt: pariter duas eſſe in Chriſto voluntates & operationes, quia duplex in eo eſt natura impermixta & inconfuſa. Alterutro autem modo contendunt ii Theologi, mediatè ſaltem revelatum eſſe, doctrinam v. g. Janſenii, in ejus Libro contentam & expreſſam, erroneam eſſe; quæ mediata revelatio in iſta generali & immediata includitur, *Eccleſiam columnam eſſe ac firmamentum veritatis*, *adver-*

adverſus quam portæ inferi non prævalebunt: quæ conſequenter in dignoſcenda ac notanda Librorum doctrina aberrare nunquam poteſt: quo ſenſu ab Illuſtriſſimo Petro de Marca ſcitè dictum fuit, *facti definitionem pertinere ad partem dogmatis*. Laudant eam in rem S. Thomam 2. 2. q. 11. art. 2. ubi quærit, *utrum hæreſis ſit propriè circa ea quæ ſunt fidei*; duplicemque modum diſtinguit quo res aliqua pertinere ad fidem poteſt, directè ſcilicet ac principaliter, & indirectè ac ſecundariò. En verba S. Doctoris: *Non ad corruptionem fidei Chriſtianæ pertinet, ſi aliquis habeat aliquam falſam opinionem in his quæ non ſunt fidei, puta in Geometricalibus, vel in aliis hujuſmodi, quæ omnino ad fidem pertinere non poſſunt; ſed ſolùm quando aliquis habet falſam opinionem circa ea quæ ad fidem pertinent. Ad quam aliquid pertinet dupliciter: uno modo directè & principaliter, ſicut articuli fidei; alio modo, indirectè & ſecundariò, ſicut ea ex quibus negatis ſequitur corruptio alicujus articuli. Et circa utraque poteſt eſſe hæreſis, eo modo quo & fides*. Porrò, inquiunt, ex negata Eccleſiæ in factis dogmaticis, ſeu in Judicio circa ſenſum Librorum, inerrantia, ſequitur *corruptio alicujus articuli*, nempe Eccleſiam in dignoſcenda vera aut falſa doctrina falli poſſe aut fallere, ac Chriſtum omnibus diebus Eccleſiæ ſuæ non adeſſe, nec in iis quæ ad publicam Fidelium ſalutem neceſſaria ſunt, ſufficienter ipſi providiſſe.

Inſtabis: Illuſtriſſimus Perefixius Archiepiſcopus Pariſienſis in Mandato anni 1664. die 8. Junii dixit nonniſi per malitiam aut per inſcitiam affirmari poſſe, definitiones facti ad fidem pertinere.

Reſp. Illuſtriſſimi Archipræſulis mentem hanc dumtaxat fuiſſe, æqualem ſcilicet non deberi fidem definitioni facti, ac juris ſeu dogmatis; quaſi unum ſit utriuſque credendi motivum, & par in omnibus auctoritas: dogma ſiquidem creditur propter immediatam revelationem, factum propter auctoritatem Eccleſiæ; iſtud Eccleſiaſtica, illud divina fide. Exigere autem Illuſtriſſimum Archipræſulem obſequium mentis erga definitiones facti, declarant verba immediatè ſequentia in citato Mandato, quæ ab adverſariis omitti non debuiſſent: *Exigeant*, inquit ille gallicè, *ſeulement pour cet egard une foi humaine & Eccleſiaſtique, qui oblige à ſoumettre avec ſincerité ſon jugemet à celui des Superieurs legitimes*.

Objicies 3. S. Gregorius Magnus in Epiſtola ad Epiſcopos Hiberniæ (aut Hiberiæ) loquens de geſtis in V. Synodo ait, *nihil de fide convulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum, ſed de quibuſdam ſolummodo perſonis eſſe actitatum*. Idem aſſerit Pelagius II. in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ: *Nihil nunc, inquit, aliud niſi de perſonis agitur*. Atqui tamen actum eſt de ſenſu Librorum Theodori, Theodoreti & Epiſtolæ Ibæ; ergo quæſtiones hujuſmodi nullatenus pertinent ad fidem.

Tom. 5. Conc. p. 615. A. Ibid. p. 618. A.

Reſp. meritò ſanctum Gregorium aſſeruiſſe nihil de fide convulſum eſſe à V. Syodo, quia illæſa manſit & integra auctoritas Concilii Chalcedonenſis, quam violari obtendebant defenſores trium Capitulorum. De perſonis autem ſolummodo hìc actitatum aſſeruit; non quòd nihil fuerit circa fidem pronuntiatum, ex Canonibus quippe Collatione 8. conditis contrarium manifeſtum eſt; ſed tùm quia nulla facta eſt de novo definitio fidei, ſed Nicæna, Epheſina & Chalcedonenſis renovata & confirmata; tùm quia, nulla nova hæreſis proſcripta; tùm quia præcipua quæſtio excitata fuerat de

perſo-

perſonis Theodori, Theodoreti & Ibæ, utrum ſcilicet perſonæ Theodori in pace Eccleſiæ defuncti, anathema poſt mortem dici poſſet; ac Scripta Theodoreti & Ibæ, eorum appellato nomine, damnari. Ratio dubitandi erat, quòd Theodoretus & Ibas anathema dixiſſent Neſtorio, & Sedibus ſuis cum honore reſtituti fuiſſent à Synodo Chalcedonenſi: hæc porrò controverſia perſonas magis & diſciplinam ſpectabat, quàm doctrinam: ad illam autem attendit maximè Summus Pontifex, cùm aſſeruit de perſonis ſolummodo in V. Synodo actum fuiſſe. Tùm denique quia de ſenſu ipſo trium Capitulorum, qui certè ad fidem aliqua ratione pertinet, nonniſi per reſpectum ad perſonas ſeu auctores eorum diſputatum fuit; utrum nempe appellatis auctorum nominibus damnari illa poſſent.

Objicies 4. Sola excepta fide, quidquid in Conciliis definitur poteſt retractari; ergo in ſola fide ſupremum eſt & infallibile Judicium Eccleſiæ.

Antecedens probatur ex ſancto Leone & Pelagio II.

Tom. 5. Conc. p. 630. D. S. Leo in Epiſtola ad Maximum Antiochenum Epiſcopum, de Synodo Chalcedonenſi & ſuis in ea Legatis ait: *Si quid ſanè ab his fratribus, quos ad ſanctam Synodum vice mea miſi, præter id quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apoſtolica Sede ſunt directi, ut exciſis hæreſibus Catholicæ eſſent fidei defenſores. Quidquid enim præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam adjudicandi habere rationem.*

Poſteriora hæc verba poſtquam retulit Pelagius II. in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ, ſic addit: *Apertè nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic* (in Synodo Chalcedonenſi) *extra fidei cauſas de perſonis geſtum eſt, retractetur. Specialis quippe Synodalium Conciliorum cauſa eſt fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, oſtenditur, quia nihil obſtat ſi ad judicium revocetur* .... Et paulò poſt de Epiſtola Ibæ ſic loquitur: *Quamvis ab eadem Epiſtola alienum ſe Ibas reſpondeat; quamvis quia approbata ſit, aut difficulter, aut nullatenus demonſtretur; licenter tamen unuſquiſque eam reprehenderet, etiamſi Epiſcopi in eodem Concilio reſidentes ſuis illam ſubſcriptionibus approbaſſent.* Audis, judice Pelagio II. Ibæ Epiſtolam, etſi probata fuiſſet à Synodo Chalcedonenſi, potuiſſe rurſus ad novum examen adduci, & altero Judicio reprobari.

Ibid. p. 631. B. — Ib. D.

Reſp. diſtinguo antecedens. Sola excepta fide, quidquid in Conciliis definitur, non accedente Eccleſiæ ac Romani Pontificis conſenſu & approbatione, poteſt retractari, concedo: accedente illo conſenſu & approbatione, ubi ſaltem de doctrina & ſenſu Librorum vel auctorum agitur; nego. S. Leo & Pelagius II. ſecundùm ſubjectam, de qua loquuntur, materiam, ajunt, exceptis ſolis cauſis fidei, quidquid in Concilio Chalcedonenſi actum fuit, poſſe retractari; quia nempe Sedes Apoſtolica ea tantùm approbaverat & approbandi licentiam conceſſerat Legatis, quæ fidem ſpectabant, non alia. Hoc expreſſè ſignificat S. Leo. Idem planè eſt Pelagii ſenſus, qui in citata Epiſtola plurima laudat S. Leonis teſtimonia, ut oſtendat Synodum Chalcedonenſem in una fidei cauſa fuiſſe ab illo Summo Pontifice confirmatam. Imò contendit poſt Actionem 6. in qua condita eſt fidei definitio, non amplius Oecumenicam fuiſſe Synodum; quod quidem demonſtrat, tùm teſtimoniis Epiſcoporum qui Concilio interfuerant; tùm ex pleriſque græcis antiquioribus Codicibus, in

quibus

quibus ſex tantùm Actiones cum adjunctis Canonibus referuntur. Inde eſt quòd Alipius Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia ſcribens ad Leonem Auguſtum, teſtatur ſe ea non legiſſe quæ in Synodo Chalcedonenſi particulariter expenſa ſunt & geſta de perſonis, quia ſcilicet Thalaſius tunc Epiſcopus nihil aliud ad Eccleſiam ſuam detulerat, præter Acta in cauſa fidei, & Canones. Inde etiam eſt, quòd S. Gregorius, qui nomine Pelagii II. cujus erat Apocriſiarius, ſcripſit Epiſtolam ad Epiſcopos Iſtriæ, teſtetur in ſua Epiſtola 33. aliàs 37. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum, nihil de perſonis actum eſſe in Concilio Chalcedonenſi; quia ſcilicet quod in eo de perſonis actum legitur, ad totum non pertinet Concilium: *Poſt expreſſos Canones*, inquit, *facta contentio & extrema Actio de perſonis ventilata eſt*. Idcirco igitur Pelagius II. affirmat Epiſtolam Ibæ potuiſſe ſecundo judicio expendi & damnari, quia ſi quod fuit de ea Chalcedone latum judicium, ad totam non pertinet Synodum, ſed ad privatos dumtaxat aliquos Epiſcopos: *Quia*, inquit in laudata Epiſtola, *poſtquam beato Leone ſcribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam ſi qua eſſe poterat eorum qui interfuerunt, in privatis negotiis auctoritas, evacuatur*. To. 2. p. 720. F. Tom. 5. Conc. p. 631. E.

Inſtabis 1. Idem Pelagius II. in altera ad eoſdem Iſtrienſes Epiſtola quæſtiones de tribus Capitulis excitatas ter *ſuperfluas* appellat, hoc eſt nullius momenti; & ipſe S. Gregorius in Epiſtola ad Conſtantium Mediolanenſem, ait, *pro nulla re ſciſſuram factam eſſe*. Ibid. p. 946. B. D. pag. 948. C.

Reſp. comparatè ad fidem, quæſtionem iſtam, *an mortuis dici poſſit anathema, & Libri damnari debeant, appellato nomine auctorum qui in pace Eccleſiæ obierant*, parvi eſſe momenti, nec propter hanc tot tumultus excitandos ac ſcindendam Eccleſiæ unitatem. De illa autem quæſtione magna erat, ut notum eſt, contentio. Superfluas etiam dicere potuit Pelagius II. quæſtiones illas, quia poſtquam definitæ ſunt communi Eccleſiæ Judicio, ſuperfluum eſt eas iterum agitare; nec diſputatio, ſed obſequium exigitur. Parvi quoque momenti ſunt quæſtiones hujuſmodi, ſi ſpectentur ſingulares perſonæ auctorum; parum etenim intereſt Eccleſiæ, noſſe quid hic & ille auctor ſentiat: at ſi ſpectetur auctoritas Eccleſiæ de ſenſu Librorum vel auctorum judicantis, maximi momenti illæ ſunt, & ad commune Fidelium bonum & Eccleſiæ regimen pertinent. To. 2. p. 683. A.

Inſtabis 2. Idem S. P. Pelagius in priori ad Iſtrienſes Epiſtola ait, Latinos non priùs conſenſiſſe in damnationem trium Capitulorum, quàm evidentem habuiſſent & compertam rei veritatem; ergo qui in quæſtionibus facti perſpectam non habent veritatem, ad obſequium mentis compelli non poſſunt.

Reſp. nego conſeq. Privatus enim quilibet debet ſuum judicium ſubjicere publico Eccleſiæ Judicio, nec unquam licet quocunque prætextu ei reluctari. De privatis autem non loquitur Pelagius II. ſed de integra latina Eccleſia, quæ ipſo præeunte Vigilio Summo Pontifice, damnationi trium Capitulorum obſtiterat; at tandem cognita veritate, poſtquam res illa communi jurriuſque Eccleſiæ conſenſu terminata fuit, nulli licet amplius diſſentire. Non indoctis & imperitis, qui hujus examinis planè ſunt incapaces: *In Eccleſia enim Catholica*, ait S. Auguſtinus contra Epiſtolam Manichæi cap. 4. *turbam non intelli-* To. 8. p. 153. B.

gendi

gendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit. Non etiam doctis, To.9.p. 99.A. *Quibus*, ait idem ſanctus Doctor Lib. 2. de Baptiſmo cap. 5. *minùs aliquid idcirco plerumque revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem, cùm in rebus obſcurioribus diverſa ſentiunt; vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt.*

Deinde verò, cùm ea potiſſimùm ratio Latinos à damnatione trium Capitulorum deterreret, quòd exiſtimarent à Synodo Chalcedonenſi approbata illa fuiſſe: neceſſe fuit, ipſos hujuſce facti falſitatem priùs exploratam habuiſſe, quàm quintum reciperent Concilium, & damnationi trium Capitulorum conſentirent. Neque verò vitio ipſis verti debet, quòd paulò ſeriùs vim græci ſermonis ignari, ut loquitur Pelagius II. in citata Epiſtola, cognoverint reipſa Synodum Chalcedonenſem non approbaſſe tria Capitula: quod ubi compertum habuerunt, firmiter V. Concilio adhæſerunt, ac tria damnaverunt Capitula.

Objicies 5. Sunt inter noſtros Theologos, quorum in animo & Scriptis multùm decreſcit quintæ Synodi auctoritas, non alia de cauſa, quàm quòd ſub pœna anathematis compulerit Fideles ut ſuo de tribus Capitulis ſubſcriberent Judicio; quod certè in quæſtionibus facti nimis durum & inſolens videtur.

Quin nequidem apud Veteres tanto in loco videtur fuiſſe iſta Synodus.

I. Quia S. Gregorius conſenſit ut de ea nulla fieret mentio. Quippe cùm intellexiſſet Theodelindam Longobardorum Reginam Litteris ſuis in quibus V. Synodi honorificè meminerat, offendi poſſe, & ea de cauſa Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem Litteras illas ſuæ Majeſtati non reddidiſſe, laudavit Summus Pontifex Epiſcopi prudentiam, & alias ad eandem Reginam dedit Litteras, in quibus planè ſilet de V. Synodo.

II. Hiſpani, Gallicani & alii plerique Præſules, etſi quintæ Synodi Decretis non ſubſcripſiſſent, communione tamen Catholica fruebantur. Latum igitur ab illa Synodo anathema, vel ſolos ſpectabat Neſtorianos hæreticos, vel nullam vim habuit.

III. Theodorus Africanus Epiſcopus trium Capitulorum acerrimus defenſor, & eamob cauſam à Juſtiniano Imperatore in exilium miſſus, cùm anno 565. Conſtantinopoli extremum diem obiiſſet, annis poſt quintam Synodum duodecim, honorificè ſepultus eſt in Eccleſia, juxta ſanctos Confeſſores quibus linguæ abſciſſæ fuerant mandato Henrici Vandalorum Regis, teſte Victore Tunonenſi in Chronico.

Addunt hic aliqui, ſanctum Gregorium expreſsè affirmare, in V. Synodo *de perſonis dumtaxat actum fuiſſe*: at veriſimile non videtur, voluiſſe Synodum pœnam anathematis iis infligere, qui in cauſis ejuſmodi privatis & perſonalibus à ſententia ſua receſſiſſent; ergo anathema illud à V. Synodo pronuntiatum ſolos ferit hæreticos Neſtorianos, non verò Catholicos trium Capitulorum defenſores.

Reſp. noſtro quidem judicio gravi cenſura notandos eſſe qui Synodi V. auctoritati nonnihil detrahunt contra publicam & ſolemnem Eccleſiæ totius approbationem. Nullus etenim inficias ibit, Synodum hanc approbatam & confirmatam fuiſſe à Vigilio, Joanne III. Benedicto I. Pelagio I. & II.

II. S. Gregorio, Martino I. & aliis ſubſequentibus Summis Pontificibus, qui, ut & alii omnes Epiſcopi, die inaugurationis ſuæ publicè profitebantur ſe quintam Synodum cum aliis pariter admittere. Ita legere eſt in citato antea Diurno SS. Pontificum. Confirmata pariter fuit à VI. VII. & VIII. Conciliis. Igitur temeritatis eſt non ferendæ, ne quid amplius dicam, hujus Synodi auctoritatem velle deprimere.

Ad primum itaque reſpondeo, ſanctum Gregorium prudenti omninò œconomia ſiluiſſe de V. Synodo in ſuis ad Reginam Theodelindam Epiſtolis, ne ſcilicet ejus exaſperaret animum quem noverat huic Synodo infenſum. Cùm enim tunc temporis omnium Eccleſiarum conſenſu acceptatum non eſſet & probatum iſtud Concilium, ejuſque auctoritas, an legitima foret, in controverſiam adduceretur, prudenter omninò hanc ſuadere priùs, quàm imperare aggreſſus eſt S. Pontifex. At ubi plenè confirmata fuit, & à majori Eccleſiarum parte pro legitima recepta, neminem ad pacem Eccleſiæ admiſit ſanctus Gregorius, niſi conteſtatus fuiſſet ſe V. illam Synodum admittere & venerari, atque tria Capitula damnaſſet. Ita colligere eſt ex teſtimoniis quæ ſuprà ad ſeptimum exemplum adducimus.

Ad ſecundum: eadem prudenti diſpenſatione uſa eſt Eccleſia, ad evitandum ſchiſmatis periculum; atque latum à V. Synodo anathema veluti ſuſpendit, donec animis paulò ſedatioribus ſuaderi veritas poſſet, & pax reſtitui. Sæpius tali œconomia & diſpenſatione Eccleſiam uſam eſſe, pluribus exemplis oſtendit Illuſtriſſimus Petrus de Marca L. 3. de Concordia cap. 14. atque optima certè eſt, quam hìc tradidit, œconomiæ hujus regula S. Auguſtinus Lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. ubi ait, tunc quemque percellendum anathemate, *cùm periculum ſchiſmatis nullum eſt*: item, *quando cujuſque crimen ita notum eſt omnibus, & omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores per quos poſſit ſchiſma contingere*. Rurſus Epiſtola 22. aliàs 64. *Non apertè*, inquit, *non duriter*, *non modo imperioſo iſta tolluntur: magis docendo quàm jubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine; ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum.* To. 9. p. 61. A. Ib. B. C To. 2. p. 28. F.

Ad tertium eadem eſt reſponſio. Theodorus enim ille, quamvis in defenſione trium Capitulorum pertinax, non tamen in ſchiſmate obiit. Eccleſia igitur eum tolerare ex certa œconomia potuit, ſperans eum, ſicut & alios, hac patientia tandem inflectendos & ad communem ſententiam adducendos.

Ad ultimum patet reſponſio ex dictis ad tertiam Objectionem.

Objicies 6. Firmum & ab omni errore tutum non cenſetur illud judicium, quod ipſa Eccleſia aliquando revocat & ab aliis retractari permittit: atqui ſuum de verbis, de propoſitionibus, de Libris ac perſonis judicium aliquando revocavit Eccleſia, & ab aliis permittit retractari; ergo &c.

Minor exemplis aliquot probatur.

I. Concilium Antiochenum vocem iſtam ὁμόιον rejecit & damnavit, quam tamen poſtea Nicæna Synodus conſecravit. Vox, *hypoſtaſis*, pro natura ſignificanda olim obtinuit; poſteà tamen ad ſolam perſonam tranſlata eſt. Pariter Beata Virgo *Chriſtipara* dicebatur ante Concilium Epheſinum; at poſtea ſuſpecti fuere erroris Neſtorii, qui Chriſtiparam, non Deiparam eam dixere.

II. Propoſitio hæc, *Una eſt in Chriſto natura incarnata*, fuit in S.Cyrillo approbata, in Eutychianis verò rejecta. Iſta ſimiliter, *Unus de Trinitate paſſus*, damnata eſt ab Hormiſda Summo Pontifice in Monachis Scythiæ; à Joanne verò II. & à V.Synodo probata fuit.

III. Liber quidam Cęleſtii in Concilio Chartaginenſi rejectus, Zozymo tamen Summo Pontifici orthodoxus viſus eſt. Pariter Epiſtola Ibæ damnata in
Tom.4. Conc.p. 676.E. V.Synodo, à Concilio Chalcedonenſi probata fuerat, ſicut colligitur ex Actione 10. ubi cauſa Ibæ expenſa fuit. *Relata ejus Epiſtola*, ajunt Legati Summi Pontificis, & cum illis Patres cæteri, *agnovimus eum eſſe orthodoxum*.

IV. Denique, ſuum de perſonis & earum Scriptis Judicium retractari à viris orthodoxis permittit Eccleſia. Inter multa hæc ſint illuſtriora exempla.

Origenes ſæpius ab Eccleſia cum ſua doctrina damnatus defenſores habuit quàm plures, non tantùm inter antiquos, SS. Gregorium Thaumaturgum, Athanaſium, Gregorium Nazianzenum & Baſilium; ſed inter recentiores, Picum Mirandulanum, Jacobum Merlinum Theologum Pariſienſem, Sixtum Senenſem, Genebrardum, Haloixium, Pinetum, ipſummet, ut plurimùm, Illuſtriſſimum Huetium.

Theodoretus & Ibas damnati ſunt à V. Concilio: atqui tamen Theodoreti fidem à Neſtoriano errore purgant Sirmundus in ejus vita, & Petavius Lib.6. de Incarnatione cap.17. ubi etiam laudat Agobardum. Quin idem Petavius Lib. 1. de pœnitentia publica cap.2. ait, Eccleſiam errore facti ac dolo circumventam, approbaſſe Librum Marcelli Ancyrani, in quo errores ſubinde deprehendit & damnavit. Ibæ verò Epiſtolam in ſenſum Catholicum adduci poſſe contendit Chriſtianus Lupus Doctor Lovanienſis, ſuis in Canones quinti Concilii notis cap.4.

Honorii Summi Pontificis à Synodo VI. damnati defenſionem ſuſcepere poſt Bellarminum & Baronium omnes ferè Scholæ Theologi.

Gilbertus Porretanus Pictavienſis Epiſcopus, & Petrus Abaelardus à quibuſdam Gallicanis Conciliis, urgente S.Bernardo, damnati ſunt; quotidie tamen ab errore vendicantur.

Denique Synodus Lateranenſis IV. expendit Libellum Joachimi Abbatis contra Magiſtrum Sententiarum, & unam ipſius de Trinitate popoſitionem hæreticam eſſe pronuntiavit: atqui tamen Gregorius de Laude ſive de Lauro apologiam pro eo ſcripſit, non improbante Romana Inquiſitione.

Reſp. nego minorem.

Ad primum & ſecundum, dico Eccleſiam vocabulum aliquod, vel propoſitionem æquivocam damnare, vel approbare pro diverſo ipſius ſenſu, & intentione auctoris, ad quam maximè attendit, cùm propoſitio catholicum vel erroneum ſenſum pati poteſt; atque firmum & conſtans ſemper fuit ejus Judicium de ſenſu vocabuli vel propoſitionis reſpectivè ad auctoris mentem conſiderato. Ita ſenſum vocis hujus ὁμώιων, quem fingebat Paulus Samoſatenus, meritò Concilium Antiochenum reprobavit: ſenſum verò ejuſdem orthodoxum meritò probavit Nicæna Synodus contra Arianos: neque eo in Judicio ſententiam mutavit Eccleſia, quæ conſtanter rejecit ſenſum hæreticum, & probavit orthodoxum. Iſta quoque vox, *Chriſtotocos*, ſenſu Neſtorii negantis unionem hypoſtaticam, jure fuit à Concilio Epheſino improbata;

bata; at ſenſu Catholico intellecta, omni excluſa ſuſpicione erroris Neſtoriani, meritò probatur. Significatio verò hujus vocis, *hypoſtaſis*, ex uſu & praxi Eccleſiæ jam diuturna, ad perſonam exprimendam uſurpatur.

Idem dicendum de adductis propoſitionibus, quæ cùm ſint æquivocæ, pro vario proferentium ſenſu, mox probatæ, mox rejectæ fuerunt. Catholico planè ſenſu dixit S. Cyrillus, *unam eſſe naturam Chriſti incarnatam*; ſola quippè divinitas carnem aſſumpſit: at in Eutychianis ea ſancti Doctoris ſententia abutentibus, ut confuſionem naturarum in Chriſto probarent, meritò proſcripta fuit. Propoſitionem verò iſtam, *unus de Trinitate paſſus*, quam privato ſuo judicio tanquam orthodoxam & ab omnibus tenendam perfractè contendebant Scythiæ Monachi, nuſquam publico Decreto tanquam erroneam notavit S.P. Hormiſdas; ſed eorum dumtaxat Monachorum impetum repreſſit, qui velut Neſtoriani erroris reos traducebant, quotquot recuſabant huic propoſitioni, inter Latinos peregrinæ, aſſentiri. Inde eſt quòd Joannes II. ubi intellexit à Græcis ſenſu Catholico propoſitionem uſurpari, eam ſuo calculo probaverit. Lege eam in rem eruditam Diſſertationem Eminentiſſimi Cardinalis Noriſii.

Ad tertium, dico 1. nos hic agere de Judicio totius Eccleſiæ, aut SS. Pontificum quibus Eccleſiæ totius conſenſus accedit: Judicium verò Zozimi de Libello Cæleſtii quem putavit orthodoxum, totius Eccleſiæ approbatione confirmatum non fuit, imò potiùs infirmatum. Dico 2. deceptum fuiſſe Summum Pontificem artibus & dolis Cæleſtii: tùm quia Libellum ſuum ſic compegerat, ut videretur Catholicum ſenſum præſeferre; tùm quia profitebatur in eo doloſus ille, ſe velle edoceri, quod, ait ſanctus Auguſtinus Lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. *Catholicæ mentis eſt*. *T. 10 p. 434. B.* Tùm quia conteſtabatur ſe damnare quæcunque damnaverat Innocentius I. Sic verſipellis ille impoſuit S. Pontifici, & ab eo extorſit commendatitias ad Africanos Epiſcopos Epiſtolas; qui tamen, ubi reſcivit Romam veniſſe *Ibid. D.* illorum Africanorum Litteras, *ſe ſubſtraxit, & negavit examini*, ait ibid. S. Auguſtinus.

Quod verò ſpectat Epiſtolam Ibæ, planè negamus eam unquam à Synodo Chalcedonenſi fuiſſe approbatam. E ducentis quippè & amplius Epiſcopis quibus illa conſtabat Synodus, ſolus Maximus Antiochenus illam orthodoxam eſſe pronuntiavit. At rectè obſervant Patres V. Concilii Collatione *Tom. 5.* 6. *in Conciliis non unius aut alterius interlocutionem attendi debere, ſed quæ ab* *Conc. p.* *omnibus vel à majori parte definiantur*. Unde Collatione 8. iidem Patres *515. D.* negant Epiſtolam Ibæ Judicio totius Concilii approbatam fuiſſe; & qui contrarium volunt, ajunt illi, *non favore ſancti Concilii hoc faciunt, ſed* *Ibid. p.* *ut per ejus nomen ſuam impietatem confirment*. Et verò Legati Summi Pon- *566. E.* tificis, cùm ſententiam pronuntiant, (quod rectè hìc obſervandum) ajunt quidem relectam Ibæ Epiſtolam, & Ibam eſſe Orthodoxum, ſed Epiſtolam ipſam orthodoxam & probatam eſſe non ajunt; quæ duo valdè diverſa ſunt & diſtinguenda. Impia quidem eſt & hæretica Judicio V. Concilii Epiſtola, ſed Ibas Orthodoxus eſt declaratus; tùm quia dixit anathema Neſtorio & Eutychi; tùm quia Epiſtolæ S. Leonis ad Flavianum ſubſcripſit; tùm *Baluz.* denique quia, teſte Vigilio Summo Pontifice in ſuo Conſtituto pro damna- *p. 1554.* tione trium Capitulorum, apud Baluſium in nova Conciliorum Collectione, *& 1555*

Digitized by Google

Ibas negavit ſæpius ſe unquam hanc ſcripſiſſe Epiſtolam ad Marim Perſam. Ita quoque ſignificat S. Gregorius Magnus in Epiſtola ad Secundinum 52. Lib. 9. Indict. 2. Unde Anatolius Actione 10. Concilii Chalcedonenſis ait : *Omnem in præſenti de eo* (Iba) *abjicio ſuſpicionem, quoniam conſentit & ſubſcribit ei quæ nunc de fide ſententia data eſt à ſancto Concilio, & Epiſtolæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Romæ Leonis.* Quamquam etſi conſtaret dictam Epiſtolam fuiſſe à Legatis cæteriſque Epiſcopis approbatam, meritò tamen à V. Concilio ſubinde potuit improbari; quia prius Judicium totius non fuit Eccleſiæ, nec Romani Pontificis conſenſu firmatum.

Tom. 4. Conc. p. 677. A.

Ad quartum, reſpondeo : Origenem potuiſſe, illæſa manente auctoritate Eccleſiæ, multis modis defendi.

I. Qui in Origene ingenii & eruditionis eximias dotes commendant, ac de erroribus ejuſdem ſilent, ſive quia eorum non poſtulabat inſtitutum, ſive quia de illis erroribus nihil tunc temporis pronuntiaverat Eccleſia, ii nullatenus infirmant auctoritatem Eccleſiæ in ſenſu Librorum dijudicando. Ita porrò citati Veteres, inter quos S. Athanaſius nonnulla fidei ſanctiſſimæ Trinitatis ſatis conſona laudare potuit ex Origene, tùm quia nondum fuerat erroris ea in re accuſatus; tùm quia vis veritatis ab illo extorſit plurimas loquendi rationes huic exponendo Myſterio ſatis idoneas, quas potuit S. Doctor adversùs Arianos uſurpare, ut oſtenderet novas illas non eſſe, nec primùm à ſe excogitatas.

II. Qui contenderunt aut vitiata fuiſſe Hæreticorum fraude Opera Origenis, aut eum ex propria mente, ſeu aſſertivè non ſemper locutum, ſed dubitanter & quaſi proponendo, ii propriè non impugnant Eccleſiæ Judicium circa ſenſum Librorum qui Origenis nomen præſeferunt, ſed negant errores illos ab Origene in Libris ſuis expreſſos, quos adultera manu intruſos fuiſſe volunt, quæ certè quæſtio eſt facti merè perſonalis. Ita porrò è Veteribus, Rufinus, Joannes Hieroſolymitanus; è recentioribus verò, Sixtus Senenſis, Genebrardus, & alii nonnulli.

III. Qui aliqua Origenis dicta, v. g. circa Trinitatem, in bonum ſenſum inflectere conantur, ut fecit olim Dydimus, ut tentant adhuc multi ex noſtris, ii pariter non lædunt Eccleſiæ auctoritatem; neque enim ullum extat publicum Eccleſiæ Judicium, quo damnata ſit Origenis circa myſterium Trinitatis doctrina; neque idcircò reprehenſus eſt Dydimus, quòd ejus defenſionem ea in parte ſuſcepiſſet, ſed quòd in alios ejus errores, ſicut & Rufinus, conſenſiſſet.

IV. Qui ab hæreſi quidem, non verò ab errore excuſant Origenem, nobis pariter non adverſantur : hæreticum enim facit pertinacia in errore ab Eccleſia proſcripto; at certum omninò non eſt ſic pertinacem fuiſſe Origenem.

V. Qui negant, aut in dubium ſaltem revocant, ab univerſa Eccleſia damnatam fuiſſe Origenis doctrinam, ii, quamquam in eo ſingulari facto hiſtorico negando fallantur, non elevant Eccleſiæ Judicium, quod negant ullum fuiſſe. Ita porrò Picus Mirandulanus, qui tamen in ſua Apologia declarat, ea in re, ſicut & in aliis, *ſe Eccleſiæ Judicium aliorum omnium judicio & rationibus ſemper anteponere.* Ita quoque Merlinus, Haloixius.

VI. Qui

VI. Qui Origenis Scripta errorem quidem præſeferre, & idcircò meritò proſcripta fatentur., ſed tamen Origenem alium in mente ſenſum & quidem orthodoxum habuiſſe, ex aliis ejuſdem Scriptis conjiciunt, ii de ſolo diſputant perſonali facto, in quo falli poſſe Eccleſiam non negamus. Aliquando enim contingit auctorem parum cautè & caſtigatè loqui, & tamen catholicè ſentire; cujus proinde propoſitiones aliquot malè ſonantes juſta cenſura notari poſſunt, dum ejus perſona ab errore vindicatur & cenſuræ ſubducitur.

VII. Denique: Ii tantùm Eccleſiæ auctoritati detrahunt, qui Origenem ejuſque Scripta ab omni prorſus errore vendicant; qui certè, judice Baronio antea citato, à temeritate excuſari non poſſunt. Ab illis autem longè abeſt Illuſtriſſimus Huetius, cujus iſtud eſt æquitatis & modeſtiæ judicium circa deſenſores Origenis, *Utrorumque*, inquit, *improbo rationem, tum qui apologiis ſuis omni labe purgare Origenem ſtudent, tum qui ejus nomen ab Eccleſia penitus deteſtantur*. *Origenianor. p. 185.*

Ad Sirmundum & Petavium Theodoreti vindices, *Oper. Theodoreti T. 10.*

Dico 1. Sirmundum planè non purgare fidem Theodoreti: in fine ſiquidem vitæ ipſius ait, *Unum eſſe perpetuò crimen Theodoreti, Cyrilli anathematiſmos reprehendiſſe*.

Petavius quoque Theodoretum ab omni labe non purgat, ſed adductos Agobardi Lugdunenſis teſtimonio, ait eum inter Neſtorium hæreticum, & Cyrillum Catholicum medium veluti fuiſſe; quod certè viro Catholico laudi verti non debet, ſed vitio. Nuſquam autem dixit Petavius, immeritò à V. Synodo proſcripta Theodoreti Scripta adversùs S. Cyrillum; imò multis in capitibus ea reprehendit. Libro verò de pœnitentia publica c. 2. hoc unum intendit, tanta ſcilicet arte Marcellum Ancyranum errorem ſuum diſſimulaſſe & occultaſſe in Libro ſuo, emiſſa palam & viva voce in ſpeciem Catholica fidei profeſſione, ut Romano & Sardicenſi Conciliis impoſuerit: præſertim cùm affirmaſſet, ſe non aſſertivè, ſed inquirendo tantùm & dubitanter multa propoſuiſſe, ac paratiſſimum ſe eſſe ad ea damnanda, ſi ita placeret Synodo. Quibus certè dolis illuſit ille quidem patribus, & cenſuram declinavit; ſed nihil inde poteſt meritò inferri contra auctoritatem Eccleſiæ in Librorum ſenſu notando: quippè cùm Libri alicujus auctor in vivis eſt, & viva voce catholicum in ſenſum inflectit, ſi quæ in eo duriora occurrerint, poteſt pro ſua prudentia Eccleſia, diſſimulare duriora hæc & incauta verba; atque ad unam auctoris declarationem attendens, ejus abſolvere Librum, quem poſteà, detecta fraude ac cognito perverſo auctoris conſilio, debita cenſura confixura eſſet.

Dico 2. Sirmundum & Petavium ſic poſſe exponi, ut de uno dumtaxat facto perſonali locuti ſint. Nempè volunt illi, perſonalem & internum Theodoreti ſenſum alienum fuiſſe ab errore Neſtorii, idque ex aliis ejuſdem teſtimoniis evincere conantur; quamquam errorem hunc nonnulla ejus verba non ſatis caſtigata, præſeferre videantur, quæ proinde à V. Synodo meritò proſcripta fuerunt.

Ad Chriſtianum Lupum, dico non tanti eſſe illius auctoritatem, ut ea moveamur. Rem ſanè perdifficilem tentaret, qui hunc auctorem conciliare ſecum vellet: aliquando enim (pag. 738. in V. Concilium) ait hujus Syno-

di ſummam eſſe auctoritatem; & pagina ſequenti, negat tantam eſſe ac aliorum Conciliorum; aliquando (pag.721.) ait, *Synodum hanc in multis claudicaſſe*; aliquando Epiſtolam Ibæ rectè damnatam aſſerere videtur; aliquando in bonum ſenſum adduci illam poſſe contendit; aliquando improbat eos omnes qui apologias ſcribunt pro Tertulliano, Origene, Lucifero Sardenſi, (pag.743.) & aliis quos damnavit Eccleſia; aliquando in quęſtionibus facti poſſe falli Eccleſiam declarat, (pag.725.)

Ad defenſores Honorii, ſunt qui reponunt eum, quamquam à Sexta Synodo damnatum, defendi poſſe illæſa Eccleſiæ auctoritate; quia nempè VI. Synodus neminem adegit ut Honorii damnationi ſubſcriberet. Verùm, pace eorum dixerim, nonne cenſetur Eccleſia ſubſcriptionem hanc poſtulaſſe, cùm à Summis Pontificibus & ſingulis Epiſcopis exigebat, ut qua die conſecrabantur, publicè profiterentur ſe recipere omnes generales Synodos, damnare omnes perſonas quas illæ damnaverant, abſolvere quas abſolverant? Præterea verò, etſi Eccleſia neminem adegiſſet ad ſubſcribendam ſuam de Honorio ſententiam, an idcircò præſumi debet permiſiſſe ſe erroris incuſari, atque ſuum à privatis infirmari Judicium? Non ita certè. Quomodo verò exponi poſſint Bellarminus & Baronius, antea diximus: cæteri vel loquuntur de ſenſu quem Honorius in mente habuit, & Catholicum fuiſſe arbitrantur, quamquam incautè locutum, & ideò meritò damnatam ejus Epiſtolam concedant; atque iſti in facto dumtaxat perſonali erraſſe Eccleſiam non diffitentur: vel exiſtimant non à toto Concilio, ſed à Græcis dumtaxat non benè intellectum ſenſum Epiſtolarum Honorii; adeoque errorem facti refundunt in Orientales & privatos Epiſcopos, non in Eccleſiam univerſam: quia ſcilicet qui Epiſtolam Honorii è latino ſermone in græcum tranſtulit, non ſatis aſſecutus ipſius ſenſum eum malè reddidit; quod Bellarmino locum dedit affirmandi, falſa informatione damnatum fuiſſe Honorium. Vel excuſant tantùm Honorium ab hæreſi, non à negligentia in errore tolerando & non reprimendo: vel denique ſi qui putant damnatas ab integra Eccleſia Honorii Epiſtolas & ejus perſonam, nihilominus Eccleſiam eo in facto erraſſe affirment, eos, ſi qui ſint, nobis adverſari fatemur, ſed deſerendos ac minimè ſequendos contendimus in re ad quam ſatis non attendiſſe videntur.

Ad defenſores Abaelardi & Gilberti Porretani, eadem eſt reſponſio. Unum tantùm hìc obſervo, eorum apologiſtas Berengarium Scholaſticum Pictavienſem, & Othonem Friſingenſem Epiſcopum, aliquando pœnituiſſe harum ſuarum apologiarum. Ita colligimus ex Radevico Canonico Friſingenſi, & ex Epiſtola Berengarii ad Epiſcopum Mimatenſem (inter Opera Abaelardi pag.320.) ubi ſic loquitur; *Proceſſu temporis meum ſapere crevit, & in ſententiam Abbatis* (S.Bernardi) *pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui eſſe patronus Capitulorum objectorum Abaelardo, quia etſi ſanum ſaperent, non ſanum ſonabant.*

Denique, Gregorius de Laude non negat rectè damnatam propoſitionem quæ dicebatur eſſe Joachimi Abbatis; ſed negat hanc illius eſſe, ſed à malevolis ejus Libro inſertam aſſerit: quæ ſanè quæſtio facti eſt merè ſingularis & perſonalis, de qua certò non pronuntiat Eccleſia, quæ de Libris judicat quales eſſe vulgò circumferuntur.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Secundi ordinis.

Objicies 1. Cùm Clemens IX. S. Pontifex anno 1669. ad pacem Eccleſiæ quatuor Epiſcopos admiſit, Andegavenſem ſcilicet, Bellovacenſem, Apamienſem & Aletenſem, qui in ſuis publicis Mandatis pro ſubſcriptione Formularii docuerant, ſufficere erga facta definita religioſum ſilentium, non eos compulit ut ſua illa revocarent Mandata, ſed hæc una fuit pacis conditio, ut de novo ſubſcriberent, & à ſuis ſubſcribi curarent formulę Alexandri VII. quod illi perfecerunt in ſuis Diœceſanis Conventibus. Porrò in ſecretis illis Actis Verbalibus adhuc diſtinguunt illi jus à facto, & huic ſolam reverentiam ſilentii, illi autem mentis obſequium deberi declarant. Igitur ſua priori non mutata ſententia, & ipſo quidem non ignorante S. Pontifice, ad pacem admiſſi fuere.

Confirmatur 1. Quia novemdecim Epiſcopi in gratiam illorum quatuor die 1. Decembris an. 1667. ſcripſerunt ad Clementem IX. Epiſtolam, qua ſignificant nihil eſſe in ſententia eorum reprehenſione dignum, ſeque idem cum illis ſentire. *Ita ſentire*, inquiunt, *ſi criminoſum exiſtimetur, non hoc proprium ipſorum, ſed omnium noſtrum, imò totius Eccleſiæ crimen fuerit.*

II. Epiſcopus Catalaunenſis in declaratione quam anno 1668. miſit ad Clementem IX. circa novam ſubſcriptionem quatuor Epiſcoporum, aperit quis fuerit illorum ſenſus ſuis in Verbalibus Actis Diœceſanæ Synodi. Summa hujus declarationis hæc erat, teſte Cardinali Roſpiglioſio cap. 162. ait ſuæ Relationis: *Quod ad Pontificiam de facto ſententiam pertineret, videri eam Epiſcopis cum reverentiâ excipiendam, ſed intra eos fines quos in ejuſmodi cauſis Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Palavicinus, & Patres Sirmundus & Petavius determinant, nimirum ne quid pronuntietur, ſcribatur, doceatur ut ipſi contrarium. De formula verò, eos profiteri ſinceritate & fide quæ eſſe maxima poſſet, ei ſubſcripſiſſe, & quinque Propoſitiones tùm damnaviſſe, tùm damnandas curaſſe ſine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet ſenſu in quo ab Eccleſia damnatæ fuiſſent.* Ex illa igitur Epiſcopi Catalaunenſis declaratione ignorare non potuit Clemens IX. quatuor dictos Epiſcopos in priori ſua ſententia circa ſilentium religioſum perſeveraſſe. Huic verò declarationi ſubſcripſit Antonius Arnaldus, qui eadem conditione ad pacem ſimul cum illis quatuor Epiſcopis admiſſus eſt.

Rec. des B. pag. 263.

III. Illuſtriſſimus Perefixius Archiepiſcopus Pariſienſis, Moniales Portus Regii, & Dominum Dorat Paſtorem de Maſſi eidem declarationi ſubſcribentes admiſit, ut & Epiſcopus Conſtantienſis Dominum Vibet. Quin Illuſtriſſimus Harlæus tunc Rothomagenſis, deinde verò Pariſienſis Archiepiſcopus, dictam declarationem Epiſcopi Catalaunenſis multùm commendavit in ſua ad Cardinalem Roſpiglioſium Epiſtola. Illi ergo exiſtimavere ſufficere religioſum ſilentium erga definitionem facti Janſenii.

Addit anonymus quidam, auctor recentioris Libelli cui gallicè titulus, *Lettre d'un Eveque à un Eveque &c.* ſuprà memoratam novemdecim Epiſcoporum Epiſtolam, in qua ſilentium religioſum ſufficiens declaratur, ap-

probatam fuiſſe à toto Clero Gallicano in Comitiis generalibus an. 1670. & 1681. cùm nempè approbavit Librum D. Gerbais, *De Cauſis majoribus*, qui dictam Epiſtolam integram refert. Quin cùm in iiſdem Comitiis anni 1681. querelæ inſtitutæ fuiſſent adversùs Librum D. David, cui gallicè titulus, *Jugement canonique des Eveques*, eo quòd docuiſſet S. Pontificem infallibilem eſſe in ipſis factis, purgavit ſe dictus D. David, declaravitque tam inſolentem opinionem in mentem hominis cadere non poſſe, cùm talis infallibilitas nequidem toti Eccleſiæ conceſſa fuerit; qua ſua declaratione Clero Gallicano ſatisfecit.

Reſp. Si conſulantur Acta illa Verbalia, non videri quatuor illos Epiſcopos reipſa à priori ſententia receſſiſſe; ſed Acta hæc Pontifici nunquam fuiſſe exhibita, imò nec ſatis nota, quamtumvis aliunde illi Præſules id quod gerebant, à Clemente IX. cognoſci, nec ab ipſo improbari falsò ſibi perſuaſiſſent: rei autem ignarus S. Pontifex, ratus aliunde eos ſincerè ſine ulla limitatione ac reſtrictione ſubſcripſiſſe Formulæ Alexandri VII. mirum eſſe non debet ſi ad pacem eos admiſerit. Non ergo inquiri debet ſollicitè quis fuerit Epiſcoporum illorum ſenſus, ſatis enim poſteà patuit; ſed qualem eſſe prudenter exiſtimare debuerit Clemens IX. At duo iſta certa nobis & explorata videntur: primum, S. Pontificem reipſa exiſtimaſſe Epiſcopos illos ſincerè ſine ulla reſtrictione ſubſcripſiſſe, aliàs nuſquam illos admiſiſſet ad pacem; alterum, non potuiſſe illum aliter pro ſua prudentia de illis ſuſpicari.

Prius declarat Clemens IX. in Brevi ad Regem noſtrum Chriſtianiſſimum

Rec. des B. pag. 253. die 28. Sept. an. 1668. *Cum lætitia*, inquit, *cognovimus in ſimplici ac pura ſubſcriptione Formularii, quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam & obſequium*. Et in Brevi ad Epiſcopos pacis ſequeſtres dato die 19. Jan. an. 1669. *Non ſine lætitiæ ſenſu*, inquit, *pervidimus ex Litteris Fraternitatum veſtrarum....*

Ibid. p. 266. *de perfecta & integra obedientia Nobis & Apoſtolicæ Sedi præſtita per Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Aletenſem, ſcriptione Formularii ſincero animo & juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum ab eis facta*. Denique in Brevi dato ad quatuor illos Epiſcopos, eodem anno &

Ibid. p. 269. die, ſic loquitur: *Cum ingenti obſequii nobis & huic ſanctæ Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis*, (in Epiſtola nimirum quam ſcripſerant ad S. Pontificem) *vos juxta præſcriptum Litterarum Apoſtolicarum ſincerè ſubſcripſiſſe & ſubſcribi feciſſe Formulario.... Nam prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut reſtrictionem admiſsuri unquam fuiſsemus*. Idem prorſus teſtatur Cardinalis Roſpiglioſius cap. 161. ſuæ Relationis: *Neque*, inquit, *in re tanti momenti quidquam connivere, quin-*

Ibid. p. 263. *imò acerrimè obviam ire decreverat*. Perſuaſum igitur habebat S. Pontifex, Epiſcopos illos ad mentem Sedis Apoſtolicæ ſincerè ſubſcripſiſſe.

Poſterius verò, non potuiſſe Clementem IX. pro ſua prudentia & æquitate aliud de illis ſuſpicari, patet ex circumſtantiis hujus negotii. 1. quatuor illi Epiſcopi Scripto teſtati fuerant ſe ſincerè ſubſcripſiſſe. Ita refert ac teſtatur Cardinalis Eſtræus in Oratione quam habuit in Congregatione habita die 4. Junii an. 1693. coram S. Pontifice Innocentio XII. *Scripto*, inquit, *Romam tranſmiſſo teſtati fuerant, ſe ſincerè & abſque ulla exceptione ſeu reſtrictione ſubſcripſiſse*. Vide Librum cui titulus gallicè, *Defenſe de l'Hiſtoire*

des

des cinq Propoſitions, pag. 396. Ibidem pag. 417. auctor Libri cui titulus; *Panegyris Janſeniana*, candidè fatetur quatuor Epiſcopos, quos improbat, purè ac ſimpliciter Formulario ſubſcripſiſſe. 2. arduum illud ac perdifficile ſibi fuiſſe non diſſimulant dicti Epiſcopi; non aliunde ſubodorari potuit ortam difficultatem, quàm ex mutatione ſententiæ. 3. ſignificant ſe aliorum Galliæ Epiſcoporum ſubſcribendi formam & diſciplinam ſequutos fuiſſe: at cæteri Epiſcopi ſine reſtrictione ſubſcripſerant. 4. Epiſcopi pacis Mediatores, & Epiſcopus Catalaunenſis in dicta declaratione teſtati fuerant ſinceram eſſe Epiſcoporum illorum ſubſcriptionem. Tandem Epiſcopi novemdecim ſic illorum adumbraverant opinionem, ut videretur nihil habere reprehenſione dignum: aliunde verò Acta Verbalia eorum maximè ſecreta erant & recondita; non potuit igitur prudenter S. Pontifex de ſincera illorum fide & ſubſcriptione dubitare. Quòd autem ab eis non poſtulaverit ut ſua revocarent Mandata, prudenti œconomiæ & diſpenſationi tribui debet, ut faciliùs eos ad obedientiam adduceret, & diuturnam frangeret contumaciam. Simili diſpenſatione uſus eſt S. Cyrillus erga Joannem Antiochenum & Theodoretum.

Ad primam confirmationem, dico novemdecim Epiſcopos, qui ad Clementem IX. in gratiam aliorum quatuor ſcripſerunt, aut eorum ſententiam non ſatis aſſecutos fuiſſe, aut, quod veriſimilius eſt, eam integram non expoſuiſſe, ſed diſſimulaſſe ex parte, tùm ut aliquam obtenderent excuſationis eorum cauſam, tùm ut Pontificis animum faciliùs ad pacem inflecterent. Si enim eorum Epiſtolæ fides, non aliam opinionem rejecerant citati quatuor Epiſcopi, *quàm quæ aſſerit humana & quotidiana facta non revelata, non minùs quàm revelata in Scripturis & Traditione dogmata, fide eſſe tenenda... cui malo*, inquiunt, *ut occurrerent prædicti Epiſcopi, ſimul ut quorumdam ſcrupulis mederentur, oppoſitam huic manifeſtiſſimo errori doctrinam communiſſimam ſimul & certiſſimam in Mandatis expoſuerunt &c.* At certum eſt quatuor illos Epiſcopos non tantùm iſtam, ſed & aliam opinionem, quæ mentis obſequium exigit erga definitiones facti doctrinalis, rejeciſſe; de qua prudenter in ſua Epiſtola ſilent Epiſcopi novemdecim, ut difficile ac permoleſtum negotium utcunque tandem componerent.

Ad ſecundam; declaratio Epiſcopi Catalaunenſis duas continet partes: prima ſpectat factum Janſenii, ſeu attributionem quinque Propoſitionum Libro Janſenii: ſecunda verò damnationem ſenſus erronei illarum quinque Propoſitionum. Quantùm ad primam, ſcitè obſervat Cardinalis Roſpiglioſius cap. 617. & 618. ſuæ Relationis, attributionem illam quinque Propoſitionum Libro Janſenii, in qua facti quæſtio continetur, triplici omninò ſenſu poſſe intelligi: primo, ita ut propoſitiones conceptis omnibus verbis expreſſæ ſint in Libro Janſenii. 2. ut talis fuerit internus Janſenii ſenſus. 3. ut talis ſit Libri totius doctrina aut ſenſus. Duo priores modi attribuendi Propoſitiones Janſenio, pertinent ad quæſtionem facti merè perſonalis, de quo nihil pronuntiavit Eccleſia, ac quilibet prout voluerit ſentire poteſt: poſtremus verò modus, in quo continetur ſecunda pars dictæ declarationis Epiſcopi Catalaunenſis, pertinet ad factum doctrinale, circa quod pronuntiavit Eccleſia. Cùm igitur in ea declaratione dicitur, quatuor Epiſcopos cum reverentia excipere Pontificum de facto Janſenii definitionem, ſed intra eos fi-

nes quos determinant Cardinales Bellarminus, Baronius & alii, potuit S. Pontifex intelligere de facto merè perſonali priori duplici ſenſu adducto; atque quantùm ad hoc illorum quatuor Epiſcoporum ſententiam *diſſimulare*, ut loquitur citatus Cardinalis Roſpiglioſius cap. 162. At circa ultimum ſenſum, nempè legitimè damnatas eſſe Propoſitiones quinque in ſenſu Janſenii, *ſtatuerat*, ait idem Cardinalis, *nihil conniveré*.

Et verò cùm apertè profiterentur quatuor Epiſcopi in declaratione adducta, ſe damnare quinque Propoſitiones in eo omni ſenſu in quo eas damnavit Eccleſia, conſequenter in ſenſu Janſenii, in quo revera eas damnavit, ſe eas quoque reprobare ſignificabant, ac definitioni facti acquieſcere. Eſt enim hæc facti doctrinalis quæſtio, utrum Janſenii ſenſus erroneus ſit & damnatus; & eo ipſo quis huic quæſtioni acquieſcere cenſetur, quo declarat ſe damnare quinque Propoſitiones in eo omni ſenſu in quo eas Eccleſia damnavit.

Ad tertiam: Mirum eſſe non debet quòd & Moniales Portus Regii, & Domini Arnaldus, Dorat & Vibet, prædictæ declarationi ſubſcribentes admiſſi fuerint ad pacem Eccleſiæ; ſiquidem teſtabantur, ut diximus, ſe damnare quinque Propoſitiones in omni ſenſu in quo damnatæ ſunt ab Eccleſia: atqui damnatæ ſunt in ſenſu Janſenii; ergo in ſenſu quoque Janſenii eas damnare cenſebantur: quæ declaratio ſimul continebat adhæſionem definitioni tùm juris, tùm facti, quod unum exigebat Eccleſia.

Sed, inquies, Decretum ſupremi Regis Conſiſtorii quod die 30. Maji anni 1676. datum eſt adversùs Mandatum Epiſcopi Andegavenſis, laudat Apoſtolicæ Sedis prudentiam & indulgentiam, qua nonnullis, ad ſedandos conſcientiæ ſcrupulos & pacem faciliùs conciliandam, conceſſum fuit, ut non ſine aliqua ampliori expoſitione Formulario ſubſcriberent. Fateor: ſed in eodem Decreto ſtatim additur, aliquibus dumtaxat privatis conceſſum iſtud fuiſſe; quod nec vim legis erga omnes habet, nec loco revocationis Formularii haberi debet, cujus ſubſcribendi neceſſitas ſemper viget & obligat.

Ad quartam: cùm generatim approbatur Liber alicujus auctoris, in quo ex aliis referuntur vel teſtimonia vel inſtrumenta, approbatio in ea dumtaxat cadere cenſetur, vel quæ ſunt propria auctoris, vel quæ ex aliis excerpta directè ſpectant quæſtionem de qua agitur: dictam autem novemdecim Epiſcoporum Epiſtolam non laudavit, nec eo conſilio integram deſcripſit in ſuo Libro D. Gerbais, ut ex ea probaret falli poſſe Eccleſiam in factis, de illa etenim controverſia ne cogitat quidem ille auctor in citato Libro; ſed ut oſtenderet quænam ſit Gallorum mens de Epiſcoporum Judiciis ac depoſitionibus, nempè Epiſcoporum depoſitiones non ex Jure novo Pontificio, ſed ex antiquis Eccleſiæ Canonibus eſſe celebrandas. Eſt enim hic ferè unicus Libri & præſertim capitis 13. ſcopus.

Ad declarationem Domini David, dico eam ſatis claram & diſtinctam non eſſe: neque enim exponit ille de quibus factis loquatur, an de iis, quæ merè ſunt perſonalia, in quibus falli poſſe Eccleſiam concedimus; an de iis, quæ doctrinalia ſunt, ſeu quæ ſenſum Librorum & doctrinam ſpectant, in quibus ſi voluit ille Eccleſiam poſſe errare, à nobis deſeritur.

Objicies 2. Cùm aliqui Belgii Epiſcopi nonnihil addidiſſent Formulario Alexandri VII. atque declaraſſent ſenſum obvium quinque Propoſitionum eſſe

ſenſum

ſenſum à Janſenio intentum, Innocentius XII. Brevi dato an. 1694. die 6. Februarii, edixit ſatis eſſe ſi damnentur illæ quinque Propoſitiones *in ſenſu obvio quem verba ipſa præſeferunt*, miſſa iſta quæſtione, an ſenſus obvius ſit ſenſus Janſenii, vel non, circa quam ſilentium ſervandum eſſe voluit; igitur poſt Clementem IX. & Innocentium XII. quaſi ex publico condicto in rem judicatam abiit, ſufficere erga definitionem facti religioſum ſilentium.

Reſp. Innocentium XII. prohibuiſſe quidem ne quid adderetur Formulario Alexandri VII. quia ad privatos non pertinet Epiſcopos formulam à Sede Apoſtolica præſcriptam & compoſitam immutare, vel additione aliqua vel detractione. Verùm falsò prorſus ſupponitur S. Pontificem intactam reliquiſſe hanc quæſtionem, utrum nempè ſenſus obvius quinque Propoſitionum ſit ſenſus à Janſenio intentus. Namque in prædicto Brevi expreſsè ait, 1. *ſe firmiſſimè inhærere Conſtitutionibus prædeceſſorum ſuorum Innocentii* Rec. des
X. & Alexandri VII. eaſque in ſuo robore ſemper permanſiſſe. 2. *via juris pro-* B p. 317
cedendum contra eos qui damnatas illas Propoſitiones verbo vel ſcripto defen- & ſuiv.
dere præſumpſerint. 3. *eos qui ad juramentum adigendi ſunt, illud præſtare debere ſincerè abſque ulla diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſitione, damnando eas Propoſitiones in ſenſu obvio quem ipſamet Propoſitionum verba præſeferunt, prout ſenſum illum damnaverunt SS. Pontifices*. Declarat ergo Innocentius XII. ſenſum obvium quem damnat quinque Propoſitionum, eum ipſum eſſe ſenſum quem damnavere SS. Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. *prout*, inquit, *illum damnaverunt*. At illi Pontifices declararunt, ſenſum quinque Propoſitionum, haud dubiè obvium, eſſe à Janſenio intentum; ergo ſenſus obvius quinque Propoſitionum, quem damnat Innocentius XII. eſt ſenſus à Janſenio intentus; adeoque non magis favet ſilentio religioſo Innocentius XII. quàm Innocentius X. & Alexander VII.

Quod quidem tam per ſe clarum & evidens eſt, ut ipſemet D. Hennebel Doctor Lovanienſis in ſua tertia Declaratione quam Eminentiſſimis Cardinalibus Romæ agens obtulit, poſtquam eis gratias egit ob Decretum die 28. Januarii anni 1694. conditum, & die 4. Februarii anni ſequentis in lucem emiſſum, candidè agnoſcit, Decreti mentem hanc eſſe, nempè ſenſum obvium quinque Propoſitionum Janſenii quem verba præſeferunt, eſſe ſenſum ipſius Janſenii, ſeu ab ipſo intentum. Sic enim loquitur: *Cùm inſuper tùm ex Conſtitutionibus, tùm ex ipſo Eminentiarum veſtrarum Decreto manifeſtum ſit, Sedem Apoſtolicam ſic Janſenii verba accepiſſe, ſic eius Librum, cui nomen Auguſtinus, intellexiſſe, ut cenſuerit in eo contineri ſenſum quem quinque Propoſitionum verba per ſe exhibent; quiſquis damnat quinque Propoſitiones in ſenſu quem eorum verba per ſe exhibent, neceſſe eſt ut eas damnet in ſenſu ab auctore intento, prout illum Sedes Apoſtolica intellexit*. Ita D. Hennebel, qui vana quidem ſubtilitate rixatur circa ſenſum illum obvium, an nempè ſit verus & proprius Janſenii ſenſus; ac tandem eò delabitur, ut velit, liberum eſſe Theologis, Apoſtolicæ Sedis judicio de ſenſu alicujus privati auctoris acquieſcere vel non acquieſcere.

Verùm, inquies, cùm in ſuis quinque Declarationibus totus ſit dictus D. Hennebel in peroranda cauſa ſilentii religioſi coram Cardinalibus & S. Ponti-

Pontifice, nec illi quidquam ad has Declarationes reſponderint, nonne eas approbaſſe cenſendi ſunt?

Reſp. Sapienter omninò nihil eſſe ad illas Declarationes à Cardinalibus reſponſum. Cùm enim illæ nihil novi continerent, niſi quòd majori arte ad faciendam fraudem concinnatæ eſſent, abſque ullo novo reſponſo dimittendas eſſe judicarunt ſapientiſſimi Cardinales; rati duobus Innocentii XII. Brevibus ad Epiſcopos Belgii, quorum poſtremum prodiit poſt ultimam Declarationem D. Hennebel, hoc eſt, die 24. Novembris anni 1696. ſatis ſuperque proviſum eſſe controverſiæ in Belgio excitatæ. Et verò, ſi quoties inquietis hominibus placebit circa rem jam definitam novas in dies expoſitiones poſtulare, neceſſe ſit eorum deſideriis cedere, nullus unquam futurus eſt & quærendi & reſpondendi finis.

Objicies 3. Eccleſia univerſa per Orbem diſperſa non acceptavit Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. qua parte Janſenii factum definiunt, ſed una dumtaxat Gallicana Eccleſia; ergo nulla lege tenemur in conſcientia mentis obſequium exhibere definitioni facti Janſenii, ſed unum ſufficit religioſum ſilentium.

Antecedens videtur certum: Namque acceptationi debet præire rei cognitio & examen: at certum eſt nullam Eccleſiam, excepta Gallicana, expendiſſe Librum Janſenii, ut certa eſſe poſſit an reipſa erronea quinque Propoſitionum doctrina in illo contineatur. Non ita eſt de Judicio quod tulit Eccleſia de doctrina quinque Propoſitionum in ſe: facilè enim deprehendi poteſt illam eſſe falſam, ex regulis noſtræ fidei quas Eccleſia compertas habet; igitur ſingulæ per Orbem diſperſæ Eccleſiæ de facto Janſenii non judicarunt, adeoque ea in parte non acceptarunt dictas SS. Pontificum Conſtitutiones, ſed hanc quæſtionem facti veluti in ſuſpenſo reliquerunt, data cuilibet ſentiendi quod vellet, licentia.

Reſp. 1. tantam eſſe debere apud nos omnes Eccleſiæ noſtræ Gallicanę venerationem & auctoritatem, ut etſi ſola Conſtitutiones Apoſtolicas de facto Janſenii admiſiſſet, obſequium tamen noſtrum per ſeſe mereretur, nec cuiquam licitum eſſe poteſt obluctari definitioni ac Judicio Eccleſiæ in qua vivit, & cujus gaudet privilegiis.

Reſp. 2. Omnes per Orbem ſparſas Eccleſias Conſtitutiones illas acceptaſſe, tùm quoad jus tùm quoad factum: nulla etenim limitationem aut exceptionem adhibuit; nulla reclamavit aut improbavit. Neque verò neceſſe eſt, ut ſingulæ Librum Janſenii expenderint, ſuumque de illo tulerint judicium; ſed ſatis eſt, quòd Romanæ Eccleſiæ Librum expendenti, & ea quidem diligentia qua major eſſe non potuit, ac de illi judicanti ſingulæ acquieſcant, *ſive ſuam in Actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit*, ajunt Epiſcopi Gallicani in ſua ad Innocentium X. Epiſtola ſcripta die 15. Julii anno 1653.

SOL.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Tertii ordinis.

Objicies 1. Quamquam ſimplex ſit & ſine ulla reſtrictione ſubſcriptio definitionis jus & factum complectentis, ex communi tamen ſententia, & ipſa rei ipſius natura ita limitatur, ut ſit quidem ſignum conſenſus reſpectu dogmatis, reſpectu verò facti, unius reverentiæ & ſilentii, quod unum ex ſe poſtulat facti definitio; ergo ſubſcriptio ejuſmodi caret mendacii & perjurii vitio, ſiquidem neminem in fraudem adducit, nec fallit publicam expectationem.

Reſp. antecedens & conſequens falſum eſſe. Gratis quippè ſupponunt adverſarii, ex communi ſententia, & ex ipſa rei natura definitioni facti non deberi mentis obſequium; imò & contra intentionem atque expectationem Eccleſiæ, & contra verborum, quibus conſtat formula ſubſcriptionis, ſignificationem receptam facit, quiſquis exteriùs ſine ulla exceptione ſubſcribit, retenta interiùs reſtrictione ac limitatione. Et certè reſtrictionem in ſubſcribenda formula Alexandri VII. tam eſſe alienam à mente & conſilio Eccleſiæ vel ipſi olim intellexerunt adverſarii, ut nuſquam auſi fuerint in facto Janſenii eam uſurpare, quam noverant periculi ac moleſtiarum plenam eſſe.

Inſtabis: ſubſcriptio non eſt ſemper ſignum conſenſus illius qui ſubſcribit. Sic Judicii Præſes ſubſcribit ſententiæ, quam privato ſuò voto non approbavit: ſic Epiſcopi Conciliis generatim ſubſcribunt, quamquam multa ſint in iis ſancita contra privatam eorum ſententiam: ſic in Actibus ſacræ Facultatis reſpondens juramentum præmittit, quo ſpondet ſe nihil dicturum quod ſit contrarium Decretis Conciliorum generalium, SS. Pontificum &c. atqui tamen contingit ſæpius, & quidem ſine perjurio, ut in iiſdem Actibus nonnulla propugnentur quæ iis Decretis adverſantur: v. g. cùm ab errore vendicantur vel Theodoretus, vel Honorius &c.

Reſp. exempla hæc omninò diverſa eſſe, nec ad rem noſtram accommodata: ex ipſo ſiquidem publico ac recepto uſu ita nota ſunt, ut nullus in fraudem inducatur. Ita ſubſcriptio Judicis aut Scribæ ex publico uſu inſtituta non eſt ad exprimendum conſenſum ſubſcribentis, ſed ut ſit Juris formula ad firmitatem & veritatem publicam latæ ſententiæ: non enim illi privato ſuo nomine, ſed publico, tanquam perſonæ publicæ, ſubſcribunt. E contra ſubſcriptio data à ſingulis alicui definitioni Eccleſiæ eò tendit unicè, ut ſubſcribentis obſequium, conſenſum & approbationem exprimat. Cùm Epiſcopi generatim & nulla facta exceptione ſubſcribunt Decretis Conciliorum, quibus antea obſtiterant, præſumuntur mutata ſua privata ſententia, ad communem & publicam rediiſſe. Juramentum verò quod præmittit reſponſurus in Actibus ſacræ Facultatis, cum aliqua limitatione aut explicatione eo ipſo accipiendum eſt, quo in iiſdem Actibus nonnulla contineantur capita quæ permittit ſacra Facultas in utramque partem agitari: qua autem ratione defendi poſſint Theodoretus & Honorius, illæſa Conciliorum auctoritate, ſupra expoſuimus.

Obji-

Digitized by Google

Objicies 2. Epiſcopi qui in V. Concilio conſenſerant in damnationem trium Capitulorum, cæteros contumaces ac ſchiſmaticos eorumdem defenſores
P.27.C invitabant ad pacem & communionem, etiam non mutata priori ſua ſententia, quod abſurdum videtur Facundo Lib. 2. cap. 3. *Conſidera*, inquit, *quæſo, cujus levitatis, cujus confuſionis eſt atque dedecoris, ut nos ſibi communicate compellant, permanentes in ea ſententia, qua non ſolum ei* (Epiſtolæ Ibæ) *anathema non dicimus, ſed etiam negamus eſſe dicendum*. Perſuaſum igitur fuit illis Epiſcopis, defenſores trium Capitulorum, pacis cauſa eorum damnationi ſubſcribere potuiſſe; tametſi intus & animo illam non approbarent.

Reſp. duo poſtulaſſe Catholicos à ſchiſmaticis trium Capitulorum defenſoribus: primum, quod urgebat & præcipuum erat, ut ſchiſma non facerent, ſed redirent ad unitatem Eccleſiæ, etiam ſi in priori ſua ſententia permanerent, quam diſſimulare ad tempus ex prudenti œconomia decreverant Epiſcopi, ad animos paulatim conciliandos & graviſſimum ſchiſmatis malum præcavendum. *Pro ſcandalo frænando*, ait S. P. Vigilius in Sententia
Tom. 5. adversùs Theodorum Cæſareenſem, *condeſcendentes quorumdam animis, quos*
Conc. p. *aliqua diſpenſatione credimus temperandos .... quædam pro tempore medicinaliter*
335. A. *exiſtimavimus ordinanda*. Alterum erat, ut ſedatis animis atque in eadem communione recollectis, tandem Judicio Eccleſiæ acquieſcerent, depoſita priori ſua opinione. Si aliud ſuppoſuit Facundus, deceptus fuit.

Objicies 3. Non deſunt exempla eorum qui pacis cauſa & reverentiæ Decretis Eccleſiæ debitæ, ſubſcripſerunt rebus quas in conſcientia falſas exiſtimabant. Sic Joannes Antiochenus, Theodoretus &c. ſubſcripſere damnationi Neſtorii, quem tamen innocentem putabant. Vigilius pariter S. Pontifex in ſuo Judicato conſenſit in damnationem trium Capitulorum, quamquam multò foret propenſior in eorumdem defenſionem, ut obſervat Sirmundus præfatione in Facundum. Orientales etiam ſubſcripſere damnationi Acacii, quem tamen ab errore immunem credebant. Multi denique ſubſcribunt V. & VI. Synodis, quamquam damnata Theodoreti Scripta & Epiſtolam Honorii ab errore vendicent.

Reſp. 1. rem malè geſtam non debere in exemplum trahi. Si ergo certum foret, mox citatos auctores ficto animo aliquando ſubſcripſiſſe, non idcircò ſequeretur id licitè ab ipſis factum, aut etiamnum fieri poſſe.

Reſp. 2. falsò ſupponi Joannem Antiochenum & Theodoretum non ſubſcripſiſſe ex animi ſententia damnationi Neſtorii. Nullo enim id argumento probari poteſt: imò præſumi potius debet, eos detecta veritate perſuaſum habuiſſe, æquiſſimum fuiſſe Eccleſiæ de Neſtorio Judicium; unde Theodoretus eum cæteris Hæreticis accenſuit. Vigilius S. Pontifex aliquando defendit, aliquando damnavit tria Capitula, re nondum penitus diſcuſſa & ultimò judicata: ſed poſtquam Concilii V. generalis approbavit ſententiam, in tribus Capitulis proſcribendis firmus & conſtans permanſit. Orientales non damnarunt Acacium propter errores in fide, ſed propter ſocietatem & communionem cum Hæreticis, aut ſaltem graviter in fide ſuſpectis. Qui ſubſcribebant V. & VI. Conciliis, & tamen Theodoretum defendebant, ii hac ſua defenſione manifeſtabant ſe limitationem quamdam apponere ſuæ ſubſcriptioni; adeoque mendacii hac in parte argui non poterant: ſi quis

verò

verò ex mandato Eccleſiæ teneretur ſubſcribere cum juramento Judicio quinti Concilii contra Theodoretum, & ſexti contra Honorium, & tamen intus eos excuſaret, nec Eccleſiæ ſententiæ acquieſceret ille, & à labe mendacii ac perjurii nullatenus excuſari poſſet.

S T A T U S Q U Æ S T I O N I S.

Quem ſenſum reſpiciat Eccleſia, cùm de Libris vel propoſitionibus ex eis extractis pronuntiat.

Propoſitiones de quibus Eccleſia Judicium ſuum pronuntiat, duobus præſertim modis ſpectari poſſunt; vel abſolutè ac in ſeipſis, independenter ab omni proferente; vel relativè ad ſenſum Libri unde extrahuntur, & Auctoris à quo prolatæ ſunt. Alexander VIII. & Innocentius XI. plures laxioris Moralis propoſitiones confixere in ſeipſis abſolutè conſideratas, nulla facta mentione Auctorum vel Librorum unde extractæ illæ fuerant.

E contra Leo X. Lutheri, S. Pius V. Baji, Innocentius X. Janſenii, Clemens XI. Quenellii Propoſitiones reſpectivè ad eorum mentem ac ſenſum damnavere.

In cenſura propoſitionis abſolutè in ſe ac ſimpliciter conſideratæ, Eccleſia unicè attendit ad obvium & uſu communi receptum verborum ſenſum: in cenſura verò propoſitionis alicujus Auctoris vel Libri, ad ſenſum ab eo intentum, qui quidem ex verbis, ex tota doctrinæ ipſius ſerie, Libri textura & conformatione, conſilio, inſtituto &c. elicitur. Hic porrò ſenſus obvius dicitur, proprius & naturalis verborum ſenſus, non quidem prout in ſeipſis verba nudè ſpectantur, ſed relativè ad mentem & ſenſum Libri vel Auctoris, ad quem Eccleſia attendere ſemper cenſetur, cùm in ſua cenſura Librum vel Auctorem deſignat.

Propoſitio abſolutè ac in ſe ſpectata, quam Eccleſia ſimpliciter damnat, vulgò unicum ac ſimplicem ſenſum obvium habet, eumque perverſum: è contrà, propoſitio Libri vel Auctoris æquivoca eſſe poteſt, duplicemque habere ſenſum, rectum unum, & alterum malum. Ubi verò contingit Eccleſiam propoſitiones hujuſmodi æquivocas abſque prævia diſtinctione ſenſuum configere, cenſura unicè cadit in ſenſum perverſum Libri vel Auctoris, quem unum habet præ oculis Eccleſia, nullatenus verò in ſenſum rectum & Catholicum. Ratio eſt, quia cenſura vulgò cadit in ſenſum propoſitionis obvium, proprium & naturalem: atqui in propoſitionibus æquivocis Libri vel Auctoris, ſenſus perverſus, eſt obvius, proprius & naturalis, ſenſus verò rectus ac Catholicus, quaſi alienus eſt ac extraneus; ergo cenſura cadit in malum, non verò in bonum propoſitionis ſenſum.

Diſputatum hinc & inde non ita pridem vidimus, occaſione Conſtitutionis *Unigenitus*, & Propoſitionum Quenellii, utrum Eccleſia propoſitionem in ſe abſolutè, ſeu obvio verborum ſenſu veram, ſola autem intentione, ſeu privato Auctoris ſenſu falſam, ſimpliciter & abſolutè damnare poſſet.

Verùm, tota hæc diſcordia & diſputatio in æquivoco hærere videbatur, quo ſublato vix ullus remanet ſcrupulus. Quippè vel propoſitio damnanda, in

in ſe ſimpliciter, abſolutè, ac ſine ullo ad Auctorem vel Librum reſpectu ſpectatur, vel relativè ad Auctorem aut Librum. Si prius, vana & ſuperflua videtur diſputatio: namque fieri nunquam poteſt, ut Eccleſia, quæ in doctrina fidei errare non poteſt, propoſitionem in ſe ſimpliciter veram, abſolutè condemnet. Si poſterius, propoſitio in ſe & abſolutè non ſpectatur, nec conſequenter damnatur, ſed reſpectivè dumtaxat ad mentem & ſenſum Auctoris vel Libri. Ergo extra hypotheſim excurrebat controverſia, qua, occaſione Conſtitutionis *Unigenitus*, quærebatur, an Eccleſia propoſitiones in ſe abſolutè ac ſimpliciter veras cenſura configere poſſet: de hujuſcemodi enim propoſitionibus quæſtio non erat, ſed de Propoſitionibus Quenellii, ac relativè ad illius intentionem & ſenſum in ejus Libro expreſſum.

Licèt igitur in cenſura propoſitionum hujuſcemodi nulla fiat expreſſa ac formalis diſtinctio ſenſuum, abſoluta tamen non eſt cenſura, ſed relativa; & eo ipſo ad ſenſum Auctoris proprium reſtringitur, ac ſufficientem habet ſenſus diſtinctionem, quo nomen Auctoris vel Libri in fronte præfixum habet.

Alius eſt propoſitionis ſenſus obvius, proprius & naturalis; & alius ſenſus extraneus, improprius & alienus.

In propoſitionibus nudè, ſimpliciter & abſolutè in ſe ſpectatis, ſenſus obvius & naturalis ille eſt quem verba ex communi ac recepta ſignificatione præſeferunt: ſenſus verò improprius, extraneus & alienus cenſetur, qui contra communem illam ſignificationem propoſitioni affingitur.

In propoſitionibus verò ſpectatis relativè ad privatum ſenſum Auctoris vel Libri, ſenſus obvius, naturalis ac proprius, eſt ſenſus ab auctore intentus, quem unum in ſua cenſura Eccleſia reſpicit; ſenſus autem verborum in ſe & abſolutè, eſt quaſi alienus & extraneus, quem Auctor malè detorquet & inflectit.

Gerſo in Sermone pro Viagio Regis Romanorum (To.2.p.277.) diſtinguit ſenſum logicalem, qui verus eſſe poteſt in propoſitione per Eccleſiam proſcripta: *Concilium generale*, inquit, *poteſt damnare propoſitiones multas cum ſuis auctoribus; licèt habere gloſſas aliquas, vel expoſitiones, vel ſenſus logicales veros poſſint. Hoc practicatum eſt*, pergit, *in hoc Concilio Conſtantienſi de multis articulis & Vviclefi & Joannis Hus*. Alterum ſenſum appellat theologicum & logicalem. *Habet*, inquit, *Moralis ſcientia*, *ſimiliter Theologia*, *ſuam propriam logicam & ſenſum litteralem*, *aliter quàm ſpeculativæ ſcientiæ*. Addit huic ſenſui theologico logicali conſtanter adhærere Univerſitatem Pariſienſem, *dum ſchiſmaticos ſuos ad certam regulam fidei loqui juſſit & compulit*, cujus beneficio ab erroribus præſervatos illos fuiſſe aſſeverat.

Diſcrimen ſtatui debet inter propoſitionem æquivocam, & propoſitionem complexam: iſta plures habet partes; illa plures ſenſus. Inde fit ut Eccleſia diſtinguat aliquando inter partes propoſitionis complexæ, non verò ſemper diſtinguat inter varios æquivocæ propoſitionis ſenſus. Quapropter Concilium Conſtantienſe duas in propoſitione 24. Vviclefi partes diſtinxit, quas diverſa diſpunxit cenſuræ nota: propoſitiones verò 4. & 21. Joannis Hus, quæ ambiguæ ſunt, abſque ulla ſenſus expreſſa diſtinctione, & habita dumtaxat ſenſus illius ratione, damnavit.

Atque his præſuppoſitis ac jactis fundamentis, ad propoſitam quæſtionem Dico Eccleſiam ſæpiſſimè damnaſſe propoſitiones æquivocas, nulla facta præ-

prævia diſtinctione ſenſus veri aut falſi, ſed habita dumtaxat ratione ſenſus privati ab Auctore vel Libro, quem damnat, intenti, non autem propoſitionis in ſe & abſolutè ſpectatæ.

Momentum illud fusè proſequitur, multiſque ex Hiſtoria Eccleſiaſtica exemplis ex profeſſo demonſtrat inſignis Theologus Pariſienſis è familia Dominicanorum Natalis Alexander, occaſione hujus propoſitionis Joannis de Monteſono, *Solius Sedis Apoſtolicæ eſt declarare, damnare & reprobare; & eorum quæ tangunt fidem, ad ſolum Summum Pontificem pertinet examinatio & deciſio*. Sæpiſſimè eo in loco inculcat ille, propoſitionem ambiguam, quæ ſenſum erroneum vel hæreticum habet, abſolutè & ſine diſtinctione damnandam eſſe, quamvis in Catholicum aliquem ſenſum inflecti poſſit.

Cardinalis Noriſius in Apologia Monachorum Scythiæ, de propoſita quæſtione mentem ſuam aperit his verbis: *Eccleſia univocas propoſitiones, quarum unicus tantùm eſt ſenſus, probat, ſi veræ ſint; ſin verò falſæ, condemnat. At ſi propoſitiones ſint æquivocæ, ac duplicem ſenſum patiantur, quorum unus ſit Catholicus, alter hæreticus, Eccleſia eaſdem in ſenſu recto approbat, & in falſo proſcribit.*

Nobis animus non eſt ea omnia exempla hìc percurrere, quæ mox citatus P. Alexander prolixè in rem præſentem congerit. Sufficiet in uno dumtaxat hærere Concilio Conſtantienſi, à quo, nulla uſurpata ſenſus diſtinctione, articuli Joann. Hus quartus & vigeſimus primus proſcripti ſunt, licèt in ſeipſis & abſolutè, prout verba ſonant, ſpectati, nullam videantur mereri cenſuram. Quid enim, quæſo, mali ſonat iſte articulus, qui inter proſcriptos à Concilio n. quartus eſt, *Duæ naturæ, divinitas & humanitas, ſunt unus Chriſtus*? An non potius duos fidei noſtræ articulos diſtinctè exprimere videtur, nempè unitatem perſonæ in Chriſto, *ſunt unus Chriſtus* contra Neſtorianos; & duplicis in eo naturæ diſtinctionem, *duæ naturæ*, contra Eutychianos? Quis porrò ſenſum hunc omninò Catholicum ab Eccleſia proſcriptum fuiſſe perſuadere ſibi poterit? Attamen hæc propoſitio Joannis Hus indiſtinctè damnata fuit: quo ſenſu? An obvio iſto quem mox citata verba in ſeipſis abſolutè ſpectata præſeferunt? abſit; quod enim verum eſt, nunquam poteſt, omnium Catholicorum judicio, eſſe objectum ſeu ſubjectum cenſuræ Eccleſiæ. Ergo alio ſenſu, qui proprius erat Joannis Hus, & ad quem unum attendebat Eccleſia, dicta propoſitio confixa fuit. Quis porrò erat Joannis Hus ſenſus? Iſte: unamquamque in Chriſto naturam ſigillatim ſumptam, ſive humanam, ſive divinam, totum eſſe & integrum Chriſtum, ita ut dici meritò poſſet, *Humanitas eſt totus Chriſtus, Divinitas eſt totus Chriſtus*; quem ſenſum, teſte Thoma Valdenſi, hauſerat ille à Magiſtro ſuo Vviclefo, qui argutè nimis ac ſubtiliter putabat, denominationem totius parti convenire poſſe, ſeu partem à toto poſſe denominari. Eundem ſenſum amplexus fuerat Auguſtinus de Roma Joannis Hus diſcipulus, damnatus in Concilio Baſileenſi. *Humana natura*, inquiebat ille, *in Chriſto verè eſt Chriſtus. Humana natura in Chriſto, eſt perſona Chriſti. Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata. Natura humana in Chriſto procul dubio eſt perſona Verbi*, quas propoſitiones Synodus Baſileenſis damnat, *tanquam erroneas in fide*. Idem prorſus

ſus

rus ferendum Judicium de iſto ejuſdem Hus articulo, qui vigeſimus primus
Ibid. p. 131. A. eſt: *Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo Corpus Eccleſiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto Capiti indiſſolubiliter*, qui certè articulus, ſi ſpectetur in ſe abſolutè, & prout verba ſonant, abſtractione facta privati ſenſus Joannis Hus, veritati conformis apparet; ſoli etenim prædeſtinati finaliter perſeverant, ac Chriſto adhærent nexu indiſſolubili: atqui tamen proſcriptus ille fuit à Synodo Conſtantienſi, proprio ſcilicet ac privato ſenſu Joannis Hus, qui citatis verbis innuebat Eccleſiam ex ſolis prædeſti-
Ibid. p. 129. D. natis conſtare. *Unica eſt*, ait primus articulus Joannis Hus, *ſancta & univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.* Hunc ſenſum ferit cenſura, non alium: ad illum, tanquam ad proprium & obvium ſenſum ab auctore intentum, unicè Synodus reſpexit; non ad alium, qui veluti extraneus eſt & alienus propoſitioni. Eccleſia porrò in cenſura propoſitionum alicujus Libri vel Auctoris, non attendit, ut jam monuimus, ad ſenſum propoſitionis in ſe nudè & abſolutè ſpectatæ, qui ſi rectus eſt ac ſanus, cenſuræ nuſquam ſubjacere poteſt, ſed ad ſenſum ab Auctore intentum, malum ac perverſum.

Neque dicas, inde periculum imminere Fidelibus, ne fortè veritatem cum falſitate confundant, & utramque eadem ſimul Eccleſiæ cenſura involvi arbitrentur. Ecquis enim Catholicus ignorat, non poſſe Eccleſiam, vi promiſſionum Chriſti, in his quæ fidei ſunt, aberrare, & loco veritatis falſitatem Fidelibus proponere ad credendum?

Neceſſe igitur eſt in cenſura propoſitionum quæ duplicem ſenſum admittunt, expiſcari ac rimari quis ſit proprius auctoris ſenſus ab illo intentus: quàm multa enim in ſeipſis ſana & recta dici poſſunt, quæ tamen ſingulari errantium intentione vitiantur? Appoſitè omninò ſanctus Auguſtinus de
T. 10. p. 307. C. Juliano dicebat Libro 2. de nuptiis & concup. cap. 4. n. 13. *quæ veraciter & catholicè dicta ſunt, imò in divinis Libris veraciter ſcripta, non ab illo catholicè dicta eſſe, quia non intentione catholici pectoris dicta ſunt. In his ergo*,
Pagina 158. B. dicebat Facundus Hermianenſis Lib. 10. cap. 5. *non ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt quæ dicuntur.*

To. 1. p. 747. D. Rationem reddit S. Gregorius Nazianzenus Epiſtola 2. ad Cledon. *Quoniam*, inquit, *eædem voces ſi rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ ſunt; ſi perperam exponantur, impietate non carent.*

T. 4. p. 1. p. 230. Et S. Hieronymus Comment. in caput 1. Epiſt. ad Galat. *Nec putemus*, inquit, *in verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu. Non in ſuperficie, ſed in medulla. Non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.*

S. denique Hilarius Lib. 2. de Trinitate n. 3. *De intelligentia hæreſis, non de*
Pagina 789. B. *Scriptura eſt*, ait: *& ſenſus, non ſermo fit crimen.*

Atque inde eſt,

S. Aug. L. de hæreſibus, c. 65. & 66. T. 8. p. 21. A. B. I. Quòd eædem propoſitiones iiſdem planè verbis conceptæ, mox probantur, mox rejiciuntur, & quidem ſine ulla explicatione, aut diſtinctione ſenſus; ex una ſcilicet circumſtantiarum ac perſonarum à quibus proferuntur, conſideratione. Damnatus eſt Colluthus, quòd negaret Deum eſſe auctorem mali; è contra damnatus Florinus, quòd id aſſereret. Æquivocatio erat in verbo, hæreſis in ſenſu. Florinus malum morale ſeu culpæ intelligebat, Colluthus malum phyſicum ſeu pœnæ. Pariter vox, *conſubſtantialis*,

pro diverſo ſenſu proferentis rejecta, vel admiſſa fuit: rejecta ſenſu Pauli Samoſateni, qui diviſionem ſeu partitionem quamdam in natura divina videbatur admittere; probata & conſecrata ſenſu Concilii Nicæni. Quis ignorat propoſitiones iſtas, *Unus de Trinitate paſſus eſt carne*: *Una Verbi natura incarnata*, de quibus tanta aliquando fuit altercatio, relativè ad varium ſenſum quo donabantur, vel hæreticum vel orthodoxum, probatas vel improbatas fuiſſe? Catholico planè ſenſu dicebat S. Cyrillus, ut jam ſuprà pag. 617. diximus, nec piget hìc repetere, *unam eſſe naturam Chriſti incarnatam*: ſola etenim Divinitas carnem aſſumpſit; at in Eutychianis illa S. Doctoris ſententia abutentibus, ut confuſionem naturarum in Chriſto adſtruerent, meritò proſcripta fuit. Propoſitionem verò iſtam, *Unus de Trinitate paſſus*, quam privato ſuo judicio orthodoxam, & ab omnibus tenendam præfractè contendebant Scythiæ Monachi, nuſquam publico Decreto tanquam erroneam notavit S.P. Hormiſdas; ſed eorum dumtaxat Monachorum impetum repreſſit, qui veluti erroris Neſtoriani reos traducebant, quotquot recuſabant huic Propoſitioni inter Latinos peregrinæ aſſentiri. Inde eſt quòd Joannes II. ubi intellexit à Græcis propoſitionem illam ſenſu Catholico uſurpari, eam ſuo calculo probavit. Lege eam in rem Diſſertationem Eminentiſſimi Cardinalis Noriſii.

Denique, ut alia hujuſcemodi benè multa ſileamus, cùm nonnulli abuterentur vocibus *Chriſtiparæ* ac *Deiparæ*, rejectas illas aliquando fuiſſe affirmat Theorianus in Legatione ad Armenios, ſeu Colloquio cum Catholico. Floruit ille ſæculo duodecimo: *Non ignorat*, inquit, *magna Sanctitas tua, vocem aliquando non malam, quæ malè tamen ab aliquibus in telligeretur & exponeretur, rejectione dignam à Patribus eſſe judicatam, qualis & Chriſtiparæ vox eſt, Deiparæ, Virgini tributa*. Obſerva tamen hìc obiter, quòd cùm vox aliqua publico Eccleſiæ uſu ac Judicio conſecrata eſt, tanquam idonea maximè ad aliquod fidei noſtræ myſterium exprimendum, qualis eſt vox, *conſubſtantialis*, *Deiparæ &c.* nemini Fidelium fas ſit, voces illas non uſurpare; multò minùs eas damnare. *Biblior. PP. T. 22. pa. 804. B.*

II. Eccleſia in ſua Librorum vel propoſitionum cenſura, aliquando diſtinctè enuntiat ſe damnare ſenſum ab auctore intentum. Ita S. Pius V. Baji, Innocentius X. & Alexander VII. Janſenii, Innocentius XII. Archiepiſcopi Cameracenſis, Clemens XI. Quenellii propoſitiones ad ſenſum auctoris proſcribunt. Ita pariter ſacra Facultas Pariſienſis an. 1521. in Cenſura hujus articuli Lutheri, *Quilibet Sacerdos debet abſolvere à pœna & culpa aut peccato*, ait, *Hæc propoſitio ad ſenſum ſcribentis eſt falſa, obſervationi doctrinæ univerſalis Eccleſiæ in his quæ concernunt Sacramentum Pœnitentiæ contraria*. Aliquando verò eadem Facultas varios propoſitionum ſenſus diſtinguit, tametſi moneat id abſolutè neceſſarium non eſſe. Ita in Cenſura quam tulit anno 1631. adversùs duos Libros ex Anglia Lutetiam tranſmiſſos, quorum uni titulus erat, *Diſcuſſio modeſta Nicolai Smithæi*; alteri verò, *Apologia Danielis à Jeſu*, monitum iſtud præmittit: *Ne cui fortè mirum aut inſolitum videatur, quòd in cenſura prioris hujus Libri, notatæ propoſitiones in varios ſenſus, quos poterant pati, diſtractæ fuerint, ſciat lector, id neceſſitate cogente ita fieri oportuiſſe, propter verſipelle auctoris ingenium & ſtylum æquivocationibus undequaque ſcatentem, ne quid ſupereſſet quod incautis lectoribus offendiculum*

lum poneret; ut quamvis ex toto Operis contextu, malus animus ſcopuſque Scriptoris plùs ſatis innoteſcat, conſtaret etiam omnibus, perverſam doctrinam quę hic ſeritur, nullo artificio diſſimulari, nec ullis ambagibus intricari ita potuiſſe, quin juſtæ reprehenſioni ſemper fieret obnoxia. Quibus verbis S.Facultas apertè ſignificat, æquivocas dictorum Librorum propoſitiones ſine ulla explicatione damnari à ſe potuiſſe; ac nonniſi neceſſitate compulſam, præter morem varios earum ſenſus diſtinxiſſe, nempè ut omni detecta & repreſſa æquivocatione, nullus elabendi locus, nullum errori perfugium relinqueretur.

Aliquando eadem Facultas in cenſura diſtributa propoſitionum, quæ vel obſcuræ ſunt vel intricatæ & ambiguæ, per particulam, *quatenus*, vel, *in quantùm*, ſenſum deſignat, in quem cadit cenſura. Sic anno 1664. contra Vernantium: *Hę propoſitiones*, inquit, *quatenus excludunt ab Eccleſia infallibilitatem activam &c.* falſæ ſunt, temerariæ &c. Item &. in cenſura lata contra Librum cui titulus, *Verax pacificus*, gallicè, *Le Pacifique veritable*, an. 1644. *Hę propoſitiones, in quantùm infallibilitatem Eccleſię univerſalis in nullo alio ſtatu, quàm in ſolo Concilio Oecumenico congregatę tribuunt....temeraria ſunt, Eccleſiæ injurioſę, hereticę.*

III. Graviſſimis momentis ac rationibus ducta eſt Eccleſia, ut propoſitiones æquivocas, nulla uſurpata explicatione, ſeu diſtinctione ſenſuum, ſua cenſura generatim configeret. 1. Quia nullus futurus eſſet altercationum finis; atque, ut inquietus eſt ac pervicax Hæreticorum animus, qualibet data verborum explicatione, ſemper illi rixarentur, novaſque explicationes ad priores explicandas in infinitum poſtularent: animo quippè pertinaci ac indocili nuſquam defuere prætextus ad excutiendum jugum obedientiæ. 2. Res fidei ac Religionis ad meram de verbis ac ſyllabis grammaticalem ſeu logicalem quæſtionem tandem dilaberentur, quod Eccleſiæ ſponſæ Chriſti gravitatem ac majeſtatem prorſus dedeceret. 3. Ne Hæretici ſuperbiùs jactitarent, ſua ſe pervicacia Eccleſiam ad explicationes coegiſſe, atque illo prætextu ejus cenſuræ ſe ſubducerent. Nemo neſcit quàm importunè, ſed quàm in vanum, Janſeniani poſtulaverint, ut quinque Magiſtri ſui Propoſitiones, quas obſcuras & æquivocas eſſe contendebant, varios in ſenſus diſtinguerentur: non alio profectò conſilio, quàm ut earum damnationem hac arte declinarent. 4. Ut diſcant Fideles ſupremam Eccleſiæ auctoritatem venerari, & illi, ſtatim ac pronuntiat, ſine cunctatione, aut ulla prævia explicatione acquieſcere; Libros quos illa damnat, damnare; quos probat, approbare; rati nihil ab ipſa niſi verum ac juſtum decerni poſſe.. 5. denique, Eccleſia uſu antiquo ac conſtanti æquivocas propoſitiones ſine ulla explicatione damnare ſolet: ſi autem priùs, quod adverſarii volunt, illas exponeret, quàm damnaret, non ampliùs eas ut æquivocas perſtringeret, ſed ut ad ſenſum perverſum determinatas.

Dices: Eccleſia non rarò propoſitiones æquivocas diſtinguit, antequam damnet. Ita Concilium V. generale an. 553. Canone 6. varium ſenſum vocis, *Deiparę*, unum orthodoxum, alterum hæreticum exponit: iſtum rejicit & damnat; illum verò probat & admittit. Idem obſervat Can. 8. circa propoſitionem iſtam, *Una natura Verbi incarnata*.

Tom. 5. Conc. p. 571. Ibid. p. 574.

Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. an. 1415. varios etiam articuli 24. Viclefi ſenſus ſecernit. En articulus: *Fratres tenentur per labores manuum victum acqui-*

To. 12. Conc. p. 46.

acquirere, & non per mendicitatem. Prima pars, ait Concilium, *eſt ſcandaloſa, & præſumptuosè aſſerta, pro quanto ſic generaliter & indiſtinctè loquitur: & ſecunda erronea, pro quanto aſſerit mendicitatem fratribus non licere.*

Pariter articuli 41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*, plures ſenſus aſſignat: *Error eſt*, ait Synodus, *ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* *Ibid. p. 47. C.*

Quin & Innocentius X. in Cenſura quintæ Propoſitionis Janſenii, eandem ſenſuum diſtinctionem uſurpat. *Quintam*, (Propoſitionem) *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; falſam, temerariam, ſcandaloſam: & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit; impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Audis, (ajunt) *intellectam eo ſenſu?* Varium igitur ſenſum dictæ Propoſitionis diſtinguit Pontifex. *Recueil des Bul. p. 81.*

Denique Innocentius XII. in Brevi ad Epiſcopos Belgii anno *1696.* die 24. Nov. declarat ſatis eſſe ſi Propoſitiones Janſenii damnentur *in ſenſu obvio*, quem nempè verba præſeferunt. Ergo propoſitiones illæ in ſe ipſis abſolutè damnantur, non relativè ad ſenſum Janſenii. *Ibid. p. 324.*

Reſp. Hoc unum inde concludi meritò poſſe, quod non negamus, Eccleſiam graviſſimis de cauſis, varium in ſua cenſura propoſitionis æquivocæ ſenſum aliquando diſtinxiſſe, quando nempè pro ſua prudentia exiſtimavit id Fidelium bono & utilitati expedire. Verùm, quæcunque ſit ea in parte ejus agendi ratio, ſive abſolutè, quod ſæpiſſimè obſervat, ſive facta ſenſus diſtinctione, quod raro, propoſitiones ambiguas condemnet, ſemper illa laudanda eſt, nuſquam improbanda. Quinta Synodus in iis verſabatur circumſtantiis, in quibus neceſſe omninò erat aperire & falſum & Catholicum hujus vocis, *Deiparæ*, ſenſum. Neſtoriani quippè & Catholici eamdem pariter vocem uſurpabant, at ſenſu longè diverſo: Neſtoriani, ut ſignificarent unionem dumtaxat moralem divinitatis cum humanitate in Chriſto; Catholici verò phyſicam & hypoſtaticam: unde iſti Chriſtum verè ac ſubſtantialiter Deum fatebantur; illi verò tantùm figuratè ac metaphoricè. Neceſſe igitur fuit, ad præcavendam Neſtorianorum fraudem, palam declarare quo ſenſu Beata Virgo *Deipara* dicenda eſſet: non quòd divinitatem genuerit, ſicut ad invidiam nonnulli opponebant; nec quòd genuerit hominem, (Chriſtum) in quo divinitas moraliter dumtaxat tanquam in templo habitaret; ſed quia Chriſtum genuit verè ac ſubſtantialiter Deum. Neceſſe pariter fuit exponere, quo ſenſu una dici debeat natura Verbi incarnata, qua de re etiam inter ſe diſputabant Orthodoxi. Eutychiani unam dicebant naturam etiam poſt unionem ſeu incarnationem; humanam quippè à divina totam abſorptam fuiſſe contendebant: Catholici verò unam dumtaxat ante unionem, & duas inconfuſas & impermixtas poſt unionem; quem poſtremum ſenſum quinta Synodus Can. 8. figit & approbat, alio, qui Hæreticorum erat, prorſus rejecto.

Par autem non eſt ratio articulorum 24. & 41. Vvicleſi. Confundunt hìc perperam propoſitionem complexam cum æquivoca, de qua una hìc agitur.

tur. Vigeſimus quartus Vvicleſi articulus ambiguus non eſt, ſed complexus, duaſque partes diſtinctas continet æqualiter quidem damnandas, ſed diſpari cenſuræ nota. Concilium igitur, ne utramque partem confundat, eademque involvat cenſura, ſuam cuilibet parti propriam notam attribuit: primam, ſcandaloſam; alteram verò erroneam appellat. Idem dicendum de articulo quadrageſimo primo, qui obſcurus non eſt nec ambiguus, ſed ex omni parte, ac quolibet ſenſu erroneus.

Eadem quoque ratio eſt Cenſuræ Innocentii X. adversùs quintam Janſenii Propoſitionem, quæ complexa eſt, duaſque veluti partes continet diverſa prorſus cenſura notandas: primam partem, quæ velut Semipelagianum dogma traducit eorum ſententiam, qui aſſerunt Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe, *falſam, temerariam, ſcandaloſam*; alteram verò partem, qua Janſenius docet, Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum, ſeu pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, *impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam*, declarat & damnat. Sapienter omninò utramque illam Propoſitionis partem diſtinxit S. Pontifex, quia non eadem, ſed diverſa debetur unicuique cenſuræ nota.

Mala prorſus fide Janſeniani hìc abutuntur Brevi Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii anni *1696.* quaſi Pontifex cenſuiſſet ſatis eſſe ſi Propoſitiones Janſenii in ſenſu obvio quem verba præſeferunt damnarentur, nulla prorſus habita ratione ſenſus à Janſenio intenti. Non ita eſt: in hoc enim ipſo Brevi S. Pontifex declarat adhærere ſe prædeceſſorum ſuorum Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutionibus, eaſque confirmare: at certum eſt dictis Conſtitutionibus Propoſitiones quinque damnatas eſſe in ſenſu *à Janſenio intento*. Duo ſcilicet in dicto Brevi præſtat Innocentius XII. 1. reprehendit nonnullos Belgii Epiſcopos, qui contendebant, altero ejuſdem Pontificis Brevi dato anno *1694.* *alteratam ſeu reformatam eſſe conſtitutionem Alexandri VII. nec non Formularium ab ipſomet pronuntiatum*; quippè eo prætextu, majoris explicationis & interpretationis cauſa, nulla verba dicto Formulario addiderant. Prohibet autem Pontifex, *ne quidquam vel addatur vel dematur, in aliqua ejus minima parte; ſed in omnibus & ſingulis ejuſdem partibus jubet adamuſſim obſervari*. 2. interrogatus Pontifex utrum velut Janſeniani habendi forent, qui exteriùs Formulario cum juramento ſubſcribunt quidem in ſenſu obvio verborum, verùm interiùs, & apud ſe non reſpiciunt ad ſenſum illius Formularii, id eſt, ad ſenſum Janſenii, ſed alium ſibi fingunt: reponit Pontifex, Eccleſiam de internis non judicare, adeoque pretenſos hujuſmodi Janſeniſtas pœnis Eccleſiaſticis non ſubjacere: *Quòd ſi pretenſi Janſeniſtæ*, ait S. Pontifex, *internè & abſque eo quòd deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propoſitiones quàm in ſenſu obvio, non habito reſpectu obvii ſenſus dicti Formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi ſenſum obvium, Eccleſia non judicat de occultis, quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcunt. Sin verò iidem pretenſi Janſeniſtæ voce aut Scriptis edant proprios ſenſus, Apoſtolicarum conſtitutionum, prædictique Brevis ſenſui diſſentaneos, debent Epiſcopi de jure contra eos procedere*. Bis aut ter eo in Brevi Pontifex *pretenſos* appellat Janſeniſtas; non quòd, ut hìc fabulantur defenſores Janſenii, nullos veros eſſe agnoverit, ſed

Rec. des B part. 325.

Ibid. p. 323.

ſed quòd nolit eos omnes ut veros Janſeniſtas haberi ac puniri, ſicut nonnulli obtendebant, qui exteriùs Formulario ſubſcribunt in ſenſu obvio verborum, ſed interiùs ad Formularii obvium ſenſum, hoc eſt, ſenſum Janſenii, non attendunt, ſed alium ſibi effingunt ad arbitrium. Ea ipſa de cauſa in Brevi ad eoſdem Præſules Belgii dato die 6. Febr. an. 1694. idem Pontifex prohibet quemquam Janſeniſmi ſuſpectum haberi, ac, veluti convictus foret, puniri, niſi facto aut verbo aliquam ex quinque Janſenii Propoſitionibus docuerit aut tenuerit. Audiatur ſapientiſſimus Pontifex. *Ad extinguenda Theologorum jam pridem inter ſe diſſidia....injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinatis, niſi priùs ſuſpectum eſſe conſtiterit aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe; nec quemquam ſub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, & concionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica permittatis, niſi ſervato juris ordine, eam pœnam, quę viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit.* His poſtremis verbis innuit Pontifex, quem priùs *ſuſpectum* dixerat, verè convictum eſſe debere. *Ibid. p. 320.*

Atque hæc dicta ſint de Eccleſia, in quibus exponendis, ſi quid nobis incautis minùs ſanum ac rectum excidiſſe deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.

Digitized by Google